9
7-F
38

6
5 L
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

[redacted]

Digitized by Google

Digitized by Google

JO: VINCENTII
LUCCHESINII
PATRITII LUCENSIS
HISTORIARUM
SUI TEMPORIS
A B
NOVIOMAGENSI PACE:
TOMUS PRIMUS.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jeſu

ROMÆ, MDCCXXV.

Ex-Typographia Petri Ferri ſub Bibliotheca Caſanatenſi.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIII.

PONTIFICI MAXIMO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

JO: VINCENTIUS LUCCHESINIUS

FELICITATEM.

NULLA *eſt B. P. bonarum artium diſciplina, quæ ſi ornet erudiatque Principum ingenia, quidpiam momenti non afferat ad publicam felicitatem. Una tamen hoc munere Hiſtoria cæteris excellit adeo, ut ſi obruti curarum mole ſtudium illi ad reliquas ediſcendas conferre nequeant, ipſarum uſum aliena fa-*

Digitized by Google

cilè induſtria ſupplere poſſint ; ab iſta evolvenda ſi abſtineant, ope deſtituantur ad moderandam Rempublicam neſcio an dicam omnium maxima. Nam cùm in tanta rerum viciſſitudine plura quotidie explicare debeant conſilio atque auctoritate ; hærerent profectò, aut in incertam ſe darent aleam, niſi facem iis expediendis præferret præteriti memoria temporis, variique eventus, quibus civilis prudentia ad rectam normam dirigitur, quoſque ſola ex omni literarum genere ob oculos ponunt exhibentque annalium monumenta . Id enimvero poſtquam animo agitare cœpi , permoleſtus ille diſceſſit pudor, quo antea detinebar, veritus, nimiæ ne foret audaciæ, exiguum iſtud minimique pretii munuſculum ad Pontificem maximum deferre, tenuique operi, & pingui, ut ajunt, Minerva lucubrato, e tuo celeberrimo ampliſſimoque nomine ſplendorem ac patrocinium quærere. Intellexi enim,licèt incomptum nulloque venuſtatis decore commendatum ; tamen ob argumenti dignitatem non alienum tua majeſtate videri poſſe ; quandoquidem ingentes referat fortunæ caſus, egregia facinora, & quicquid illuſtre ſuperioribus annis in Europa contigiſſe cognovimus ; unde plurima rerum agendarum ſcientia, conſilii uſus, temporum diſciplina educi

queat

queat. Interea commodum mihi accidit, ut, cùm neminem latère vellem, me SANCTITATIS TUÆ *ornatum beneficiis ea proſequi ſingulari obſequio, tueri obnoxio & grato animo; ad officii propagationem hoc publico documento uti valeam. Quamquam (fatebor enim) id unum propoſitum mihi fuit; reliqua, ne ab re optatiſſima probiberer, in ſpeciem adduxi, cæterùm haud ignarus, nihil Tibi ad civile & ſacrum Imperium adminiſtrandum extera pervagari exempla opus eſſe, cùm e tuæ præclariſſimæ Gentis hiſtoria tot ac tam eximia Domi habeas ad imitandum. Ea ſiquidem non obſcuris, ut plerumque, indiciis, ſed apertiſſimis argumentis jam ſupra milleſimum annum ad nos propagata, per Italiam, Germaniam, Galliam diffuſa, perpetua rerum maximarum gloria, opibus, virtute, imperio floruit. Habuit inſignes alios vitæ ſanctitate ac Divorum honoribus; alios ſummo Sacrorum dominatu; ultra vicenos, quot nondum ex una Familia, Romana purpura; unum Equitum Hieroſolymitanorum præfectura; plurimos Epiſcopali Sede. Illa Galliæ, Hungariæ, Sarmatiæ, Neapolis, Bojoemi Regibus dedit clariſſimas Conjuges; viciſſim e regiis Neapolis, Bojoemique Domibus ad ſe traduxit. Quanto verò militari decore enituit? Satis ſit indicaſſe,*

 com-

complures illinc ſuprema armorum auctoritate maximis Principibus, Rebuſque publicis meruiſſe; quodque in præcipua bujus laudis parte ſtatuendum eſt, bellicam virtutem vel ad Patriæ præſidium, vel ad Italiæ ſalutem, vel ad Sedis Apoſtolicæ, cui incorrupta fide ac veneratione obſtricta fuit, tutelam adhibuiſſe. Quanto viguit potentiæ robore? Jam octo ante ſecula e ſua ſtirpe Romæ Præfectos, non ita multo poſt Spoleti Duces conſtituit. In uno, ut quæ extra Italiam prætermittam, Neapolitano Regno quadringentis Oppidis, duodequadraginta Urbibus potita eſt. Hinc medius fidius ad publicæ privatæque vitæ rationem bene ac ſapienter inſtituendam quæ non ſe offerunt SANCTITATI TUÆ *virtutum imagines, præclara ad æmulandum exempla? Muniere ſibi Majores tui ad bonores iter non fortunæ indulgentia, ſed doctrinæ cultu, morum gravitate, Republica bene geſta. Opes atque imperium adepti; dignitates, magiſtratus, beneficia præmia ſtudiorum, induſtriæ, virtutis eſſe voluerunt. Si repetantur tuæ Gentis annales, quantus illic in alio aut alio Avorum tuorum ſe prodit rerum bumanarum contemptus, divinarum amor, paſcendi Gregis cura, Religionis ſtudium, robur animi invictum, magnificentia in publicis ſacriſque re-*

bus

bus, temperantia in privatis, liberalitas, pietas? Quæ omnia ſi quis agendo complecteretur, perfectam, opinor, in ſe transferret ſummi Sacerdotis maximique Principis imaginem, atque ejuſmodi referret Pontificem Maximum, qui mollire temporum difficultates, fovere ſacri Ordinis diſciplinam, Eccleſiæ majeſtatem in omnium oculis collocare unus poſſe bonorum omnium conſenſu videatur. Ea verò an SANCTITAS TUA *complexa fuerit, ille facilè judicabit, qui ad admirabile tuæ vitæ inſtitutum, ad res perpetratas, quaſque tibi quotidie patrandas proponis, adhibeat animos. Eſt in omnium ſermone, & nulla unquam ætas conticeſcet, te in medio florentis pueritiæ curſu ſplendidiſſimos titulos ditiſſimumque patrimonium, quod tibi primogeniti jure obvenerat, neglexiſſe, ut in religioſiſſimam Dominicanorum Familiam te conjiceres; ineunte adoleſcentia extremis contendiſſe viribus, ne in ſacrum purpuratorum Patrum Senatum ab ea divulſus cooptareris; dudum denique te diu vehementiſſimeque obnitentem vidimus, ne Eccleſiæ gubernacula, quò tua te virtus, Senatus ſuffragia, commune deſiderium vocabat, teneres. Tanto enim vel ab initio ætatis exarſeras ſtudio paſcendi rebus divinis animi, idque ex illo ſeverioris vitæ inſti-*

tu-

tuto creverat adeo, ut mentem ad hæc minora demittere non patereris. At non erat, cur Tibi ſolùm viveres, tuoque præſidio Reſpublica nudaretur. Finxerat te ipſa natura ad gravitatem, juſtitiam, pietatem, ad omnes denique virtutes dignas Sacrorum Principe non modò ut privatum laudis patrimonium, ſed ut publicam augeres felicitatem. Magnæ atque excelſæ indoli acceſſerat diligens morum & ingenii cultus, dataque non ſine ingenti fœnore nobilioribus diſciplinis opera. Quæ quidem ad tui potius, quàm ad Eccleſiæ ornamentum adhibita dignitatem habuiſſent; ſed ea caruiſſent gloria, quæ maximis in Rempublicam meritis comparatur. Itaque a ſuſcepto propoſito diſcedendum, ac vixdum in Senatum vocato cura rerum ſacrarum moderandæque Religionis capeſſenda tibi fuit. Inde verò quot & quàm eximiæ utilitates emerſerint, unum præ cæteris teſtimonium adducerem Beneventanam Eccleſiam, fidei tuæ octo ſupra tricenos annos commiſſam, totamque illam Metropolitanam præfecturam, ubi optimis legibus, frequentibus Synodis, ſanctiſſimis exemplis Clero in tuos mores formato, nunquam intermiſſa Gregis luſtratione, reſtituto rite adhibitis cæremoniis Divinorum decore, populo doctiſſimis concionibus inſtructo nul-

la

la tuarum virtutum non Ovibus ſaluti, non tibi gloriæ, non cunctis admirationi fuit; niſi eadem ipſæ virtutes in Romana Sede tandem locatæ univerſum luce ſua perfunderent Mortalium genus, beneficiis complecterentur. Hinc enim quàm late manat ad hominum famam, & ad Civium utilitatem munifica illa tua liberalitatis indoles, non uno vectigali remiſſo, levatiſque ingenti corrogata undique pecunia Pauperum calamitatibus? Et cui ad exemplum non patet eximia pietas, qua nullo tibi dato ad reſpirandum ſpatio vel diuturnis precibus afflictæ Reipublicæ pacem Superûm petis; vel miſerorum domicilia carceres & valetudinaria frequens adis, ope recreas, præſentia illuſtras; vel inaugurandis minoribus majoribuſque Sacerdotibus, ac religionis muneribus obeundis impendis operam. Tuum denique perpetuum ſtudium Eccleſiaſticæ diſciplinæ retinendæ, ornandæ, augendæ ad quam terrarum partem ex hoc Italiæ exterarumque Nationum conventu jam non pervaſit, quos non attulit fructus, aut quos non promittit? Ut de reliquis taceam; Te per hos ipſos dies, revocata longius ſaluberrimi inſtituti memoria, Romanum Concilium celebrantem conſpeximus, novas æquiſſimaſque condentem leges, veteres a ſqualore incuriaque vindicantem.

Dum

Dum verò, habita e ſuperiori loco ad venerabilem Epiſcoporum Cœtum concione rem tanti momenti expenderes inſtrueresſque animos; quæ tua non fuit dicendi gravitas, non legum ſacrarum peritia, non antiquitatis memoria, non Patrum commemoratio, non doctrina, non pietas? Quæ non omnium tuæ virtutis admiratio, eaque non tacito conſenſu, ſed publicis ſermonibus ac plurium dierum plauſu declarata? Ita quicquid ad rei Catholicæ præſidium, ad conficienda civilis Imperii negotia valet, compendio peragis. Sunt enim Sacerdotum arma ſcientia ac pietas; quæ ſolùm vigent animorum cultu, ac florente diſciplina. Nibil autem hujus admiratione potentius ad flectendas hominum voluntates; ut nuper maxima in re comperimus, & mox luculentius comperturos, non vana ſpe ducimur. Erit proinde, ut noſtri temporis Hiſtoriæ incrementum ac decus afferant SANCTITATIS TUÆ *clariſſima egregiaque facinora; quæ vel ego, dummodo vita ſuppetat, & rerum magnitudo non vincat ingenium, mandare Poſterorum memoriæ non dubitabo, ſi banc tenuem lucubrationem ampliſſimo potentiſſimoque patrocinio complexa, mibi ad audendum animos addere non dedignabitur.*

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccharius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

JOannis Vincentii Luccheſini Viri Clariſſimi ſex hoſce Libros Hiſtoriarum ſui temporis legi juſſu Reverendiſs. Patris Gregorii Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri. Opus ſingulari prudentia, opportunis graviſſimarum ſententiarum luminibus, præſtanti, & ſane Hiſtorico digna facundia refertum, ac longè ornatiſſimum; omni denique ex parte Religioni, atque honeſtati conſentaneum. Itaque illud typis edi non modò recte poſſe, ſed prorſus oportere arbitror; quippe quod fidem facturum ſit, noſtram ætatem tum ob res præclare domi, foriſque geſtas; tum ob ipſius Scriptoris laudem, qui egregia illa facinora illuſtribus adeo monumentis conſignavit, celebrioribus aut Græcorum, aut Romanorum temporibus gloriam minimè invidere. Romæ ex Ædibus meis XII. Kal. Aprilis CIↃ. IↃCCXXIV.

Anſelmus Dandinus Signaturæ Juſtitiæ Votans, & Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

Juſ-

JUſſu Reverendiſſimi P. Gregorii Selleri Sacri Pal. Apoſtolici Magiſtri legi Opus inſcriptum *Io: Vincentii Lucchefini Patritii Lucenſis Hiſtoriarum ſui temporis ab Noviomagenſi Pace Tomus Primus*; & non ſolum nihil in eo offendi aut Catholicæ Religioni, aut bonis moribus minus conſentaneum; ſed tantam in rebus ſeligendis ſagacitatem & ſolertiam, in tractandis prudentiam & conſilium, in deſcribendis candorem & venuſtatem ſum admiratus; ut Scriptor clariſſimus in aliis ingenii ſui monumentis nobiliſſimos Græci Latinique idiomatis Oratores, in hoc celeberrimos utriuſque Hiſtoricos æmulatus feliciter videatur. Ex Collegio Romano 29. Septembris 1723.

Paulus Vanni Soc. Jeſu Coll. Romani Rector.

IMPRIMATUR

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædic. Sac. Palatii Apoſt. Magiſter.

HI-

HISTORIARUM
TOMUS PRIMUS
Liber Primus.

RES ab conciliata Noviomagi pace in Europa geſtas, dira & prope continua bella, Populorum clades, Regum viciſſitudines, maximoſque ludentis fortunæ caſus ſcribere aggredior; ea illuſtres atrocitate, frequentia, magnitudine, ut inſigni documento eſſe debeant, quantis exagitet odiis, invidia, æmulatione Mortalium animos impotens augendi Imperii libido aut retinendi ſolicitudo; ea varietate inſperatoque rerum exitu, ut ipſorum memoriam repetentibus æque putem jucundos fore, ac expertis graves moleſtoſque accidiſſe comperimus. Delectant enim horrido quandoque aſpectu, ſæpius admiratione ac virtutum

Digitized by Google

exemplis præteritæ calamitates, quas doloris expertes intuemur. Opus haud ſane leve, impeditum, difficile, plenum periculi ac ſalebrarum. Quippe ſcribenti, quæ ſua ætate contigere, ob recentem factorum memoriam nulla errati ſit venia; cùm tamen præjudicata plurimorum opinio, dum quiſque nimium ſtudet ſuæ Gentis laudi, Potentiorum metus aut gratia nonnunquam falſitatem, ſæpius caliginem adeo rebus offuderint, ut non minus armorum viribus pro Imperio, quàm ingenii pro vindicanda ſibi quiſque facinorum gloria certatum fuiſſe videatur. Verùm ſapientiſſimorum hominum judicio cùm nulla præſtantior navari poſſit opera Reipublicæ, quàm rerum actiones, literarum monumentis exceptas, Poſteritati propagare (hinc enim civilis præcepta prudentiæ, atque omnis defluxit moderandæ publicæ privatæque vitæ diſciplina) liberali dignum homine exiſtimavi pro virili parte communi conſulere bono, & quid in hujuſmodi re poſſim, magno atque erecto animo periclitari; Idque eò magis, quòd utcumque reliqua me deficiant, ſit mihi ab omni Partium ſtudio (nam cur alicui obnoxium geram nulla ſuppetit cauſa) liber ac ſolutus animus, cui rerum momenta geſtarum accurate perpendenti facilè occurrit veritas, ſuaque ſe prodit luce. Evolvendis autem noſtrorum temporum Annalibus magnam obventuram Poſteris utilitatem quis dubitet? Nam quæ umquam ætas belli & pacis artibus clarior fuit? quæ virtutum exemplis fœcundior? aſperior communi Populorum
mo-

motu; caſu magis & fortuna varia? Nulla propemodum ab tumultu quies; & quamquam haud ſemel poſt diuturnas diſcordias arma poſita; agitante animos metu vel audacia, brevi rurſus educta, ut ineunda pace non otii fructus, ſed nova pugnandi ſemina quæſita fuiſſe videri poſſint. Bella diriſſimis præliis, Mortalium cladibus, Urbium oppugnationibus fœda; Imperatorum militari ſcientia, militum numero ac ſtrenuitate celeberrima. Nullum fortunæ aut virtutis exemplum, quod hìc non ſplendeat inſigni monumento. Principes retinendis Imperio dubiis Populorum mentibus, hoſtium ſolicitandis, jungendis diſſolvendiſque fœderibus ſolertes adeo, ut plus ne conſilio an armis valuerint, incertum ſit. Hinc ſane affatim habeas domi militiæque, unde mentem imbuas ſagacitate ac rerum prudentia, ipſamque fortunæ levitatem adhibere poſſis vitæ magiſtram.

1678. Bello difficili atque exitioſo, quo primùm Batavi, mox Belgæ, Hiſpani, Germanique Rheni atque Oceani accolæ concuſſi ac labefactati, finem attulerat pax Noviomagi conſtituta. Hinc tamen diſceſſum potius ab armis, quàm extincta diſcordiarum ſemina & partum animis otium. Nam cùm acceptas publice privatimque injurias ulturus Galliæ Rex Ludovicus, hujus nominis quartus decimus, ingenti exercitu ſigna in Batavos commoviſſet, atque illico ipſorum Imperio vix non deleto, fatali Rempublicam vulnere confoſſurus videretur,

Batavorum anguſtiæ ex Gallico bello

1678. Finitimorum in ſe oculos ac vires converterat. Hi ſiquidem ex aliorum periculo de ſuo moniti, nec rati conſilii eſſe, obitæ a ſe pacis beneficio æmulum Regem augeri, a quo graviores in poſterum ſibi forent inimicitiæ, conſociatis armis conſtituerant ejus victoriæ curſum cohibere. Et quamquam hactenus, urgente illos Gallorum virtute ac felicitate, bellum geſſiſſent adverſo Marte, durioris tamen fortunæ metu, obduratis ad dolorem animis, renovatoque fœdere, malle videbantur ſubire diutiùs armorum incommoda, quàm iniquis conditionibus paciſci. Igitur & munire Urbes, & ſupplendis Legionibus delectum habere, & rem bellicam diligentius inſtruere atque expedire. Quæ cùm in conſpectu forent Ludovico, videretque producto bello in diſcrimen adduci quos ingentes ſibi comparaverat victoriæ fructus, eos compoſitis rebus ſtuduit obtinere. Itaque (luctuoſum fœderibus malum) oblatis conditionibus quempiam hoſtium ab aliis abducere conſilium capit; ratus cœteros aut, diſtracta virium parte, ad bellum impares; aut, dubia unius exemplo inter eos fide, faciles ad pacem fore. Conſilii prudentiam exitus comprobavit. Quod incredibile videri poterat, niſi feliciter ſucceſſiſſet, Batavos ipſos pollicitationibus aggreſſus devicit, pro quibus tanta exarſerat belli flamma, quique magnis calamitatibus divexati, præter cœteros vindictæ avidi cenſebantur. Primùm Hollandiæ Magiſtratus, clam per internuntios ſolicitati, Regis dicto faciles præbuerunt aures

iis plures Principes opitulantur

qui, quamquam à Gallis labefactati, bellum urgere ſtatuunt.

Ludovicus Gallianiarú Rex ad pacem inclinat animum

ad eam, quibus velit, conditionibus obtinendam, Fœderatos diſſociare ſtudet.

Batavos in id aggreditur.

Quibus artibus.

vel

vel tædio belli duriſſimi vel implacabili in Arauſio- 1678.
nenſium Principem odio, quem, ſe ſe diu ac palam *Annuunt, & quare.*
reluctantibus, jampridem adeptum domi militiæque
ſupremas Præfecturas ſaltem a Caſtris ad civile otium
revocare non minus e privata re ſua, quàm e publi- *In ſuam ſententiam univerſam Rempublicã trahunt.*
ca eſſe arbitrabantur. Iis deinde pacem ſuadentibus
fœderati Ordines annuère. Pacti cum Rege, ut
Trajecto ad Moſam Reipublicæ reſtituto, redactiſ-
que in veterem formam gallicis ſuarum mercium *Pacis cum ipſa conditiones.*
portoriis inter ſe pax conveniret; hanc ſimul ab
Hiſpanis redemptum iri Burgundiæ Comitatu, iiſque *Quæ Hiſpanis oblata.*
Belgii Oppidis, quæ recenſebantur, & vi ſubacta in
Regis poteſtatem venerant. Renuentibus diſſolu-
tum fœdus, ut periculo & Marte ſuo rem gerant, de-
nuntiaturos. Pacis conditiones ad Noviomagenſem
Conventum delatæ varie animos affecere. Batavi *Ad Noviomagenſem Conventum delatas Batavi accipiendas ſuadent.*
aſperas ac duras dicere, ſed nullum eſſe deliberationi
locum, ubi duriora timeantur. Non ſe ſe, non
Fœderatos alendo inſatiabili bello ſufficere, modò
quiete vires inſtaurandas, levique redimendam vul-
nere totius corporis valetudinem; qua, ut modò res
habet, affecta debilitataque nihil non mali metuen-
dum; confirmata, & robur & ſpem fore impellendæ, *Germani reſpuendas, & quamobrem.*
ſi quando nutet, Gallorum fortunæ, ſuæque erigen-
dæ. Contra Germani eas abjiciendas diſſerere, ſi
velint ſuæ gentis more captum ſemel propoſitum re-
tinere. Pro Sociorum ſalute bellum a ſe Gallis in-
dictum, nec finiendum niſi ea penitus reſtituta. Re-
ſtitui verò poſſe producto bello. Nam fœdera initia

lan-

1678. languida, irritata incaleſcunt. Nunc demum Fœderatorum vires coaluiſſe, & ne hoſtibus ludibrio ſint, periclitandas; iis quoque documento futuras, non eos Germanos eſſe, qui terrore ac minis flecti ad iniqua poſſint. At verò Hiſpani clamare, obteſtari, cuncta querelis implere. Hanc ſibi rependi a Batavis collati beneficii gratiam, quos penè oppreſſos atque in poteſtatem redactos, oppoſito Gallis Belgii clypeo, ab interitu vindicaverint? Finitima illorum Oppida oblata ſibi, ſi quieſcerent, recuſaſſe, ac maluiſſe pro ejus bono Reipublicæ in malorum diſcrimen ſe offerre. Reddant modò vicem ac nolint, accepta ab Hiſpanis pro ipſorum ſalute vulnera, ſeceſſione ſua, dilacerare. Quamquam ſi gravi aliquo repentinoque periculo premerentur, ſtrenue quidem ab iis ſubeundum, atque in omni fortuna ſervanda foret amicitiæ fides; eſſet tamen, qui ſecus exiſtimaret daretque veniam, ſi, vincente verecundiam metu, ſibi, quo poſſent, modo caverent. Nunc autem cùm nihil iis timendum ſit, longe ab ipſorum finibus furente bello, quid eſt quòd prodito ſociali fœdere hanc ſibi ignominiam velint inurere? Quòd ſi nullam honeſti rationem ducant, profectò latère illos non debet, a re ſua quàm ſit alienum, compoſita ſeorſum pace, abalienare Sociorum animos, eorumque præſidio, quo res Batavorum publica adhuc ſtetit, nudari deſtituique, ut deinceps excipiendis injuriis idonei atque opportuni reddantur implacabili Regis odio. Animi autem non meticuloſi modò, ſed ſponte ſe fal-

Hiſpani graviſſimas ſibi fore dicunt.

Ut rejiciátur, preces querelis miſcent.

Rationes addunt.

fallentis eſſe, Fœderatorum vires extenuare dicendo, ac veluti bello impares parvipendere: quas hoſtis, tanta adhibita ad eas dividendas ſolicitudine, non parvifacere videatur. Magno igitur atque excelſo animo ſint; & cùm antea maximis ærumnis perculſi, nudatique externis auxiliis non ſe ſe abjiecerint, nunc tecti ſublevatique amicorum opibus animos ne deſpondeant; niſi fortè videri velint, caſu non virtute magnos olim geſſiſſe. Poſtremò reputent ſecum ipſi: utramlibet ſequantur partem, iiſdem conditionibus pacem ſibi non defuturam; at ſi hoſtis beneficio, ignobilem atque infidam; ſi Sociorum, decoram ac diuturnam. Verùm, fruſtra obnitentibus Germanis, Hiſpaniſque, ſupremus fœderatarum Provinciarum Senatus, cui credita Reipublicæ poteſtas eſt, in ſententia permanſit. Et quamquam per eos dies Vilhelmus Arauſionenſium Princeps ad res turbandas manus cum Gallis, qui Montes Hænoviæ Caput arctiſſima obſidione cinxerant, ancipiti victoria ſed lætiſſimo rerum ſecundarum omine conſeruiſſet, pax cum inimico Rege convenit; incertum ignaro, non conſulto quidem Arauſionenſi, quamvis ei Reipublicæ inſtituto, nullo tamen ſuffragii jure, prærogativa ſententiæ foret. Et ne Plebes, quæ dum in commune conſulit odio vacua (indito Mortalium animis a natura virtutis ſemine) honeſti ratione ducitur, exempli fœditatem averſaretur, Senatus ſparſis in Vulgus literis Ludovici, quibus, ſi a quietis conſiliis abhorrerent, vaſtitatem illaturum comminabatur, facilè obtinuit,

1678.

nihilo tamen ſecius Batavorum Reſpublica pacẽ init.

quamquam Arauſionenſium Princeps eam turbare conatus.

Quibus artibus illam plebi gratã ratãque reddant.

1678. tinuit, ut Gens tot cladibus jam concuſſa, commerciis & quieti nata, judicium ſuum ad ejus auctoritatem accomodaret. Re cum iſtis compoſita, Hiſpani adverſæ fortunæ cedere, dataſque accipere conditiones pacis nulla mora coacti ſunt. Initæ concordiæ leges fuerunt. Burgundiæ Comitatus, Valentiana, Buchainum, Condæum, Cameracum, Lira, Ipra, Sancti Audomari Fanum, aliaq; ignobiliora oppida cum omni circumquaq; Regione, concluſa ſingularum Urbium finibus, perpetuo jure Gallorum ſunto; reliqua ab iiſdem hoc bello in deditionem accepta ad Hiſpanos fide bona redeunto. Ita memorabili documento: rarò beneficiis obligari Principum fidem: æque noxia inimici Regis bellum, Amicorum pacem habuere. Damnum quoque ludibrio cumulatum ex præterita felicitate immoderate geſta. Interea Leopoldus Imperator, quique Germanorum ſocietate cum ipſo conjungebantur, magnitudine potius animi, quàm æquis viribus ad bellum incumbere conſtituerant, veriti imminentem ſibi Gallorum proſperitatem occultaque inſidioſæ pacis conſilia. Nam Ludovicus ea ſolùm lege ab armis ſe diſceſſurum profitebatur, ſi res bello turbatæ eo loco manerent, quo ſtarent modò, Friburgum ſcilicet Gallico Regno, Cæſari Philippoburgum; & ſi Lotharingia Regulo ſuo Carolo reſtituta, dataque inſuper Tullo Urbe, Nancæjum provinciæ Caput ſibi retineret, tantamque Regionis partem, qua inde ad oppoſitos Provinciæ fines latum mille quingentos paſſus iter aperiretur. Id utique præter

Hiſpanis à Batavis deſerti ægre & ipſi pacē conſtituunt.

Ejus conditiones.

Quid Germanis proponebatur.

Digitized by Google

ter cætera ad compingendam pacem Leopoldo moram iniecerat; cum permotus periculo, ſi Regi potentiſſimo Urbem permitteret, quà plurimùm pervia Gallis Germania eſt; tum rei indignitate, ſi Carolo, qui Eleonoram, ipſius Germanam, Michaelis Poloniæ Regis Viduam, connubio ſibi copulaverat, avitum Imperium tam fœde diſciſſum ac laceratum reddi non recuſaret. Exacta per militum otium æſtate, cùm neutri vires ſuppeterent ad laceſſendum, haud parum deferbuerat magnanimus ille Germanorum ardor, atque Hungaria magnis ſeditionum fluctibus agitata totum jam Cæſarem ad ſe vocabat. Quare non amplius Lotharingię conditiones moratus (nam reliqua, ut a Gallis propoſita fuerant, æqua videbantur) bello finem impoſuit. Carolus, ſpe meliorum retenta, exilium maluit quàm impoſitas conditiones; Dei numine illum per hujuſmodi calamitatem rapiente ad eam gloriam, quam bellica virtute maximiſque in Chriſtianam Rempublicam meritis adeptus eſt. Reliquum erat incendium, quo Germania ad Oceanum conflagrabat. Facem ad conflandum illud admoverat Carolus Svecorum Rex, nominis ordine undecimus, obtentu fœderis, quod ſibi & Majoribus ſuis vetuſtum cum Gallis intercedebat; re vera Imperii dilatandi ſpe, fretus Gallorum ope ac fortuna. Infeſtis armis Octovirum Brandeburgenſem invaſerat, finitimum atq; opportunum Pomeraniæ parte jam tum ſummopere conquiſita, cum magnus Guſtavus, alterius partis potitus, integram Svecię Regno

1678. *Cur ab Cęſare recuſatum.*

Acceptum tandē, & pax conſtituta.

Carolus Lotharingiæ Dux exiliū mavult quam datas ſibi paciſcandi leges.

Carolus Svecorum Rex bellum moverat Pomeraniæ cupiditate.

1678\. Provinciam, veluti patrimonium gloriæ ſuæque virtutis monumentum, animo deſtinaverat. At enimvero conſilium ambitione captum in Caroli perniciem verterat. Nam Octovir ſolicitato Danorum Rege adversùs æmulum, gentis ingenio, Svecum; vocatiſque in prædæ ſocietatem Monaſterienſi Epiſcopo Reguloque Brunſuicenſi, quibus in ſuſpicionem venerat ferox animi Carolus; tantam in eum commoverat tempeſtatem, ut penè obrui videretur. Et ſane ingenti undique exercitu clariſſimiſque Urbium oppugnationibus Pomerania pulſus, nudatâque Sveciâ Fœderatis, de intimo Regno periclitabatur. Suſtentaverat hactenus amicum Regem Ludovicus pecunia ac ſpe; quæ plurimùm valent ad obfirmandos animos; cum milite non poſſet, acerrimo occupatus bello. Nunc vacuus & liber huc omnem intenderat curam, ratus ad Imperii majeſtatem, & ad Socios in fide continendos id quàm maxime pertinere. Primùm ejus hoſtes diviſit injecto metu, quamquam plerumque vel diffidentium inter ſe animorum conciliatore; ſed improvida quadam incuria vel potius Ludovici felicitate tum temporis accidit, ut nihil ad comparandam cumulandamque ei gloriam non conſpiraret. Confeſtim ad illum Monaſterienſis, deinde Brunſuicenſis confugere; ſe ſe ipſi permittere, pacem quibus daret conditionibus habituri. Conventum: ut, quæ bello cœpiſſent, Sveco reſtituerent; parum alteri pecuniæ, alteri Regionis conceſſum prope muneris loco; quod tamen gratiſſimum, quia Poſteris Victo-

Ab Octoviro Brãdeburgenſi, aliiſque cum eo fœderatis graviter perculſus.

Ab Ludovico Rege ſublevatus.

Conciliatis ei Monaſterienſi Epiſcopo & Duce Brunſvicenſi.

Quibus conditionibus.

riæ

riæ ac bellicæ laudis documentum. Brandeburgenſi decedere e tot fortiſſimis oppidis, quæ Victoriæ præmium retulerat, nequaquam e præſenti ſua, Svecorumque fortuna viſum eſt. Armis vim depulſuro faciebat animos, quòd nulla, ſi adverſo uti Marte contingeret, durior ſibi conditio ſubeunda foret, quàm quæ modò victori proponeretur; hærebatque menti ſuorum militum robur, & ex vincendi conſuetudine hoſtium contemptus. Primùm Octoviri depreſſit animum Gallorum exercitus, ejus Clivienſem atque Juliacenſem oram atrociter depopulatus. Deinde ubi ad ſuas penitiores Provincias iter illum maturare vidit, nec ab intermediis Regulis prohiberi (id enim ab ipſis initæ dudum pacis lege Rex obtinuerat); data fide, facturum quæ grata forent Ludovico, continuit ab Svecis arma. Juſſus e captis Pomeraniæ oppidis præſidia deducere, haud abnuit; reputans æque virtutis eſſe, haud ignaviter fortunæ cedere, haud temere obniti. Pauca, eaque ignobiliora loca, aliqua a Portoriis immunitas, & quidpiam pecuniæ datum; non exiguum victori decus, niſi longe pluribus, quæ ſubegerat, oppidis cedere cogeretur. Poſtremò inter Danum Svecumque ſedatum bellum nullo invicem incremento, niſi ob recentes injurias, odii atque æmulationis. Hoc rerum ſtatu ſalutis annus agebatur MDCLXXIX. [illegible] quidquid illuſtre ac memorabile contigit ætate noſtra, conſignandi Poſteris initium facimus. Nam ea, quæ adhuc retulimus, ideo ſolùm compen-

1678.

Deinde Brandeburgenſi armis coacto

Datæ huic pacis leges.

Denique Danorũ Rege, & quo pacto.

1679. dio retexere operæ pretium duximus, ne diſcordiarum, quæ plurimæ deinceps obortæ ſunt, quæque hinc profluxerunt, fons & Origo moleſtâ incommodâque ignoratione in occulto maneant. Pace terra marique parta, quieverant ab eſternis hoſtibus Europę Regna; ſed interni ingenteſque animorum motus, manifeſta ab ſeditione vix temperantium, Angliam exagitabant. In apertum eruperant ſuperiore anno, ſed jampridem gravi turbine concitabantur. Horum cauſas longius repetere nec magni temporis, nec parvę utilitatis erit; jucundum quoque latebras inveſtigare, unde perſæpe ferales procellæ nobiliſſimam Gentem inter ſe collidunt ac labefactant. Perculſa primùm Henrico VIII., deinde ſexto Eduardo Rege profligata penitus Catholica Omnipotentis Dei Religione, jam decem ab Seculis per id locorum ſancte riteque culta; quot quot tum temporis graſſabantur novorum Dogmatum Sectæ, velut effractis Clauſtris Angliam inundaverant. Principiò id gratum, avitas Sacrorum Leges cupientibus abrogare; ratis, quò major daretur Populis opinandi licentia, eò lubentiùs, dum quiſque ex ingenio furit, vetera ſanctiſſimaque inſtituta ex animo divulſuros. Nam Sacerdotiorum præda, cùm vix ſufficeret ad illiciendos Proceres, adigendæ in ſcelus Multitudini haud ſuppetebat; nec tutus, niſi in paucos, Lictoris metus; ne deſperatione in furorem actus, extrema in Principem ſuaderet. Verùm cùm inſoleſcente, ut plerumque fit, nullis

Angliæ ingentes motus.

Ipſorum cauſæ veteres, recenteſque.

nullis coercita legibus libertate, & poſt exactam communi conſilio Romanam Religionem, quippe falſis omnibus inimicam, ſe ſe ferarum more diſcerpentibus diverſæ diſciplinæ Alumnis, cuncta in tumultus vergerent; ad unam iſtarum aliquam revocare diſſidentes animos Eduardus & Eliſabet opus habuere. Præter cætera invaluerant Lutheri, & Calvini Placita; ſed hæc avidiùs audita, atque ideo, Petro Martyre Catholicorum deſertore in conſilium adhibito, frequentius data novæ Religioni; quidpiam e Luthero additum, ne præteritus diſſideret; retentus Epiſcoporum Ordo aliorumque Sacerdotum Collegia. Siquidem e Regis utilitate, ut eſt prophani cultus auctoribus in more poſitum, fingenda res erat, ne Poſteri, Sacrorum principatu atque Hierarchiâ deletâ, impia hæreditate deſtituerentur. Divinorum Legibus privato Conſilio conſtitutis publica acceſſit Comitiorum auctoritas, quibus Proceres nobiliorumque oppidorum Legati jus habent univerſæ Gentis; prodita tunc ab iis Republica ob nimiam ſervitutem, qua Regi addicebantur; ut nunc ob nimiam libertatem, in quam ſe ſe aſſeruerunt, imminuta regia Majeſtate. Attamen Civium animos haudquaquam obnoxios habuere, tantùmque abfuit ut apud illos obtineret opinandi concordia, quin jacta eò magis diriſſimarum diſcordiarum ſemina. Siquidem ubi falſa animis opinio inſederit: documenta rerum divinarum humanæ mentis conſiliique rem eſſe; raró quiſquam ex alio-

1679.

1679. aliorum opinionibus moderatur Religioni ſuæ. Igitur qui prorſus Calvini erroribus imbuti magnifico ſe nomine Puritanos dicunt, ſceleris arguere Socios, quòd Sectæ diſciplinam alienis cæremoniis polluerent, proderentque ſub Epiſcoporum duriſſimo imperio libertatem; ſimul pertæſi nullam ſibi dari partem Reipublicæ, conjurare ac uj adhibita legum patrocinium quærere. Hinc Partes inductæ pietatis ſpecie, nec Duces Partibus defuere; eò facilius inventi, quò ambitioni religio prætendi poterat, ac virtus ſceleri. Epiſcopiani, fulti regia tutela, præſidio invicem Regi eſſe, quòd utrique ex altero accedat robur atque auctoritas. Presbyteriani Sectæ indole, & quia non immeritò propter Epiſcopatus odium ab ejus infauſto in Anglia Capite ſibi timent, regiæ poteſtati imminere, tantòque ſolertiùs ad eam compeſcendam incumbere ac vires augere ſuas, quantò id ſemel aggreſſis nec pedem referre tutum ſit, nec Principum auctoritati vulnus inferentibus mediocris fortuna unquam eſſe poſſit. Nulla deinde mala in Angliam invecta, quæ huc non referant initium ſuum. Prout alterius Factionis homines in Concilio, ita cognatæ familiareſque Factioni Partes ad populandam Inſulam invaluere. Presbyteriani ſæpe non ſolùm depreſſi ſed fracti ac fere hoſtiliter divexati. Concuſſi ſæpius Epiſcopiani, & Jura proinde & Regis Majeſtas ludibrio habita; atque illud horrendum, paucorum Civium protervia,

via, cunctorum ignominia patratum Avorum memoria primi Caroli Regis paricidium. Unum remedium comprimendæ Partium diſcordiæ, ne ſe invicem dilacerarent, inventum, nec fruſtra aliquando adhibitum: Catholicorum inſectatio, qua cunctorum adversùs iſtos occupatum commune odium domeſtica diſſidia, cum pluribus par non eſſet perſequendis, componeret negligeretve. Sed, quamquam exaturatæ hac fera crudelitate, ſæpius Factiones ſe invicem colliſere eò ferocius, quò jam cædibus aſſuetæ. Quod utique inſigni documento (ut ad rem noſtram accedam) hoc ipſo & ſuperiore anno compertum eſt. Etenim Presbyteriani; quibus, aliiſque frequentioribus Sectis, Catholicum quoque nomen profeſſis, ſecundus Carolus, vix dum Regno potitus, Religionem, e ſua cuique voluntate publice colendam, conceſſerat; mox otii deſiderio deceptus ac timida quadam ingenii facilitate, hujuſmodi libertatem, veluti devotam principi Anglicanæ Sectæ victimam, jugulaverat exciderat que penitus; hi, inquam, incenſi & priſtino in Reges odio & recenti injuria, in regiæ auctoritatis perniciem feroces animos extulere. Quoniam verò ſuperioris ſeditionis, quæ Cromuele duce commota fuerat, experientia didicerant: Imperii habenas moderante legitimo Rege, ejus concuti majeſtatem poſſe, haudquaquam dejici; dominatum ab regnatrice Domo in alienam deducere cogitarunt. Ita novis illum conditionibus e ſua ipſorum ſententia atque utilitate 1679.

tem-

Digitized by Google

1679. *Prima tum temporis conjurationis initia in Regiam Domum.* temperari poſſe, quæ nunquam duræ difficileſque videantur Civium liberalitate Regnum ampliſſimum obtinenti. Scelus meditantibus opportunus aderat Carolus, jamdiu ſterili junctus conjugio, effæto pariter languidoque ob nimiam intemperantiam corpore. Nam cùm proximus regnando foret Jacobus frater Eboracenſium Dux, qui paulo ante ejurata hæreſi in Catholicas partes tranſgreſſus, *Ejus obtentus.* omnium a vera Fide aberrantium animos ictu gravi moleſtiſſimoque perculerat; percommode iis ad res novandas non quæſita ſed oblata occaſio videbatur. Itaque jucundius arreptâ, conſociatoque, veluti in communi periculo, cum Epiſcopianis ſtudio enitendum decrevere, ut omnem Jacobo adimerent ſpem Regni adeundi. Cuinam verò deferendum eſſet cogitantibus occurrebant VVilhelmus *Tunc primum de Arauſioneſi creando Rege cogitatum.* Arauſionenſium Princeps, cui nupſerat Maria Ducis Eboracenſis maior ætate filia; & ſuſceptus Carolo extra matrimonium Monumethiæ Dux; qui, utpote Regi proximi, aliqua juris ſpecie flagitium contegerent, clientelis munirent. Data ſeorſum utrique ſpes, ut dum ſuam quiſque fovet, alacriùs in commune conſulat. Certior tamen *Propoſitum quoque Monumethiæ Duci. Sed certior ſpes in Arauſionenſi.* Arauſionenſi proponebatur, quippe quam aleret ſperatum ob ejus auctoritatem Batavorum præſidium. Et Monumethium ferunt, opem quoque ſuam VVilhelmo detuliſſe, non moderatione animi, quod eventus docuit, ſed ſagacitate; quærentem ſcilicet, dum adhuc incerta, quò inclinarent,

rent, Populorum ſtudia, aut Æmuli gratiam præoccupare ſi cedendum ſibi foret; aut illum ea fraude incautum reddere, ſi audendum. Quæ tunc ſententia fuerit Arauſionenſi, ignotum. Propius abeſt a vero, ex eventu certius conſilium initurum, nihil modò ſecum animo conſtituiſſe; cùm præſertim ingentia facinora, ſi repentè ſe offerant, magnitudine ſua mentem opprimant. Id nemo dubitare poteſt, tunc primùm obverſatam illi ante oculos fuiſſe Regni potiundi ſpeciem nec difficilem nec remotam; cui deinde omnem adjeciſſe curam; ratum prudentis eſſe, ignotæ fortunæ haud ſe permittere; ignavi, oblatam ac prope certam non tenere. Et ſane Eboracenſis hanc ſibi orituram ex Genero tempeſtatem jam tum longè proſpexerat animo, prædixeratque ſuæ veluti gnarus calamitatis, cùm ſuam, ſe invito ac diu repugnante, majorem filiam Carolus VVilhelmo deſponderat, arbitratus regalium nuptiarum vinculo obligaturum eum ſibi; ejuſque deinceps auctoritate Batavos a Præsbyterianorum conſiliis divulſurum; qui religionis ſimilitudine aucupantes illorum gratiam, parum ſibi, ea freti, ab Rege timendum eſſe arbitrabantur. Quæ dum arcanis ſermonibus agitantur, reique moliendæ omnium princeps navat operam Antonius Ashlius Cooperus Shaftsburii Comes, qui adversùs regiam poteſtatem eò graviores ſuſceperat inimicitias, quò pridem ſummis eam viribus tutatus fuerat; mutave-

1679.

A quo jam tum timuit Eboracenſis.

Invitus proinde majoré natu ſuâ filiam nuptui dedit.

Shafsburii Comes turbandæ Reipublicæ auctor.

1679. ratque ſententiam, indignatus, ab ipſo Carolo jura deſeri & confringi ſua; ut olim fidei, nunc iræ immodicus; res accidit, quæ maturandæ conjurationi viam ſtravit. Titus Oatius Anglus obſcuri generis, nec alio quàm hujus infamiæ nomine Poſteritati commendatus, ab Hæreſi, quam Parentum præjudiciis hauſerat, in veram Fidem traductus, ex iſtaque in errorem poſtliminio redux, Carolum certiorem reddidit, in vulgus etiam hominum diſſipavit, conjurari in Regis Caput, Romanæ devotum Religioni, ut feſtinata ſucceſſione ad Imperii gubernaculum accederet Eboracenſis; ſimul verò uno die, unoque tempore quidquid ab eadem Religione diſcrepantium Anglorum eſſet, cædendum immolandumque. Imparatos, ſuique negligentes, a paucioribus neci dari, nec difficile nec novum. Cæterùm reliquiis abſumendis illico affuturas biſcentum armatorum millium Copias, Pontificis Maximi, Galliarum, Hiſpaniarumque Regum, Eboracenſis, Catholicorum Britanniæ Procerum, ipſius quoque regiæ Conjugis pecunia atque auctoritate undecunque collectas; quibus ad rem ſtrenue gerendam vires audaciamque præbitura eſſet data ab ſummo Sacrorum Principe omnium in Deum ſcelerum venia. Ut autem ad Sancti Audomari Oppidum Titus ab Sodalibus Societatis Jeſu pietate ac bonis artibus altus innutrituſque fuerat, ex eaque beneficentia (ut morboſis animis uſuvenire ſolet) con-

Titus Oatius occaſionem præbet.

Regi defert, a Catholicis in eum fuiſſe conjuratum & quare.

Qua ſpe, quo ordine, quibus viribus.

ce-

ceperat odium; ita ex odio moleſtiam facturus, ſupremum hujuſce Societatis Præfectum lepide in Scenam adduxit, eique primas dedit fabulæ partes; a quo nempe atrociſſimum facinus excogitatum diceret, datum patrandi conſilium, ordinem, normam; creatos miſſo diplomate, velut jam debellatum foret, Regni ſplendidiores Magiſtratus, Arundelum civilium politicorumque negotiorum Præſidem (magnum Cancellarium vocant); Bellaſium, atque Peterſium Armorum; Povvium Ærarii publici; diplomatum privato Regis nomine obſignandorum Godolphinum; mandataque aliis haud minori liberalitate nobiliora munera. Sponte ne ſua an aliorum admonitu hanc Oatius fabulam non minus ineptam, quàm execrabilem contexuerit, non ſatis conſtat. Sunt, quibus Galli in ſuſpicionem venerint, quorum vehementer intererat inteſtinis diſcordiis implicare Britannorum animos, ne Regem ſuum ad Gallicum bellum vi raperent; quod paullo ante Noviomagenſem Pacem, cùm hæc primùm conjurationis fama vulgata eſt, deliberatum certumque ſibi fuiſſe, manifeſtis indiciis oſtenderant. Sunt, quibus Shaftsburius, hinc rerum novandarum initium facturus plebemque concitaturus adverſus Eboracenſem. Ego verò quamquam videam ex Britannico tumultu magnam utriſque acceſſuram fuiſſe utilitatem, nunquam inducam animum reputare, ſolertiſſimos viros adeo inopes vel ingenii extitiſſe,

1679.

Ieſuitis rei gerendæ conſilium tribuitur.

Ab iis deſignati dicuntur majores Regni Magiſtratus.

Oatius ne, an alii hujuſce fabulæ auctores.

1679. ſe, ut nihil a veri ſpecie minus alienum; vel conſilii, ut nihil magis idoneum rebus ſuis potuerint excogitare; nulluſque affirmare vereor, Oatium jam olim apud Cives calumniarum poſtulatum, nunc etiam Marte ſuo totam compegiſſe fabulam; quod haud mirum in Anglia, ubi Phrenetici impunè deblaterant atque audiuntur. Quiſquis ejus auctor fuerit, id profectò non dubium, impleviſſe eam plebis animos tanta in Catholicos acerbitate, ut, quæ riſum commovere debuiſſet, ſeriò accepta turbas commoverit; ſimul autem Shaftſburianæ Factioni ad periclitandam jam diu meditati ſceleris fortunam iter munierit. Etenim ad Concilium delatâ cęptâque ab Judicibus agitari, plures Romanæ Religionis homines, Sacerdotio aut generis nobilitate clari, carceri, exilio, neci traditi ſunt non alio crimine, quàm ne innocui viderentur; & lege cautum, ne quis Rempublicam adeat, niſi ſacrilego jurejurando, quo plurima vera Dogmata abjudicantur, ſanctiſſimę caſtiſſimęque Fidei nuntium remiſerit; vix ſepoſito Eboracenſi ob Fratris reverentiam, non tamen ſine ingenti animorum conteſtatione, graviora minante. Denique, ut extrema facilè furor audet ſi prima conceſſeris, Legatorum Collegium (nam Britanorum Concilium in duo Collegia dividitur, Procerum, delectorumque, ut antea dictum eſt, e ſuo cujuſque Oppido Legatorum; Aula Superior, inferiorque nuncupantur) cum in eo tum tempo-

Ejus argumento Catholicos Concilium inſectatur.

Aula inferior decernendum proponit, nequis Catholicus Regno potiri poſſit.

ris

ris Præsbyteriani ſuffragiorum potentes forent, 1679.
curandum ſtatuendumque proponit, nequis Catholici nominis non ad rem ſolùm publicam non accedere, ſed ne ad Regni quidem gubernacula ſedere poſſit. Carolus, hominum audaciam eò progredi uſque demiratus, ut petere Fratris jura, Naturæ ac Gentis legibus conſtituta non dubitarent; cùm officiis graviſſimaque, quam habuit, oratione mulcere aut frangere obſtinatos animos non valuiſſet, Concilium diſſolvit. Perculſa hoc vulnere Factioſorum protervitas, non tamen concidit; quin eò ferocius in rem incubuit, quò ſemel incœperat. Nam pericula nondum adita metu debilitant; vires augent obeuntibus. Dant operam, nec irrito conatu, ut in novum Concilium e ſua Secta, quoad ejus fieri poſſit, delectus habeatur. Regem par cura non tenuit, haud ignarum, quid ſua intereſſet iſthuc mentem adjicere; ſed negligentem vel nimia honeſti ſecuritate; quę tamen nulla eſt in perturbata Republica; vel occupato juvenilibus curis animo. Ut autem inquietos homines multitudine præſtare cęteris vidit, ac viribus audaciam æquare, eos arte blanditiiſque regere aggreditur. Fratrem, dum Conventus celebraretur, digredi e Regno ac ſolvere in Belgium jubet; ratus, illum obtemperandi facilitate aliorum in ſe commiſerationem, aliorum benevolentiam excitaturum. Factioſis deinde ſe totum dedit; in Senatum (id in publicis negotiis privatum Re-

Rex indignatus, ita Fratrem excludi, Concilium diſſolvit.

Præsbyteriani in novum Conventum eligi e ſua ſecta ſtudent.

Iis molliẽdis Rex Fratrẽ jubet tantiſper in Belgium ſecedere.

Se totum ipſi permittit.

gi-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

1679. gi Conſilium eſt), veteri dimiſſo, eorum audaciores legit, quorum ſententia Rempublicam geſturum ſpondet; Catholicos conjurationis nomine; quamquam ejus nulla prorſus argumenta reperirentur, & ipſe omnium princeps fabuloſam crederet; divexandos hortatur; caveant poſtremò, qua velint lege, Religioni, Reipublicæ, bonis ex ſacro patrimonio in privatum adductis, ne horum quidpiam eo moveri loco poſſit, quo fuerint a ſuperioribus, Regibus conſtituta; nil ſe morari; unum petere, ne fraterna ſanguinis pervertant jura, neve iſtud audendo in ſe convertant Superûm iram, Civium odium, Exterorum inimicitias atque execrationes. Non tamen e ſententia dimoti, nec habita Regis ratio; datumque documentum: Principum benignitate, quæ, cùm ſit opus aut lubeat, flecti nequeat ad ſeveritatem, non coerceri contumaces animos, ſed incendi; vel ita ſuarum virium admonitos; vel ſuſpicatos inſolitam liberalitatem, futuram, ſi ceſſent, novi criminis argumentum. Siquidem Legatorum Collegium eò magis regiæ Familiæ infenſum, quò id ſe poſſe arbitrabatur, Eboracenſi interdixit Regni hæreditate; cauſatum Catholicorum ſævitiam, ſi quis eorum ad gubernaculum conſideret. Rex iniquæ legi ſemel atque iterum promulgatæ, ne trinundino fieret, neve ad Proceres adduceretur, interceſſit. Quin etiam, ut quidpiam ſibi temporis ſumeret ad molliendos pertractandoſque fero-

Nihil, ut ſibi caveant, moraturus.

Dummodo a Fratre abſtineant.

Tamen Aula inferior decretum promulgat, quo Eboracenſis Regni hæreditate interdicebatur.

Quod priuſquam ratum foret, Rex Concilium dimittit.

rociorum animos, primò Concilium procraſtinavit; dein cùm nihil remitterent, quod ſuæ reliquum erat poteſtatis, reſcidit. Interea graviſſimo tentatus morbo, cùm prope oppetiturus mortem videretur, cauſam Monumethio præbuit nudandi conſilia ſua, quæ nondum aperire auſus fuerat; gnarus, eventuum felicitati nihil adeo inimicum eſſe, quàm rem ſuo non tempore commovere. Et ſane iis penitus contegendis (nam tunc ſe prodere inopportunum erat atque immaturum) ſuſceperat paullo ante in Scotiam expeditionem, ubi per eos dies Præsbyteriani Hamiltone duce ſeditionem concitaverant. Et quamquam in ea Secta præſidium conſtituiſſet dignitatis ſuæ, attamen fuſos fugatoſque coegerat otium repetere atque arma ponere; nequaquam veritus ipſorum damnum aut odium; quippe illud leve nulliuſque momenti ad rerum ſummam; iſtud monſtrata deinceps non aliter agendi per id temporis neceſſitate, facilè deleturus. Nunc verò concuſſam Patris valetudinem ſuam occaſionem ratus, palam in Shaftsburii partes conceſſit, eique ſe totum dedit in Regni aleam. Eboracenſis, audito Fratrem vitæ, ſe Regni diſcrimen obire; nulla mora in Angliam rediit. Jam Regi melius erat, cùm in ejus conſpectum venit. Fraternam ſolicitudinem benevolentiamque obteſtatus haud ægre obtinuit, ut imbecillæ affecto corpore adhuc menti ſe prius offerrent, quæ ingenita naturâ

1679.

Rex graviter ægrotat.

Hinc Monumethio tumultuandi occaſio.

Paulo ante in Scotia Seditioſos profligaverat.

Nunc Shafsburio res turbanti acceſſit.

Eboracenſis in Angliam redit. Rex a morbo confirmatus illum libenter excipit.

1679. turâ ſunt, quàm quæ conſilio indita; vinceretque moleſtiarum turbarumque ex ejus adventu metum Fratris amor. Quare nihil, quòd ſe inconſulto rediiſſet, moratus, læto illum animo complexus eſt. Confirmatus a morbo certiorque redditus Monumethium, facta ſibi a Præsbyterianis Shafsburio interprete Regni ſpe, urgere vehementer ipſorum turbas, nec audacia & cœptis abſiſtere, præter modum exarſit, averſatus nefarium ambitum præoccupatamque deſiderio paternam necem. Spoliatum deinde armorum præfectura, ne quid hujus auctoritate turbare poſſet, egredi juſſit e Regni finibus. Fratri Belgium quoque repetendum ſtatuit, ne dolorem alteri ex æmulatione faceſſeret, negotium ſibi ex invidia; data ſimul fide, ſe proviſurum, ne cujuſpiam inſidiis ac machinationibus Regni adeundi ſpe caderet. Uterque Londino profectus magno ſuorum deſiderio magniſque acclamationibus, ut manifeſtò apparerent Partium ſtudia, funeſtaque armorum ſemina. Proceres magna pars Eboracenſi favebant; Monumethio Plebs. Id Regem non latuit; quare delectorum nuper Legatorum animos perſcrutatus, compertoque, in Fratris perniciem cunctos propemodum conjuraſſe; cogendi Concilii diem, qui prope aderat, ampliavit, ingenti Legatorum indignatione, quibus adeo frequenter eludi conſilia ſua, odio erat. Sed vis nondum aperte leges ſuperaverat. Res tamen ad ſeditio-

Monumethium averſatur.

Armorum præfectura abire jubet.

Utrumque Regno decedere.

Concilii diē ampliat.

1679.

ditionem vergere videbatur. Nam Oppidorum plurima, quibus legandi jus eſt, deliberabant, precantis in ſpeciem minaces Regi exhibere literas, quibus illum a prolatando Concilio deterrerent. Et jam Procerum aliqui id inita Societate facere preoccupaverant. Qua perverſitate commotus Carolus vix tandem collegit animos, ac ſe Regem profeſſus, ejuſmodi Libellis atrociter interdixit, imperavitque Magiſtratibus, darent operam ne in Oppidis Conventus fierent, neve quid Reſpublica detrimenti caperet. Deinde Senatu motis Shafsburio & Buchingano, qui turbarum concitandæque multitudinis principes habebantur, revocato pariter Eboracenſi, palàm oſtendit, nec ſibi conſilium & auctoritatem, nec ſe Fratri defuturum. Hæc Monumethio cùm renuntiata forent, illico in Angliam rediit, ſibi ex occaſione conſulturus. Grave id admodum Patri ac ſuſpicioſum, memoria preteriti temporis, futuri periculo. Quapropter abire juſſum & recuſantem, abrogatis muneribus, quibus illum ampliſſimis honeſtaverat, in ordinem coegit, prohibuitque Aula, Regno verò non pepulit; incertum cogendo ne impar, an paterna victus benevolentia; non dubio quidem Majeſtatis vulnere, ſive ſe ipſe Pater ſive Rex Civem, cùm adeo Reipublicæ intererat, in poteſtate non habuit. Quæ dum in Anglia geruntur, Gallia atque Hiſpania Nuptiarum ſtrepitu lætiſſimoque plauſu perſonuere, nuptui data

Ne in hæc ſententia maneat, Procerum aliqui illú deterrent; plura Oppida diſſuadere, deliberant.

Rex arrogantiã retundit.

Senatu movet Shafsburium, & Buchinganum.

Eboracenſem in Angliam revocat.

Monumethius quoque eo invito redit.

Exauthoratur.

Exulare juſſus, morem non gerit.

Nuptiæ inter Carolum Hiſp: Regē, & Ducis Aureliæ: Filiam.

1679. ſecundo Carolo Hiſpaniarum Regi Maria Aloyſia Ducis Aurelianenſis filia, veluti dudum reconciliatæ pacis obſide; ſi alio interprete, quàm communi utilitate, Principum concordia copularetur.

Joannis Auſtriaci mors. Ineunte Autumno fato defunctus eſt Joannes Auſtriacus, Philippo quarto Hiſpanienſi extra matrimonium procreatus; Princeps puro legitimoque e Regibus ortu dignus; quem tamen, ultus fortunæ injuriam, claris verèque regiis virtutibus fuerat æmulatus. Duo quoque Octoviri Imperatori eligendo mortem obiere, Bojoarius & Moguntinus. Illi ſucceſſit Maximilianus filius hæreditatis jure; in alterius locum Ingelheini Comes, ejuſdem Eccleſiæ Archipræsbyter, ſuffectus eſt magna animorum concertatione; veritis Germanis ne nimium Gallis obſequeretur. Etenim diſſipatis rumoribus percrebuerat, Ludovicum, longe repetita Galliæ Regum memoria, dignitatem felicitatemque ſuam Imperatoris decore cumulaturum, iſtud in regiam domum traducere, ſedulò ſibi propoſuiſſe; atque iſthuc nervos omnes intendere ut Octoviri Delphinum filium Imperatoriis Comitiis Regem Romanorum dicerent; quamobrem Clientum alteri Moguntinum Sacerdotium committendum curaſſe; alteri Agrippinenſe ſpe quæſitiſque ſuffragiis deſtinare; modò Bojoarium affinitatis vinculo ſibi devinxiſſe; reliquos partim beneficiis partim metu ad ſuam voluntatem adduci poſſe. Quæ cùm in omnium oculis

Octovirorum Moguntinenſis, & Bojoari obitus.

Ingelheini Comes Moguntiaco ſufficitur.

Orta ſuſpicio, Regem Galliæ Ludovicum dare operam, ut Cæſaris Dignitas in filium traducatur.

Hujus ſuſpicionis argumenta.

oculis verſarentur, non inanem de hoc Regis conſilio ſuſpicionem moverant, augebantque diſſipatæ per vulgus hominum, ut fama erat, ad pertentandos Germanorum animos incertis auctoribus conditiones, quibus ille auguſtam Filio dignitatem paciſci velle profiteretur. Verùm ut nullus ambigam, non defuiſſe, qui ſuaderent: magni & fortis animi eſſe, vocantem fortunam ſequi; atque ingentes difficultates, ubi quis audeat, audendo plerumque disjici ac profligari; crediderim tamen Ludovicum, haudquaquam caſum temeritatemque in conſilium adhibere ſolitum, iſthuc mentem non adjeciſſe; ratum, Octoviros nec poſſe, niſi obito rerum ſuarum diſcrimine, e ſua in æmulam gentem Imperii Caput transferre; nec velle, validiori Principe adſcito, eò magis armare adversùm ſe Legum auctoritatem; at potius reputantem, nihil jam ſibi a Finitimorum cæteris metuendum eſſe, aliis bello aliis pace infra ſe poſitis; unam Germaniam, potentem populorum multitudine ferociaque, moleſtiam exhibere poſſe; hanc ſibi, quibus liceret artibus, obnoxiam reddere in ſuaſque adducere partes conſtituiſſe. Quare & exeunte ſuperiore anno in Moguntina Comitia vehementer intenderat animum, & novo ineunte Mariam Annam, Bojoarii Ducis germanam, Delphino in matrimonium dederat, ſuſceperatque, cùm Ver appeteret, officiis omnibus, atque illo in primis ampliſ-

1679.

Refutantur.

Ludov. Rex Germaniæ Principes conciliare ſibi ſtudet.

Maria Anna Bojoarii Ducis ſoror Ludov. Delphino nubit.

1679. ſimo, quòd ei obviam proceſſit cum regia Domo plurium dierum itinere; Octovirum hac luculentiſſima honoris ſignificatione tantò impenſius obſtricturus ſibi, quantò nihil jucundiùs tenujori Principi, quàm a potentiori decus atque ornamentum. Hæc ad Octovirale Collegium, cujus maxima ſecundùm Cæſarem in Germanorum Conventu poteſtas eſt, demerendum conciliandumque ſpectabant. Reliquorum Principum quot poſſet plurimos jure ac beneficiis moderandos addicendoſque ſibi ſtatuit. Cùm enim pacis lege, quæ Monaſterii in VVeſtphaliæ urbe icta fuerat anno MDCXXXXVIII, adiecta jure bono fuiſſet Galliarum Regno hinc Alſatia, Hagenojæque præfectura; illinc tres nobiliſſimæ Urbes Tullum, Metæ, Verodunum cum omni circumquaque ipſarum Imperio; Galli, quid ea contineretur, diligenter inquirere, nihil ex antiquo moturi, dummodo quæ in aliorum poteſtatem venerant, ea Regis beneficio detinerentur. Id jam antea volutaverant animo, propoſuerantque Noviomagi, cùm de pacis conditionibus diſputaretur, ſed rejectum ád arbitros, ne communi otio conſtabiliendo moleſtum foret. Neglectum deinde, nec ex utriuſque gentis, uti tunc erat, conditione penſi habitum; ipſi, ne quid amplius moræ fieret, in rem gerendam incubuere. Juri dicundo Forum indicunt Metis, Briſiacique, citatiſque per præconem Regulorum pluribus, atque inter ceteros Octo-

Celebri pompa.

Plurium Oppidorum controverſia inter Gallos Germanoſque underta.

Propoſita prius Noviomagi.

Ludovic. Rex ei dijudicando Fora Metis, Briſiacique conſtituit.

Octoviris Trevirenſi ac Palatino, cùm adeſſet nemo, ſecundùm Regem, uti rogas, pronuntiatum eſt; Regiique Curatores, nulla mora inducto exercitu, in poſſeſſionem miſſi. Perculit ea res Germanos præſenti ærumna, majorum metu; ſed quò ſe verterent ad amoliendam injuriam, ambigebant. Sua tutarentur, dimiſſo exercitu? dimitterent, deſerto veteri traditoque a Majoribus jure? Quod medium erat, obtinuit. Cæſarem Conciliumque Ratiſponenſe per Legatos adeunt. Quanta Germaniæ res ageretur, exponunt. Violari ſacratas Leges, quibus cautum ut Spiræ Forum quotidie celebretur ad Germanorum Cauſas. Nunc e Gallorum arbitrio non modò lites intendi, verùm externos dari Judices, Tribunal inſtitui; nec quæri privatum quidpiam, ſed ut interſint provincialibus totiuſque Germaniæ Cœtibus per beneficiarios ſuos, & publicæ partes habeant authoritatis. Hæc non ignota Cæſari, Concilioque; attamen ingruenti malo quo ſe opponerent modo, incerti deliberabant. Armis rem gerere, durum ac difficile videbatur, feſſis priori bello, exanimatiſque ejus inani eventu; nec vires in unum facilè coalituras, diſtractis in diverſas ſententias animis, prout ab ſingulis longiùs aut propiùs aberat periculi ac damni metus. Contra jus faſque objiciendo parum ſe profecturos arbitrabantur; invalido plerumque ad continendos in officio Principes inermi jure; rati quoque, majeſtatis

1680.

Germani citati non reſpondent. Quare plura Oppida Gallis adjudicantur, in eorumque poteſtaté veniunt.

Hinc Germanorum iracundia & metus.

Cæſaré & Concilium Ratiſponenſe adeunt.

Querelas movent

Ambigitur, quod remedium afferri poſſit.

1680. ſtatis non eſſe, profiteri acceptam injuriam, quam, ſi ab inferenda non abſtineatur, ulciſci nequeas. Vicit Sententia, quæ ab armis abſtinendum cenſebat, quietaque turbolentis conſiliis præhabenda; cùm longum atque arduum fuiſſet, de belli apparatu inter ſe convenire, qui potentia rerumque finibns diverſi, ingenio quoque ac ſententiis diſſiderent; tacite probata illorum calamitate, qui eam declinaturi, utpote Gallis finitimi, paullo ante incommodam cæteris pacem ſolicitaverant, acceperantque, ignari: quàm male caveat Reipublicæ, præſentis providus, futuri negligens.

Statuitur, argumentis, non armis rem pertractare, & quare.

Cæſar Comitem Mansfeldiũ legatum idcirco mittit ad Ludovicum.

Itaque Leopoldus Comitem Mansfeldium Legatum miſit ad Ludovicum (Concilium per literas egit); poſtulatumque, ut decederet occupatis locis, perturbandaque abſiſteret pace tot dudum laboribus parta. Datum ipſi, dicere, in Monaſterienſi Conventu Alſatiæ provinciæ non aliam partem, non aliud jus, quàm quod ab Auſtriaca Domo poſſideretur; permiſſa Metas, Tullum, Verodunum cum circumpoſita ea ſolùm plaga, quæ urbana dominatione contineretur; vetera ac penè oblivione deleta Dominatus nomina, quæ olim cum Oppidorum pluribus diſſipata pretio, permutatione, beneficio, ex hiſce fontibus in aliorum manus profluxiſſent, ne in hominum quidem mentem, nedum in diſputationem veniſſe. Id multarum argumento rerum eoque in primis clariſſimo comprobari, quòd aliquando in Gallorum poteſtatem

Germanorum rationes exponit.

reda-

redacta, ad veteres Dominos pace ſequeſtra redierint. Noviomagi quoque ſilentio prætërita, ibique ſolùm iniectus ſermo, an quæ decem Urbes in Alſatia liberæ, quæque intra conceſſam Regi ditionem fiduciaria Oppida reperiebantur, ipſi fide ac ſacramento debeant obſtringi. Ea de re arbitros conſtitutos, nec moram fieri, quin quod jus faſque ferant, bonum atque acceptum ſit. Verùm ab hujuſmodi controverſia eam longe diſtare, quæ modò ageretur; agi ſiquidem ut jure bono ad Regis Imperium accedant, quæ magno ex intervallo divulſa à priſco dominatu vix ejus memoriam annalibus retinerent. Quòd ſi repetere liceat vetuſtatis jura, nullum Imperium eſſe tam diuturnum, quod aliena manu aſſeri nequeat. Sed ea qui repetat, ruptorem fœderis exiſtimari; quo nomine nihil magis alienum a regia dignitate, regiaque virtute, quæ magnanimis geſtis, non illatis injuriis decora eſt. Hæc injucunda Regi dicebantur, quippe qui premi nollet iniqua fama, ſtimulante perpetuò animos ad vindictam. Itaque Legato reſponſum dedit: nihil in ſuam poteſtatem modò redactum, quod non ſibi prius Monaſterienſi fœdere, præmium vendicatæ propemodum in libertatem Germaniæ, conceſſum; quodque Noviomagenſi poſt longas ambages acerrimaſque diſputationes confirmatum non fuerit. Nam quò aliò collineaſſe Oratorum utriuſque partis concertationes, quàm ut alteri integrum acceptis Oppidis vetus patri-

1680.

Legato reſponſü datur, quidquid à Gallis captum, Regi ex Fœderü lege deberi.

In id argumenta proferuntur.

mo-

1680. monium tuerentur; alteri quidpiam ejus reſecandum curarent? Jus tandem obtinuiſſe, decretumque ut quidquid antea in eorumdem oppidorum ditione fuiſſet, & modò foret. Ex hujuſmodi formula ſe ſuis modum recuperandis rebus impoſuiſſe, a qua ſi diſceſſum fuerit, daturum operam, ut ſe Germani æque ſui cupidum, alieni haud invidum reputent. Dimiſſa Legatione res in incerto, idem utriſque animus manſit; nec Galli exercendis Judiciis, nec Germani miſcendis querelis abſtitere. Per eos prope dies in Corteriacenſi Congreſſu, ubi de agro Belgicorum oppidorum, quæ in Gallorum poteſtatem conceſſerant, finiendo agebatur, ingens Hiſpanicæ regionis pars in diſputationem venerat, urbanarum ditionum nomine; Et cùm iniquum Hiſpani dicerent, plura a ſe peti, quàm quæ, otium ſibi facturi, jam tradidiſſent, rem tamen haud facilè argumentis expedirent necterentque moras, litem Galli immiſſo milite diremere. Magni ſane momenti res erat non oppidorum dumtaxat numero, ſed opportunitate. Alia ſiquidem prope fauces obſtringebant clariſſimarum Urbium, alia intercludebant aditum ad munitiora oppida, ubi ea recreare milite & commeatibus opus foret. Damno ex ſubita acerbaque irruptione accedebat injuria, qua nihil gravius proſperam expertis fortunam, adverſa utentibus. Itaque Hiſpani implorata Finitimorum ope admonitiſque: Belgii ruina ipſos quoque obrutum iri; cùm parum adhortando proficerent, deſperatione in furorem verſi,

Dimiſſa legatio infectâ re.

Dum de finibus inter Gallos, Hiſpanoſque Corteriaci diſputatur, nec quidquam explicatur, Galli controverſam regionem invadunt.

Hiſpani, fruſtra implorata Finitimorum ope, arma capiunt.

arma

arma capiunt; firmant præſidiis Oppida; magnoſque e ſuæ gentis more præſeferunt animos, ſi fortè, quod non ſemel accidit, audendi ſimulatione ſiſtere Gallorum impetum poſſent. Verùm impares decertabant, decertandoque augebant victorem gloria manubiiſque; flamma verò ac ruinis omnia ubique fœda viſebantur. Adhuc tamen eos vigor ac ferox animus non deſerebat. At cùm ſupplendis legionibus, curandæque rei militari nequaquam pecunia ſufficeret ob Ærarii difficultatem, inſitamque tum temporis Hiſpanorum Magiſtratibus Reipublicæ negligentiam; ex altera parte Galli quotidie magis vaſtitatem inferrent, compertumque foret: nihil æque Civibus perniciosum eſſe, quàm Principum in repellenda adverſitate magnanimos conatus, quos viribus æquare nequeant; rem non amplius armis, ſed conſilio gerere coacti ſunt. Angliæ Regem, Noviomagenſis pacis ſequeſtrem, conveniunt, orant atque obteſtantur, ut primùm monitis, mox, ea ſi flocci fierent, ope ſubſidiiſque, quicquid in eo Conventu labore ſummo concluſum fuerat, tueri vellet, daretque traſgreſſoribus argumentum: non fruſtra ſe vindicem curatoremque pactis ibi legibus conſtitutum; quibus infractis alios rerum, ſe dignitàtis jacturam facere; qua una Regum opes majeſtatemque contineri. Illuc etiam Germani detulerant querelas ſuas. Et Carolus ad rem cognoſcendam explicandamque facilè inpellebatur; ſed ingentibus fractus implicatuſque diſcordiis, quibus

1680.

Infelici eventu.

Cum impares forent, ad Britániæ Regem, pacis ſequeſtrem, confugiunt.

Germani quoque apud ipſum de Gallis queruntur.

Suas cum Ludovico Rege preces adhibet.

Digitized by Google

1680. in dies magis Anglia lacerabatur, nonniſi precibus Ludovicum aggredi potuit; quæ tamen irritæ cecidere; cùm præſertim rarò in publicis negotiis magni fiant, nec pluris quàm eorum, qui eas afferunt, Imperii & potentiæ robur. Nunc autem ejus vires atque omne ſtudium civiles contentiones verſaque in Fratrem procella penitus occupabant. Huic declinandæ diſſipandæque illum ſub hyemis initium in Scotiam miſerat, ut comitate facilique ſermone ſibi populos aviti Regni confirmaret, iniretque gratiam; qua conciliata, bene ac ſapienter arbitrabatur, haudquaquam timendum, ne ſe permitterent adulterino peregrinove Regi, Stuardorum obliti, quibus per omnem temporis memoriam mitiſſimi imperii vicem fide atque obedientia rependerant. Scotis autem in officio manentibus, haud facilè moturos Anglos, cum exempli verecundia, tum copiarum, quæ illinc educi poſſent, metu; quorum utrumque a turbulentis rerum novarum conſiliis plerumque Mortales detinent, dum adhuc incerti & in ambiguo ſunt. Hinc iter munitum ſibi fuiſſe ad repetendum Angliæ Diadema, hinc illi ad obeundum fore. Interea clanculum pertentaverat illexeratque Britannorum per provincias Magiſtratuum plures ad affirmanda publice Fratris jura, reprimendamque Seditioſorum proterviam, quam prolatando ſæpius Concilio irritaverat ſimul ac fatigaverat. Cùm maturum viſum eſt, Londinum extremo Februario

Sed fruſtra, cum nihil armis poſſet, occupatus domeſticis turbis.

Iis declinandis in Scotiâ mittit Eboracenſem fratrem.

Utque eam gentem ſibi conciliet.

Scotia ad retinendam Britanniam quàm opportuna.

Inde Caroli Regis in Regnum reditus.

Rex iterum Londinum revocat Eboracenſem.

rio revocat Eboracenſem, quid hujuſmodi cura vigilantiaque profectùm fuiſſet periclitaturus. Regreſſum literæ a Scotorum Senatu ſtatim conſequutæ ſunt, quibus Regi commune ſuæ gentis teſtimonium afferunt: nihil ſibi gravius Eboracenſis diſceſſu, nihil reditu jucundius fore; orare proinde, ut non diu torqueat ipſorum deſiderium reddito ſibi Regni hærede, æque legibus ac omnium votis conſtituto, armis ſi foret opus, poſt diu ſuperſtitem Regem conſtabiliendo. Affuere pariter a Norfolciæ & Lancaſtriæ provinciarum Magiſtratibus epiſtolæ, Carolo gratulantes Jacobi fratris in Angliam reditum; fidem, opes, arma pollicentes, ut ne umquam regia Domus legitimique Hæredes principe moveantur loco; neve quis audeat cernendæ Imperii hæreditati moræ iiſdem, aut impedimento eſſe. Hæc Shafsburium Præsbyterianoſque graviter perculere, dubios an longius pervaſiſſet Britannorum animos ea recti honeſtique ſpecies; cui detegendæ non eos latebat, ægre, qui præeat, unum aliquem reperiri; facilè plurimos qui ſubſequantur. Ne latius manaret exemplum, indeque penitus evaneſceret diu meditatum & jam prope erupturum ſcelus; rem fingunt, qua velut ad inopinatum graviſſimumque caſum avocent animos, ſuſpendantque eventus expectatione. Spargunt per vulgus hominum patère tandem, non amplius rumore nuntio, ſed publicis tabulis, occultis olim & nuper inventis, Waltenam Mo-

1680.

Hunc Scotorum officia proſequuntur.

Aliquot Britanniæ Provinciæ ejus tutando juri prōptas parataſque ſe produnt.

Factioſi ea re perterriti, in vulgus ſpargunt, Monumethium Regis filiū legitimo matrimonio natum.

1680. numetii matrem Carolo nupſiſſe. Fruſtra igitur Eboracenſem Regno deſtinari, quem tametſi diverſa ab Anglicis inſtitutis Religio non averſaretur, regno excluderet Monumetius, natura & Civium legibus Patris hæres. Ea de re jam ſuperiore anno diſſipatum ſermonem compreſſerat Carolus, Conjugium coram Senatu jure jurando inficiatus. Nunc rurſus invaleſcentem penitus extinxit, juſſo, teſtimonium ſuum publicis actis conſignari, quorum exemplar, ubicumque forum in Regno ageretur, in aperto eſſet, ne quis amplius hujuſmodi commento credulam imperitamque plebem falleret. Et perpetuò quidem evanuit; tenuit autem quoad Shafsburianis ſpatium daret ad reſpirandum colligendoſque animos. Cùm ſe confirmaſſent uſurparentque ſermonibus, quid rei gerendum; placuit jam non cuniculis ſed palàm admotis machinis Eboracenſem petere. Aſtu, dicere, jamdiu elaboratum infectumque adhuc facinus, aperte demum tentandum eſſe eò ferocius, quò victis nulla ſalus, gloria in utraque fortuna maxima futura ſit. Itaque nonnulli Procerum fœderatorum illius accuſationi ſubſcribunt, deferuntque Magiſtratibus Catholicæ Religionis reum, Anglicanæ deſertorem; curandum propterea ut, qui populi conſenſu, legum interpretatione jam hoſtis Patriæ renuntiatus fuerit, Concilii ſententia pœnam ſubeat, dejectus Regni potiundi ſpe. Nec mora Londinenſes Prætores aliique Provincia-

Rex publico teſtimonio rem inficiatur, eluditque Factioſorum dolos.

Itaque hi palam, ut reum Catholicæ Religionis accuſant Eboracenſem, ut a regnãdo excludatur.

ciliium, ſpecie ſupplicantium, atrociter Regi minitantur: Cives ſibi ac Reipublicæ conſulturos, niſi velit ipſe conſulere, coacto poſt longas ambages moleſtiſſimaſque dilationes Concilio. Idem Senatorum aliqui audacter petunt. Ille tractare Magiſtratuum animos, Prætorum querelas eludere, Senatu movere Procerum pervicaciſſimos, Conventui agendo moram injicere. Et res omnium opinione feliciter cecidiſſet, niſi mutata ſententia prudens ac ſciens in plagas ſe conjeciſſet. Tingim, maritimum fortiſſimumque Mauritaniæ oppidum, Barbari obſederant ſuperiore anno, ſe ſeque receperant accepta clade; nunc iterum arctiſſima obſidione cinctum in diſcrimen adduxerant. Claſſi, quæ ſuppetias iret, ornandæ inſtruendæque pecunia deerat, exhauſto Ærario; nec Regi ex animo erat verſuram facere, quæ ſuæ deinceps liberalitati vitiorumque illecebris incommoda foret; perire autem Municipium illuſtre haudquaquam e tanta Imperii majeſtate videbatur. Reliqua conficiendæ pecuniæ ratio, Concilii auctoritas. Igitur celebrandum ſtatuit, quamquam haud ignarus, quę ſibi ac Fratri tempeſtas impenderet, conjuratis in ejus perniciem Legatis omnibus, plerumque e Præsbyteriana Secta, nec parva Procerum manu. Ratus tamen declinaturum, eo ſubducto Factioſorum concertationibus juſſoque in Scotiam denuo ſecedere, ut illic præſentia ſua, hic abſentia Popularium animos demulceret. Pridie Kal: Nov: Con-

1680.

Carolum Regem ad cogendum Concilium urgent.

Primùm fruſtra.

Indictum deinde, & cujus cauſa.

Quid ei a Rege agendum proponitur.

Digitized by Google

1680. Conventus agitur; Rex adeſt; monet Aulam utramque, Tingitanæ ſolvendæ obſidioni curent pecuniam; Sacrorum diſciplinam, tot etiamſi legibus conſtitutam, novis, ſi e re putent, muniant; *Ejus Oratio.* Catholicos, factamque in ſe conſpirationem coerceant pœnis; reliqua dimittant, diſcordiarum feracia, noxia Reipublicæ; ac meminerint commiſſam ipſis Gentis auctoritatem, ut publico non ut privato dolori ſerviant. Ponant ſibi ante oculos Tingim oppidum ingenti gaudio non multos ante annos dotale munus a Luſitanis acceptum, tanta hactenus virtute propugnatum, jam prope in ſervitutem redigi, niſi confeſtim opem ferant; quæ autem foret, eo capto, Barbaris gloria, Britannis dedecus? pudeatque tempus intempeſtivis quæſtionibus traducere; Municipium ſtrenuiſſimoſque milites excidio & neci dare. Floruiſſe Britannicum Imperium non civilibus diſcordiis agitandis, ſed vincendis externis hoſtibus; ejuſque futurum decus ſempiternum, ſi eodem conſilio eadem arte uti velint. Id ſe conari, nec regiæ ſolicitudini defuturum, dum ipſi non deſint ſuæ, ac tandem in animum inducant, diſpertita eſſe Reipublicæ munera, datamque Principi cuſtodiam legum, Civibus obedientiam; quæ duo ni teneant locum ſuum, publicam quoque rem penitus commotum, e ſuaque ſede convulſum iri. Hæc ubi a Rege dicta, ſilentium primò, deinde ſuboſcurus fremitus, qualis eſſe timide

Digitized by Google

de indignantium, aut renuentium ſolet, eſt conſequutus. Id in omen turbarum acceptum; nec omen fefellit res. Vixdum convenit Legatorum Aula, quæſtiones de Catholicorum in Regem conjuratione, quamvis tum maxime falſi manifeſtis indiciis convinceretur, inſtaurari urgerique cœptę; mox plurimo ipſorum ſanguine furori nean vanis ſuſpicionibus litatum eſt. Eos inter expreſſo nomine immortalitati commendandus Wilhelmus Hovvardus Staffordiæ Vicecomes, clariſſimo illuſtris genere, illuſtrior datis cervicibus pro vera Dei Religione. In Eboracenſem deinde ſe ferunt eò ferocius, quò diutius impediti. Legem proximo anno promulgatam; qua illum, Regni adeundi ſpoliatum jure in exilium pellebant prohibebantque reditu mortis metu, polliciti præmium eam inferentibus; trinundino legunt, ſciſcunt, probandamque Proceribus eo tumultu deferunt, ut renuentibus (adeo furor animos occupaverat) vim illaturi viderentur. Diu a Proceribus deliberatum, ſed lege vix tandem antiquata jus faſque tenuit; non tamen adeo, ut cum ſenis tantùm ſuffragiis tricena confirmantium illam ſuperata fuerint, ſpem abjecerint obtinendæ. Hinc factum præcipue, ut a violentis conſiliis per id temporis ſe continuerint; præpoſuerintque, rite atque ordine voti compotes fieri; proſperam multitudinis opinionem aucupantes, cui nunquam perſuaſum ſit, æqui miniſtram vim eſſe. Igitur machinis omnibus Regis animum aggrediuntur

1680.

Concilium in Catholicos ſævit.

VVilhelmus Hovvardus gladio percutitur.

Aula inferior Eboracenſem proſcribit.

Aula ſuperior diſſentit.

Regi, in conventu, pecunia denegatur.

Digitized by Google

1680. tur, gnari, eo victo Procerum plures, eidem penitus addictos, nihil ab eo diverſum conſtituturos. Palàm prædicant, nihil a ſe pecuniæ Regi fore, niſi ea lege ſancita; decernuntque, qui commodaret pignori accepto, ut moris erat, regio patrimonio, facturum contra Rempublicam ac pœnas Magiſtratibus perſoluturum; Quodque vel turpe dictu, fuere qui Pellicum potentiſſimas officiis, muneribus, promiſſis adegerint ad Regem, fractum voluptatum blanditiis, ſolicitandum adversùs Fratrem. Harum una memoriæ traditur, ad ejus pedes abjecta, fuſiſque lachrymis obteſtata per quidquid prava inter ipſos conſuetudo illigaverat incenſos animos, ne in poſterum nimiùm cavendo, præſentis otii fructum perderet atrocibus immixtus curis; certus periculi, ſi Legatorum Aula obſtinaret ſe ſe, victoriæ incertus. Parendum voluptatibus, dum fert ætas; quid ſors deinceps latura ſit, negligendum. Ut in ſe olim expertus didicit, mobiles eſſe Britannorum animos, ita aliquando Eboracenſem experturum; cùm eadem ſint ingenia; quæ tamen non arte, non vi, ſed ſponte flecti. Itaque nunc tempori cedendum, nec tanto quietis bonorumque dierum diſpendio alienam ſecuritatem comparandam. Nullo vehementiori ariete concuti Regis animus poterat; ſtetit tamen immotus, ac prope vertit in argumentum gloriæ vitia ſua. Factioſi cùm non bene cœptis ſuccederet, tumultus meditabantur. Sed Rex protractum paucos dies Concilium

Aliis artibus impellitur.

A ſententia non recedit.

Concilium diſſolvit.

ciliam extremo Januario diſſoluit atque alterum a. d. pridie Kal. April. Oxonium indixit; ratus abductum ab urbe, ob hominum varietatem rerum novarum cupida, ob multitudinem divitiaſque feroci, in officio fore. Atque iſta quidem in Anglia. Quo tempore Hiſpania non uno ærumnarum genere laboravit; primùm ſiccitate, qua, ſubducto cęleſtium aquarum alimento, & cum terra ingenito humore non ſufficeret, rivi, putei, fontes exaruere, magna pecorum, aliqua etiam Mortalium, ſiti morientium, clade; tanta deinde pluviarum frequentia, ut intumeſcentium fluviorum impetum vel pontes aliquot vetuſtiſſimi, egregio munitiſſimoque opere, haudquaquam tulerint; iique pluribus locis alveo egreſſi ingentem rerum omnium ſtragem ediderint. Terremotu Granatenſe Regnum ita concuſſum ac labefactum, ut Malacæ & per omnem circumquaque regionem Ædificia frequenter ſolo fuerint æquata; Cives plurimi ruinis oppreſſi; cœteri, fatiſcente alicubi terra ac ſæpius tremoribus repercuſſa, horrentes metu conſternatique. In Germania gravis peſtilentia graſſata eſt, quæ Miſniam præſertim, Bojemumque tam atrociter divexavit, ut per æſtatem Pragæ, Dreſdæ, Lipſiæ vix Libitina ſuffecerit. Verùm Galliam crudelior afflixit lues, non frequenti excidio ſed occulti paratique metu; non irâ Superûm adducta, ſed humani ingenii malignitate, qua plerumque miſero Mortalium generi procreantur

1680.

Alterum Oxonii celebrandum indicit.

Extrema ſiccitas in Hiſpania.

Immenſi deinde imbres.

Ingentes ibi terræmotus.

Germania peſtilentia laborat.

Frequens veneni uſus in Gallia, indeque plurium neces.

Digitized by Google

1682. tur calamitates, aut augentur. Jamdiu mors inopinata, ſimilibus adducta morbis atque eodem fere eventu, funeſtabat familias & Domos, illuſtres præſertim rerum opulentia, ademptis iis, quos eripi ad obtinendam hæreditatem, ſuperſtitum intererat. Id primò ſuſpicionem, & cùm ſæpius eveniret, admirationem fecit, viſo nimiùm caſu (quod haud frequenter uſuvenire ſolet) conſilium imitari. Attamen ſilentium erat, quum Parentibus, Conjugibus, Fratribus maturare funus, vix cadere in hominum mentem poſſet; & impium facinus, qui patraſſent, contegerent vultu, in lacrymas eò magis effuſi quò luculentiùs mœroris ſui fidem facerent. Caſu denique, ut fit, horrendum ſcelus apertum eſt. Mulier quædam patritii generis patrem duoſque fratres ſuſtulerat ope conſilioque Adulteri, apud quem veneficii expertum venena coquebantur. Is quoque non ita multò poſt lethifero afflatus vapore moritur, obæratoque res cuncta domeſtica obſignatur. Mulier ſecreti conſcia ſibique metuens, arculam, quam ſuam affirmaret, adeo vehementer repetere, ut Prætor in ſuſpicionem adductus, dari juſſerit reſignatam. Inventa dira medicamenta, chartis ſignoque munita, atque Adulteri literæ, quibus iſta ad eam pertinere diceret. Vincta ac paricidium profeſſa gladio punitur. Fama rei atrociſſimæ per vulgus hominum lata, initaque aliorum ratione, quos cuique in mentem venerat ſuſpicari, patuit id mortis genus

Unde atrox crimen detectum.

nus

nus hæredum fraude innocuos homines abſtuliſſe. Creati proinde ſumma ſeveritate Judices qui de veneficiis inquirerent. Habitis quæſtionibus anus ſacrilega Pariſiis reperta eſt efferatæ artis magiſtra; cujus domus; relaxandi a curis animi, curioſitatiſque obtentu, ab omni Mortalium ordine frequentabatur, vaticinantem (cùm fatidica videri vellet) audituris. Convicta maleficii, nomen detulit nobiliſſimorum virorum ac fœminarum, quibus præſtò ſe fuiſſe fateretur arte ſua; incertum, aſtute ne, ut communicata criminis invidia eamdem obiret ſortem, quam iis non adeo ſeveram fore arbitraretur; an verè, cùm præſertim congruerent funera, quæ vel falſum commentum aſpergerent veri ſpecie. Sed illa, prius ignito ferro perfoſſa obtruncataque infami dextera, viva comburitur, deletoque horribili monſtro Natura ipſa lætari viſa eſt. Aliorum necati plures cœteris in poſterum terrori atque exemplo fuere. Pauci, iique ſplendidiores, dimiſſi vel innocui vel crimine ſupplicioque ſuo Rempublicam perturbaturi. Mortui hoc etiam anno ex Octoviris Imperatoriis duo. Miſnienſis ac Palatinus; Magnus quoque Hieroſolymitanorum Equitum Magiſter Nicolaus Cotonerus, cui Georgius Carrafa ſucceſſor datus; quique Principum dignitatem militari gloria æquavit, Comes Raymundus Montecucculus, diu ſupremus Germanicarum Copiarum Ductor; quem gravem ſenſere hoſtem Galli, futurum graviorem, ſi bel-

1680.

Sceleri coercendo ſumma ſeveritas adhibita.

Præcipua Veneficarum reperta, pœnis & morte afficitur.

Plures plectuntur.

Inquiſitio deinde compreſſa Reipublicæ cauſa.

Mors Octoviri Miſniẽſis,& Palatini.

Magni Equitum Hieroſolym. Magiſtri.

Huic Carrafa ſufficitur.

Mors Raymundi Montecuccoli.

1680. bellicam virtutem felicitate æquaſſet. Sub anni finem ingens Cometes ſpectaculum ſui præbuit, primùm ſub Capricorno viſus; deinde certo ſtabilique gradu ea progreſſum via, qua qui ante centum ac tres annos a Tycone conſpectus deſcriptuſque fuerat, periti rerum cœleſtium hunc ipſum eſſe, peracto circulo ad nos regredientem, facilè reputarunt. Vulgus tamen ex Veterum diſciplina inſcitiaque rerum datum e Cœlo ſignum futurorum malorum arbitratus, in diverſas trahebatur curas, avertebatque deſiderio, quò maxime vellet, funeſtæ cladis augurium. Verùm longe major ſolicitudo occupabat prudentiorum dubios animos, quò tandem evaſura forent ea, quæ prænuntia calamitatum mox contigere. Veris initio Rex Angliæ Oxonium (nam illuc, ut præfati fuimus, Concilium indixerat) iter arripuerat ingenti comitatu decoris ſpecie; præſidium, ſi tumultuatum foret, daturo. Advenienti provinciæ Prætor urbanique Magiſtratus obviam jere cum provinciali equitatu peditatuque; gaudebatque Rex, in tanto rerum diſcrimine genti ſe commiſiſſe, quam fidiſſimam ratus, illic propterea fieri Conventum juſſerat. Et adeo quidem præteritæ contentiones irritaverant animos, ut in apertam ſeditionem erupturæ, ſi parum procederent, viderentur. Interea Factioſorum duces dederant, nec inani ſucceſſu, diligenter operam, ut eorumdem haberetur Legatorum delectus, quos ſibi poſtremo congreſſu iiſdem conſiliis mancipatos, in fide offi-

Ingens Cometes viſus.

Carolus Britanniæ Rex Oxonium venit.

Cum magno Comitatu.

cio-

cioque manſuros arbitrabantur. Magnis deinde Clientelis comitati Oxonium Proceres Legatique ſe contulere. Monumethius neglecto Patris, Aulam prohibentis, imperio, Salysberius, Shafsburius turmas equitum duxerant armis inſtructas, velut in aciem educturi. Nec in occulto erat, quid mente conſiliiſque volutarent. Nam ſinguli, tamquam ſublato ſigno, ceruleas in pileo geſtabant faſciolas, his prope literis inſcriptas: averſari ſe Romanam Religionem ac ſervitutem. Rei ſumma: Eboracenſem excludere avito Regno, lege primùm; & ſi legi Rex intercederet; vi eo in poteſtatem redacto coactoque iniquæ Legi ſubſcribere. Id Carolum, ut in tanta multitudine ſuſpicioſiſſimoque tempore, haudquaquam fugit. Quocirca jubet, ſelectorum Militum manum accedere propiùs Urbem & caſtra ponere. Dein Concilium ingreditur vultu ad ſeveritatem compoſito, ut nemo non intelligeret nudata conſilia ſua, eluſa quoque & præcauta. Paucis exponit quid ipſis gerendum ſit: expromenda ſcilicet pecunia ad Tingim obſidione liberandam; tuendi Anglicani ritus; providendum ne in poſterùm convelli poſſint. Si huc ſolùm conferant ſuffragia ſua, bene ac prudenter collaturos; ſin aliter, & ea perſequi velint, quæ ſuperiori Conventu; ſciant & boni tunc Principis fuiſſe, contortum in Patriam telum declinare, ſuaque manſueudine moderari alienæ temeritati; & nunc optimi fore, ictu gravi eos petere ac debili-

1681.

Proceres itidem Legatique.

Monumethius, Salysberius, Shafſburius cum turmis equitum.

Cum ſeditionis Inſignibus.

Conjuraverant; Decreto aut vi Eboracenſem ab Regni hæreditato excluderet.

Carolus clam jubet, Militum manum Oxonium accedere.

Ejus ad Conciliũ oratio.

1681.

bilitare, quibus, quoad ſit facultas, turbandæ publicæ tranquillitatis nunquam ſane voluntas deerit. Nihil movit obfirmatos animos Regis concio.

Ea neglecta, Aula inferior Eboracenſem proſcribit.

Igitur cùm primùm referri de Republica cœptum eſt, Eboracenſem ingenti conſenſu Legati proſcribunt, Regni exhæredem pronuntiant, & ni cedat, aqua & igni interdicunt.

Regis auctoritatē minuere ſtudent.

Simul rem audent, quę ſi tenuiſſet, Regis auctoritati acerbiſſimum vulnus injectum foret.

Eduardi Fiz-harii cauſa capitalis in id adhibita.

Eduardum quemdam Fiz-harium Hybernæ nobilitatis virum a rerum capitalium Tribunis, apud quos Majeſtatis calumniarumque fuerat poſtulatus, quòd falsò conjurationis in Regem Catholicos inſimulaſſet, ipſe re vera compertus eſſet, ad Procerum Aulam judiciumque traducunt; rati ita negotium implicaturos, ut reo vita, fraudi veri color manere poſſet. Proceribus, poſtquam diu multumque diverſis opinionibus, prout cuique animus, agitata res eſt, in ſuffragium miſſis, vicit ea pars, quæ Regi auctoritatem ſuam tueretur,

Aula ſuperior ſtat pro Rege.

tanta Legatorum indignatione ut illico ſcitum fecerint: eos, qui ad Tribunos capitales Eduardum rejeciſſent, contra Rempublicam feciſſe videri ac nefarie Aulam utramque inter ſe commiſiſſe.

Aula inferior ægre habet ac duriora decernit.

Carolus cum vidit, præcipites ferri ad omnem audaciam Legatos ac Procerum plures; haud ignarus, ubi publicę auctoritatis nomen interſit, vel ipſas injurias apud imperitum vulgus honeſtatis ſpeciem induere; Concilium ſeptimo, poſtquam convenerat, die decedere atque abire juſſit.

Rex proinde Concilium dimittit.

Dein ſtatim conſcenſo

Statim Londinū redit.

Cur-

Digitized by Google

curru, ne violentis conſiliis tempus daret, Londinum repetit. Anxius, ne falſis rumoribus per hominum ora diſſiparetur, Concilii Majeſtatem a ſe minutam ludificatamque fuiſſe eo dimiſſo vixdum coacto; renuntiat, datis per provincias literis, non ſe Concilii, ſed iniquorum hominum, qui Cœtum perturbent, & Reipublicæ obliti nihil ultra ambitionem audaciamque ſuam videant, pertæſum, nuper illud ſemel atque iterum diſſociaſſe, erepturum e furentium manibus publicæ auctoritatis gladium, ne in communem perniciem verterent. Nam quid ab iis timendum non fuiſſe, qui Britannicæ quietis arcem invadere non dubitarint? Hanc enim tuenda regiæ ſtirpis ſucceſſione, regiaque poteſtate inniti, haud quemquam hominum ignorare poſſe; cùm Senes experientia, juniores recenti rerum ruina didicerint, quantùm hæc duo, ſuperioribus annis Cromuele duce concuſſa, vaſtitatem ac pene interitum Britanniæ attulerint. Et hæc duo ipſa impellere & profligare nuperos Legatos voluiſſe, manifeſtis indiciis ea oſtendere plebiſcita, quorum altero legitimum regni hæredem exautorare conati ſunt, altero Majeſtatis Reum ſubducere Magiſtratibus, idque ſibi eſſe juris affirmare auſi; quo quis non videat, Regi nervos imperii ſupremamque moderandæ Reipublicæ facultatem adimi. Nec aliò ea rurſus referri poſſe: capite nimirum damnaſſe, qui ad Tingim obſidione ſolvendam eruendoſque e Barbarorum ſævitia benemeritos milites Ærarium ſup-

1681.

Dimiſſi Concilii rationes, datis per Provincias literis, exponit.

Eæ deſcribuntur.

1681. ſuppleat; injurioſo decreto Procerum Collegium irritaſſe, quòd inundanti proterviæ aggerem objecerit auctoritatis ſuæ. Iſta qui non doleat, haudquaquam Civem; qui probet, infenſum atque inimicum ſe prodere. Sibi mehercule maximum acerbumque dolorem commoviſſe publica potius cauſa, quàm ſua; eòque vehementius ulturum; ſed ita, ut quiſque intelligat, ſe non propriæ cauſam injuriæ, ſed cauſam communis otii, cauſam Anglicæ Religionis ſuſcepiſſe, quas ſeditioſi Cives nonniſi proſtratis legibus everſaque Republica tueri velint; ipſe (id quod omni ſtudio perfecturum ſpondeat) nonniſi ſalva atque incolumi. Regis literæ in provincias delatæ recitatæque magnas in illum Populorum inclinationes excitavere; metu an amore variante animos, qui paullo ante nihil niſi hoſtile ac ſeditioſum meditabantur. Et, cùm ea Multitudinis natura ſit, ut, quò ſemel inclinare cœperit, extrema petat, inopia conſilii ſui, alieni contemptu; nullum prope Oppidum fuit, nulla ſocietas, Collegium nullum, quæ datis ad Regem literis non ei invictum adversùs malorum Civium proterviam animi robur gratularentur, ac laudarent quæ nuper geſſerat, quæque geſturum pro Reipublicæ ac Religionis bono fidem daret. In id ſimul pollicita opem ſuam. Ille ubi vidit in ſe propenſas hominum voluntates, occaſionem, cui res humanæ plurimùm famulantur, urgendam ratus, inde cœpit ulciſci dolorem ſuum, unde maxime fue-

Ex iis literis magna Populorum erga Regem inclinatio.

Publicis undique literarum monumentis teſtata.

Hac fretus, ſingularum Urbium privilegia expendit.

fuerat laceſſitus. Edicit de privilegiis ſingularum Urbium ſe cogniturum ea lege, qua Regi delenda aut minuenda traduntur, ſi quis poſitos beneficii fines prætergredi auſus fuerit. Id cunctis grave accidit. Verùm timore jam inductus quietis amor inceſſerat fregeratque animos, ne vi Judicia detrectarent. Quare Urbium plures forum expertæ cauſa cecidere; aliæ ſponte ceſſere, gratiam obſequio aucupantes. Londinum diutiùs obluctatum: ſed ubi ſe impar ac deſertum vidit, compreſſis odiis, haudquaquam extinctis, tempori ſerviens quievit. Carolus obedientia contentus, privilegia reſtituit, ſua ſolùm auctoritate in creandis confirmandiſve Magiſtratibus aut aſſerta aut reſtituta; certus ita ſe Legatorum delectum in poteſtate habiturum, quò præcipue (nimis enim ad amoliendos tumultus intererat) curis omnibus intendebat. Quamquam jam tum in animum induxerat Conventus agendi ſpem oſtentare ſimul ac fallere, ita inquietos animos ludificaturus. Igitur ne quid ſibi eo Conventu opus eſſet, Tingim ære ſuo commeatus ac ſupplementum miſerat, quo refecti milites, factaque eruptione, magnam ediderant hoſtium cædem, retulerantque, victoriæ præmium, quadrimeſtres inducias; hæ deinde in quatuor annos productæ priuſquam exirent, fœdus cum Mauritaniæ Rege ea conditione percuſſum eſt, ut Oppido everſis munitionibus Angli cederent, illud grave ſibi atque inutile pace belloque experti. Secun-

1681.

Aliæ iis Judicio ſpoliatæ.

Aliæ ſponte ceſſere. Londinum diu Obluctatum, tandem cedit.

Rex privilegia pluribus reſtituit aſſerto ſibi ſolum creandi aut confirmandi Magiſtratus jure.

Tingi ære ſuo auxiliatus.

1681. dùm hæc ad reprimendam Præsbyterianorum audaciam, qui ſeditionum, turbarumque primas agebant partes, Eliſabetæ lege in eos agi, ac magiſtratu prohiberi jubet quotquot ab Anglicanis ritibus abhorrerent. Ita legum auctoritate honeſtique ſpecie factionem debilitare, jus fuit; non tamen ita ut ſæpius ad arma, quamquam nullo ſucceſſu, non conclamaverit. Interea Tribunis capitalibus negotium dederat, viderent ne delatorum nequiſſimi, quorum mendaciſſimis calumniis concitata primùm fuerat baccandi rabies, impunè ferrent atrocitatem proterviæ malitiæque ſuæ. Habitis quæſtionibus, ſponte aut vi tormentorum expreſſa veritas. Faſſi plures, emptos ſe ſe ſubornatoſque, factæ in Regem conjurationis Staffordiæ Vicecomitem alioſque Catholicorum, qui neci ficto crimine traditi fuerant, quin & ipſum Eboracenſem ac regiam Conjugem falsò inſimulaſſe; ſe autem in ejuſdem patrandi ſceleris ſocietatem a Monumethio, Shafsburioque vocatos, nomen dediſſe. Horum principes malignitate cœteris excelluere Fitzharius ſupra memoratus, Collegius quidam obſcuri generis, & qui hanc fabulam primus egit, Titus Oatius; quorum nomina poſteritati tradere operæ pretium duxi, ut eos immortali execratione ad ipſorum infamiam, ſceleratorum terrorem proſequatur. Lege in omnes animadverſum, & fractæ laqueo cervices. Unus Oatius perpetuo carceri addictus, ac deinde quater in annum, Jacobo

Præsbyterianos lege Elizabet Regiug prohibet moderanda Republica, ſimul cum aliis omnibus ritus Anglicanos reſpuentibus.

Anquiri adverſus falſos delatores jubet.

Compertum, falsò conjurationis inſimulatos Eboracenſem, Hovvardum, alioſque Catholicos.

Verè Monumetium, Shafsburiū alioſque Factioſorum in Regem conſpiraſſe.

Fitzarius, Collegiuſque falſi delatores necati.

Titus Oatius perpetuo Carcere, aliiſque pœnis mulctatus.

robo Rege, publice plebi ludibrio datus, atrociores luit pœnas, infamiæ diu ſuperſtes, odio ac ſordibus cumulatus. Horum teſtimoniis, dum mortem quoque ſubirent (quando nullum mentiendi pretium eſt) confirmatis, ſimul adverſa fama conflictatus Shafsburius (& congruebant mores, ac promptum nec impar rebus arduis ingenium) in cuſtodiam datur, multo vulgi & Sociorum fremitu, nullo tumultu; ut facilè pateret non ſuppeditare factioſis vires ad eum eripiendum. Carolus ad oſtentandam Imperii majeſtatem & ad frænandos in poſterum animos, cùm id ſatis duceret, ſe potuiſſe; cauſam ſilere, nec rem amplius urgere voluit; ratus Shafsburium nihil moturum, ne certo crimine dubiam innocentiam oneraret. Quin etiam non multos poſt menſes Judicum, quos Factio corruperat, auctoritate dimiſſum tulit; quamquam cerneret, ejus libertatem, incredibili Londinenſium plauſu exceptam, dare ipſi animos & argumentum poſſe ad res novandas. Sed mala, irritando, maturare, haudquaquam conſilii eſt; cùm præſertim iis cavendis diſſolvendiſque magna & ſaluberrima temporis medicina adhiberi queat. Inter hæc haberi Scotorum Concilium, eique Fratrem moderari juſſit. Multa in eo præclara & e Regis voluntate ſunt conſtituta; ſed illud inprimis omnium conſenſu, quòd ipſe Eboracenſis Regni hæres eſt renuntiatus; ſcitumque, hoc dejici jure nulla auctoritate nec niſi violatis legibus

1681.

Shafsburius in cuſtodiam datur.

Rex hiſce contentus quieſcit.

Quamquam paullo poſt Shafsburius corrupto judicio liber dimiſſus fuerit.

Eboracenſis Scotorū Cōcilio præeſt.

A quo Regni hæres pronūtiatur.

1681. poſſe. Exemplum ſequutæ duæ celeberrimæ Anglorum Academiæ, Religionis diverſitatem hæreditario adeundo Imperio nullo pacto impedimento eſſe, prolatis ſuarum gentium teſtimoniis pronuntiarunt, in iſtamque brevi ſententiam (ſternente Numine leniorem ad regnum Eboracenſi viam) undique conclamatum. Per id quoque tempus, quo hæc in Anglia majori ex parte contigere, Caſalis arx munitiſſima, non armis ſed auro in poteſtatem redacta, Gallorum præſidium accepit. Jacet Vrbs Montis Ferrati caput ad dextram Padi ripam, circumſpectatque nobiliſſimam Italiæ oram adeo opportuna, ut Mediolanenſi, Pedemontanoque Imperiis imminere videatur. Suis ipſa propugnaculis caſtelloque circumvallatur, ſed arx ei conjuncta præcipuum ad res bellicas momentum habet. Eam amplo circuitu maximiſque munitionibus complexi fuerant Mantuani Duces, obliti ſuarum non eſſe virium, Copias & belli apparatus, tuendæ idoneos, conficere ac retinere. Quare jam tum rerum periti præſenſere animo, futuram Domino ſuo, atque Italiæ non ſecuritati, quod ſibi propoſuerat, ſed vinculo ſervitutis. Nec res fefellit. Veriti quippe Galli atque Hiſpani, ne ſi alter ornandam ſervandamque obtineret, gravis inde alteri foret, ac provinciam velut compedibus vinctam retineret, eam ſibi ſtudiis omnibus utrique poſtularunt. Gallis, quibus tunc per Italiam maior fides habebatur, utpote ad eam frangen-

Britannicæ duæ celebriores Academiæ pronũtiãt, Religionis diverſitatem adeundo Regno non impedire.

Quæ ſententia ubique ab aliis recipitur.

Caſalis in Gallorum poteſtatem venit.

Deſcribitur.

Uſum ob loci opportunitatem, & munitionem expetunt Galli atque Hiſpani.

gen-

Digitized by Google

gendam minus validis, primùm credita, haud ſemel Hiſpanorum in ſe arma concitavit, repulitque, tacito Italicorum Principum plauſu, qui florentem tum temporis tumidamque iſtorum proſperitatem ſimul oderant atque obſequio proſequebantur. Deinde ſecundo & quinquageſimo hujus ſeculi anno in Hiſpanienſium clientelam conceſſit; qui cùm rebus adverſis molliti, faciliores ingenio ac moribus, omnem a ſe dilatandi Imperii ſuſpicionem amoviſſent, Carolum Ducem promiſſis delinitum, nec paria a Gallis, civili per id temporis occupatis bello, ſperantem in ſuas partes traduxerant. Ad rem conciliandam acceſſerat nuper conjuncta cum Auſtriaca Domo neceſſitudo, Eleonora germana ſua Ferdinando Cæſari a Carolo in matrimonium data, acceptaque invicem Iſabella Cæſaris conſanguinea. Itaque vix tolerata paucorum dierum obſidione (cum Gallis, ut compertum erat, prope omnia ad eam ſuſtinendam deficerent) Hiſpanis in poteſtatem conceſſerat, acceperatque præſidium, Ducis nomine, Hiſpanienſi pecunia auſpiciiſque meriturum. Dum tenuit eos lætitia dimotæ ſuſpectæ gentis ab ea munitione, ſtetit Hiſpanis integra promiſſi fides. Seneſcente autem, ut fit, beneficii memoria, haud parum exaruit argenti vena, quæ largiter in Caſalenſes milites adhuc profluxerat. Id Carolus, qui poſtremus Gonzagæ ſtirpis imperitavit, memorati Caroli filius, non ſolùm moleſte ferre; ſed minitari, hinc acce-

1681.

Gallis primùm credita.

Deinde Hiſpanis & quare.

Brevi obſidione idcirco Gallis eripitur.

Mantuæ Dux ab Hiſpanis irritatur.

1681.

Detentis penſionibus.

Curatoque, ut Duci Vaſtallienſi pro Vaſtalla ſatisfaceret.

cepturum turbandis rebus occaſionem, conſiliumque. Acuebant dolorem Hiſpani, frequentibus nuntiis poſtulantes, ut aliqua Mantuani tractus parte (ſic enim convenerat) redimeret a Vincentio Gonzaga Vaſtallenſis Ducatus jura, cujus auctore Cæſare, poſt Soceri mortem, Uxoris nomine compos fuerat. Nec minus moleſtis ſuſpicionibus impleverat ejus animum Eleonora Auguſta. Nam cùm de Caroli prole deſperatum foret, & Mons Ferratus provincia ſanguinis jure ad Eleonoram filiam, nuptam Lotharingio, pertineret, crebrò haud obſcuris ſermonibus uſurpabat, huic certum adeundæ hæreditatis iter dato Oppidi alicujus pignore aperiendum eſſe. His ille anxius curis ac ſaucius animo, cùm ſæpius emitteret voces teſtes doloris ſui, excepit ac fovit illas Hercules Mattiolus honeſto loco Bononiæ ortus, qui voluptariis artibus in Principis familiaritatem venerat, cupiebatque politicis quoque negotiis adhiberi, unde ſibi nomen & divitias faceret. Suadere igitur: Gallis iterum committendam Caſalis arcem; Illam Hiſpanos, quam modò parvipendere ſimularent, æmulo conceſſam Regi rectius æſtimaturos. Cumularent ut lubet minacibus querimoniis decurtatæ pecuniæ injuriam; utrumque citò vindicaturum Gallorum opibus atque amicitia; clariſſimoque futurum exemplo: tenujores Principes haud ſemper impunè a majoribus deſpicatui haberi. Carolus annuebat dictis, ratus Hiſpanos, hujus initi conſilii fama experrectos, ad ſe redi-

Urgente quoque Eleonora Auguſta ut Lotharingiæ Duci aliquod Montis Ferrati oppidum pro pignore futuræ hereditatis daret.

Hercules Mattiolus Carolo ſuadet ut Caſalem Gallis concedat.

Hic ſimulat annuere ut Hiſpanos excitet.

redituros; a re tamen alienus, quam dubiam & magnæ molis & ſuis incommodam vitæ rationibus arbitraretur. Sed Hercules ad rem excitandam proponendamque Legatus miſſus in Galliam, ultro de arce tradenda convenerat pepigeratque conditiones; arbitratus, Ducem adhuc ancipitem, negotii territum magnitudine, ſi confectum ac facilè explicandum intelligeret, (quod ambiguæ menti uſuvenire ſolet) gratum ratumque habiturum. Id ab Hiſpanis ut auditum eſt, illico erogata pecunia, remiſſaque acerbitate mulcere Ducis animum, componere ac retinere, ne præceps in Italiæ, Sociorumque perniciem ageretur. Ille verò Legati perfidiam aut ſtoliditatem incuſare; ſpondere ſimul, haudquaquam amplexurum, quod neque mandaſſet, & longe a ſua voluntate abhorreret. At poſtquam multùm utrinque metu blanditiiſque conflictatus in alterutram partem fluctuaſſet, tenuere illum Galli, datis centum quinquaginta ſcutatorum millibus, additaque armorum præfectura ac viginti aureorum millium ſtipendio, ſi bellum; duodecim, ſi pax in Italia foret. Turma equitum, duo millia peditum Catinatio præfecto arcem obtinuere, torpentibus Hiſpanis; adeo capit incautos animos amor præſentis otii, futurorum malorum negligentia. Hæc velut ampliſſima pacis ſpolia retulere hoc anno in Italia Galli; aliis autem in Belgio colligendis jus & togæ arma adhibuere. Metenſe Forum, de quo jam diximus, Virtovium, ac S. Me-

dardi

1681.

Hercules de hac re in Galliam legatus de Caſale tradendo pactum cum Rege init, firmatis conditionibus.

Hiſpani rei avertendæ omnia e Caroli ſententia faciunt.

Hic Herculem perfidiæ incuſat.

Caſalem denique Gallis ſpondet.

Quibus conditionibus.

Metenſe Forum Virtovium aliaque Belgii oppida Gallis adjudicat.

1681. dardi Fanum Gallis adjudicaverat. Negantibus Hiſpanis, ſuaque opponentibus jura, arma illata; nec antea ab apertis oppidis capiendis diripiendiſque ceſſatum, quàm victi malis Virtovio conceſſerint. Flagitantibus deinde, ut ſi quid aliud ad ſe pertinere arbitrarentur, ſemel expromerent; aliquod ſe pacis bono perpeti malum poſſe: intolerandam verò eſſe diuturnam eorumque manſuram arbitrio ſolicitudinem imminentis quotidie mali; anceps reſponſum datum, quòd ſtatim de Chyniaco circumpoſitaque ora tradenda Metenſium Judicum pronuntiatio conſequuta eſt. Et tradidere Hiſpani. Sed Aloſtum cum triginta circùm oppidis deinceps poſtulatum fregit invictum patientiæ robur, quo adhuc ad aſperrimas plagas obduruerant. Illud Galli idcirco repetebant, quòd, cum dudum armis captum in poteſtate habuiſſent, nec ullus ejus reſtituendi fieret ſermo in Noviomagenſibus actis; ſibi dimiſſum fuiſſe interpretabantur. Quamquam reponebant: Hiſpani, cautum ibi, ut immunita oppida (& erant hujuſmodi, quæ petebantur) ad priſtinos redirent Dominos. Anceps Judicium erat, & in alterutram partem difficili verborum ſenſu, hominum favore diſtrahebatur. Interea muſſitare Galli: ſe, dato ſibi Luxemburgo, ea oppida, & quicquid reliquum in controverſiam venerat, dimiſſuros. Id ubi Hiſpanis cognitum, timor ſubiit ne quod deſiderio præceperant, re molirentur. Itaque ad tanti momenti propulſandum periculum con-

Ab Hiſpanis traduntur.

Galli rurſus Chyniacum ſibi adjudicatum petunt, & obtinent.

Aloſtum deinde repetunt.

Hiſpani negant.

Galli ſubobſcure dicunt, dato ſibi Luxemburgo, & hanc & reliquas controverſias dimiſſuros.

conſcribere milites, curare pecuniam, implorare Sociorum Finitimorumque fidem. Non unam peti urbem, dicere, ſed in hac una quidquid ſibi reliquum Belgii ſit; quod illinc, nemo ignoraret, prope ſpiritum ac vitam ducere. Non enim alium excipiendis ab Italia Germaniaque auxiliaribus Copiis, quibus adhuc extremum provinciæ caſum vitaverant, patère aditum. Proſpicerent animo, communem rem agi; nam Belgio in Gallorum ditionem adducto nullam Finitimis fore ſalutis ſpem. Se ſe, ut videant, eniti ad impediendam regionis olim feliciſſimæ, nunc ad extremum miſeræ profligatæque, ſervitutem; verùm aliena deſtitutos ope tanti non eſſe. Proinde colligerent ſe ſe, ac reputarent: Adverſariorum protervitatem, auctam in dies impunitate violatæ pacis, eò atrociorem in ipſos futuram, quò rerum proſperitas animos & vires addit. Verùm Batavi Britannique, apud quos eæ querelæ deponebantur, ſeu non crederent vel parvi facerent, quæ dicerentur; ſeu omnia bello minora ducerent, nihil movebant; eaque negligentia ab expediendo bellico apparatu retardabant Hiſpanos, gnaros, ſe alienis vacuos auxiliis coercendis Gallis impares fore; ſeu hebeſcentibus animis in adverſa fortuna. Quin & officiis Ludovicum aggreſſi ſegniter audiebantur; quippe qui inique ferret, malle Hiſpanos turbas ciere, quàm rem componere. Itaque legiones aliquot immiſerat, quæ ipſorum agros late popularentur, ac

1681. *Hinc Hiſpani plurimùm commoventur.* *Finitimos ad arma concitant.* *Britanni ac Batavi a bello abhorrent.* *Quocirca Hiſpani bellicos apparatus negligunt.* *Galli Belgium populantur.*

1681. Luxemburgo intercluderent iter ad commeatus, quum id ſe poſſe, videri vellet. Et jam ſæpius eluſa paganorum induſtria, per ignota viarum quidpiam alimenti ſubmittentium, gravior in dies annona efficiebatur, atque Oppidum prope interitum erat; cùm illinc Copias decedere, & quidquid per ea loca ab conſtituta Noviomagi pace in ſuam ditionem redegerat Ludovicus, audito a Turcis bellum Cæſari imminere, confeſtim dimitti juſſit (quod in ſequenti anno contigit) edixitque: Britannici Regis arbitrio controverſiis omnibus cum Hiſpano ſe finem impoſiturum, ne moram, quin Cæſari opem daret, inieciſſe videretur. Non defuere tamen qui proni ad omnem virtutis invidiam exiſtimarent: veritum illum publicum odium ea deſeruiſſe; commodè, ubi vellet, repetiturum, cùm flamma Turcici belli, vorando latius debaccata, non facilè extingui potuiſſet. Interea Germani variis ſermonibus agitaverant, quid facto opus foret ad cohibenda Judicia Metis Briſiacique inſtituta, quorum ſententiis tot iam a ſe ſe oppida dolebant abjudicata; augebatque dolorem metus, ne novis in poſterum ærumnis conficerentur. Multa in iiſdem ſermonibus de conſcribendo exercitu mentio facta; quin ejus inita comparandi ratio ex unaquaque provincia, datæquæ ſingulis partes. Quippe e ſuæ gentis dignitate rebantur eſſe, armis (cum minus verbis valuiſſent) illatas, ut putabant, injurias ulciſci, atque in poſterum prohibere.

Luxemburgum commeatibus prohibent.

Repente illinc, & ab omnibus, quæ nuper cœperant, diſcedunt, ut Hiſpani Cæſari, a Turcis petito, opitulari poſſint.

Cõtroverſias Britanniæ Regi dirimẽdas dimittũt.

Germani de refrænandis Judiciis Metẽſi & Briſiacenſi deliberãt.

Alii armis agendum putant.

1681.

re. Frequentior tamen, eaque vicit, ſententia invaluerat de controverſiis per Legatos finiendis componendiſque. Hanc Ludovicus ea conditione propoſuerat, acceperantque alii, ſi interim manerent quæ geſta forent.

Sed ſtatuunt omice, & per Legatos. In id cum Galliæ Rege conveniunt.

Dum Francfurtum ad Menum colloquii ſedes eligitur, & poſt longas ambages inter Germanos convenit, ius Legationis in eo Conventu ſingulis Octovirorum, reliquorumque ſuæ gentis Principum, liberarumque Urbium, præter Cæſarem, fore;

Germani variis inter ſe diſputationibus diſtracti, mittere Legationes cunctantur.

Rex, mora temporis facta, plures ſilentio Copias dimiſerat per Alſatiæ loca, firmaveratque frequentibus præſidiis atque omni re bellica Munitiones, quas, fallendo Vicinorum incuriam, ornandas inſtaurandaſque diceret ſuſcepiſſe; ſimul in eos ex mentione ac ſpe concordiæ induxerat ſecuritatem, ne quid hoſtile interim ſuſpicarentur; turpiter oblitos: nihil cuiquam eſſe a potentioribus tutum, niſi caventi.

Interim Ludovicus Rex milites in Alſatiam ſubmittit.

Ubi maturum viſum eſt, nec poſſe rem longius traduci, quippe Legationes jam ad colloquium diſceſſerant, ineunte autumno Legiones (duodecim fuere tum militum millia) e circumjacentibus præſidiis in Argentoratenſium fines extemplo adducuntur. Duo caſtella urbi proxima utramque Rheni ripam atque interjacentem pontem complectebantur. Ea ut in pace, rebus pluribus imparata, vixdum oppugnari cœpta, voluntaria deditione in Gallorum poteſtatem conceſſere.

Intrant Argëtoratenſium ditionẽ & duo Caſtella capiunt.

Deinde milites Argentoratum admoventur, ferrum flammamque minitantes, ni-

Argentorato admoventur.

1681. ſtatim cedat. Cives improviſo metu perculſi non arma expedire, non machinis inſtruere propugnacula, ſed Legatos oratum mittere, quid ſibi vellet

Urbs in deditionem vocatur.

hoſtilis impetus pacis tempore pacato in ſolo. Reſponſum: Urbem Alſatiæ caput, Regi Ludovico Monaſterienſi ac Noviomagenſi fœdere debitam ejus nondum imperio ſubjici, iniquum videri. Quare bonis auſpiciis volentes lubenteſque legitimum imperium facileſque conditiones, regiæ in ipſos liberalitatis benevolentiæque argumentum, accipiant, ac malint periclitari clementiam, quàm iracundiam Principis, cui nihil ſpreto beneficio durius, & æquior inde ſæviendi ratio. Spatium ad deliberandum petentibus triduum datur, quo futuræ potius deploratio ſervitutis, quám conſultatio fuit. Nam

Cives indefenſi ſe dedunt.

cùm ad declinandum fatale vulnus nec ſuæ, nec in præſens alienæ vires improvidis ſuppeterent; pateretque nihil fore medium inter excidium atque obedientiam; pacti ſuas leges ſuamque religionem,

Quibus conditionibus.

portas aperuere. Catholico ſolùm Epiſcopo ſedes ac primarium Templum reſtitutum. Id enim Ludovico ſolemne fuit, aucto Imperio augere ſimul veram Dei Religionem; qua pietate apud æquos rerum æſtimatores lenivit ſæpius adverſam ambitionis nimiæque regnandi cupiditatis famam. Quæ quidem tanta rei obtinendæ ſecuritate geſta ſunt, ut Rex

Rex deditionis certus illuc ſe iturum prædicit.

nondum allato deditæ urbis nuntio iter ad obligandos ſacramento cives indixerit, ac ſtatim arripuerit ingenti pompa victoris in ſpeciem; gratulatus ſibi

ſibi partam ingenio magni momenti prædam. Germani, poſtquam ea de re auditum eſt, variis animorum motibus impellebantur; metu, ne longius graſſaretur eadem procella; ira, ob nobiliſſimam opportunamque urbem nullo negotio ſibi ereptam; pudore, quia minores fuerant inflicto vulneri declinando. Et hæc omnia diverſo quamvis conſilio bellum ſuadebant. Attamen Gens natura in furorem præceps, & contra aliorum ſagacitatem, qua ſe videat illuſam ſuperatamque, eò ferocior quò impar, ſuſtinuit ſe ſe, ſimulatoque pàcis deſiderio Legatos Conventui, finiendis controverſiis indicto, adeſſe juſſit; eò uſque rem diſceptando productura, quoad ex Hungarici Concilii eventu conſilium caperet, firmaretque dubiam, in quam inclinaret ſententiam, mentem. Nam cùm adversùs duos potentiſſimos Reges duplici ſimul implicari bello æque grave ac periculoſum videretur; ut certa, ab alterutro abſtinendum eſſe; ſic utrum, ſua magis intereſſet, gerere, pendebat animi; interim in Pannonicum tumultum intenta, quem demum ſedari poſſe, quamquam Turcæ Dacique ei faces jam manifeſtò ſubjicerent, ſpe adhuc plurima tenebatur. Unde verò atrox ſeditio, & quibus auctoribus initium duxerit, ſi longiùs repetam, operæ me pretium facturum puto; quippe quam celeberrima fortunæ viciſſitudo conſequuta fuerit; & rerum maximarum origo (ibi ſæpius aperiente ſe fato) poſteris magna prudentiæ

præ-

1681.

Germania ea de re ſolicita.

Attamē ad quietem ſpectat, & Legatos ad Conventum mittit.

Præſtolatura, quid rerum Hungaricarum futurum eſſet.

Ne duplici bello implicaretur.

Hungaricarum ſeditionum origo.

Digitized by Google

1681. præbeat documenta. Pannoniæ Reges latiſſimis olim finibus imperitabant. Hungariæ provinciæ accedebat Dacia (quæ nunc in tres partes dividitur, adſcito Moldaviæ, Vallachiæ, Tranſylvaniæque nomine) Servia, Boſſina, Croatia, Sclavonia, Dalmatia; regnumque ab Carpatiis montibus, quibus a Polonia Ruſſiaque dirimitur, ad uſque Adriaticum mare; ab Styria, Auſtria, Moravia ad Thraciam Bulgariamque per ampliſſima terrarum ſpatia protendebatur. Gens ingenio, inſtitutis, corporum robore atque exercitatione bello apta & armis læta, faſtidit æque libertatem ac ſervitutem, utriuſque artium ignara. Inſita enim Procerum ac Potentiorum animis æmulatio æquatam auctoritatem ferre nequit; & unius imperium, ſi grave, reſpuunt; ſi mite, negligunt. Hinc non rara apud eos defectio facileſque motus; ut frequentioribus nulla propemodum Natio fluctuaverit. Reipublicæ forma ad ipſorum mores accommodata. Nobiliores urbes ſuis legibus ſuiſque Magiſtratibus parent. Oppidorum plurima in fiduciaria ſunt Procerum poteſtate. Magna Concilii auctoritas; maxima Regis; qui tamen calatis Comitiis priſco gentis more creatus populis moderabatur. Ab decimo reparati Orbis ſeculo, quo Stephanus vir ſanctiſſimus ac Superûm deinceps honoribus decoratus, regiam dignitatem Apoſtolicæ Sedis munere in Familiam induxit, uni eidemque Domui per annos trecentos imperium commiſſum eſt vel benevolentia vel ob re-

Veteres Pannoniæ fines.

Gentis indoles.

Reipublicæ forma.

Quibus paruit.

regnandi conſuetudinem extincta aliorum invidia. 1681.
Per duo deinde ſecula ſeptem alias pervagatum Familias, poſtremò in auguſtam Auſtriorum Domum conceſſit. Hauſto enim altis paludibus Ludovico Rege poſt acceptam Mohatienſem cladem, qua Hungarorum exercitus occidione deletus eſt, Ferdinandus, quinti Caroli Imperatoris frater, cui Anna Regis ſoror ea nupſerat conditione, ut exareſcente penitus alterius ſtirpe, regnum in ſuam ſuæve gentis ditionem concederet; qua lege inimicitias acerbiſſimaſque pro imperio contentiones depoſuerant; cùm hæreditatem adire vellet, obnitentem habuit Joannem Cepuſianum Tranſylvaniæ Regulum, Vaivodam vocant, quem magna Procerum pars Comitiis habitis mortuo Regi ſuffecerant. Quamobrem itum ad arma; occupatæ invicem urbes ac munitiora loca; diviſiſque populorum ſtudiis jacta diſcordiarum ſemina, quæ nondum poſt duo fere ſecula exaruere. Vaivoda, cùm ad refrænandos Germanorum impetus eum vires deficerent, Solymani Turcarum Principis imploravit opem. Ea confirmatus, Hungariæ partem, quæ ſibi acceſſerat, pace ſequeſtra retinuit, pactus tamen, jure bono ad Auſtriacos redituram ſe mortuo, etiamſi liberos ſuſcepiſſet, quos aliquo ſolùm Comitatu e Regis liberalitate donandos eſſe. Conjuge vita functo, Iſabella, Sigiſmundi Poloniæ Regis filia, regnum pupillo ſuo Joanni Sigiſmundo, Solymano rurſus accito, e Procerum ſententia

Quomodo in Auſtriacam Domum Regnũ illud pervenit.

Adverſus Auſtriacos Joannes Cepuſianus Rex eligitur.

Hinc bellũ exortum.

Et futurarũ diſcordiarum ſemina.

Jo. Vaivoda Solymani Turcarum Regis opem implorat.

Pacem cum Ferdinando Auſtriaco facit; quibus conditionibus.

Joanne mortuo Iſabella Regnum filio retinere ſtudet, Solymani ope.

1681. tia ſervare ſtuduit. Is apertam ſibi ſuperioribus annis Pannoniam deſeruiſſe dolens, datam iterum ejus occupandæ occaſionem tenuit; fraudem, ut moris Barbarorum eſt, meditatus. Inducto enim exercitu, præſidioque tutelæ nomine validioribus oppidis impoſito, Puerum in Tranſylvaniam, vix ei fiduciariam conceſſam, ab Hungaria detruſit; dato barbaricæ fidei documento. Auſtriaci, dynaſtarum culpa, regni parte fraudati, ſeverius in iſtos agere; hi exacuere domeſtici Regis deſiderium. Hinc per intervalla temporum ſeditiones; relatiſque perfidiæ pœnis aucta in Germanos odia, quibus recruduere animi; paratoque a Turcis auxilio, ſibi perniciem, Patriæ ſervitutem, Regi moleſtias peperere. Ad reliqua acceſſit Religionis diſſidium; quo nullum avertendis a legitimo imperio mentibus præſentius venenum eſt. Falſis enim in Hungariam invectis Lutheri, Calvini, aliorumque placitis Cives in partes diſciſſi, repertique partibus duces non tuendæ Religionis cauſa ſed dominandi cupiditate. Ita per varias ambages ad Leopoldum Cæſarem perventum eſt, alternantibus, ſeſeque invicem provocantibus Germanorum ſeveritate, Hungarorum ſeditione. In eum conjuravere Procerum potentiſſimi, clam primùm Popularibus ad tumultus, Barbaris ad eos confovendos ſolicitatis; quòd cùm illi negarent, ſuſpecta ſibi plurium Conjuratorum fide, quorum familias vehementer ad hanc prope diem infeſtas habuiſſent;

Is inducto exercitu Pannoniæ partem occupat, quæ Pupillo parebat.

Data ipſi Tranſilvania jure fiduciario.

Auſtriaci ob id in Proceres deſæviunt.

Unde frequentes ſeditiones.

Fomentum addit Religionis diſſidium.

Prima in Leopoldum conjuratio.

illi

1681.

illi ad inſidias ſe convertère, ferro, flammis, veneno, quà commodiùs licuiſſet; mortem Cæſari molituri. Sceleris patrandi cauſa non eadem omnibus; Petro Sdrino repulſæ dolor, quam tulerat in Caroloſtadienſis Præfecturæ petitione, quamquam haud vulgaria forent ſua ſuorumque in rempublicam merita; ſed regionem Turcis finitimam inquieto audacique homini credere, plenum periculi, manente fœdere, viſum fuerat. Franciſco Nadaſtio regni ſupremo Judici augendæ fortunæ ſpes. Chriſtophoro Frangipano, & Franciſco Ragotio magnæ, quæ ipſis cum Sdrino intercedebant, neceſſitudines, cujus ille Sororem, hic Filiam matrimonio ſibi copulaverant. Unus tamen ab omnibus color obtendebatur, negata ſcilicet de rebus ſacris opinandi libertas; arces externo milite communitæ; ſublata creando Regi, qualemcumque vellent, comitia, idque juris deletum; quod vulnus Civium animis alte infixum nunquam profectò cicatricem duxit. Cæſar, patefacta conjuratione, auctores in vincula conjici juſſit. Capti Sdrinus, Nadaſtius, Frangipanus, crimenque falſi, capite pœnas luerunt. Ragotius, aliique Procerum, quorum inter audaciores Stephanus Tehelius Chermachi Comes, ejus Emerici pater, qui mox tantam Hungarici tumultus flammam, qua penè regnum abſumptum eſt, concitavit, fuga ſibi conſuluere. Singuli in ſuæ ditionis oppida progreſſi, deſperata venia ferociores, populos ad ar-

Sdrinus Nadaſtius Frangipanus Ragotius ejus capita; & quare.

Quas cauſas conjurandi obtendunt.

Sdrinus, Nadaſtius, Frangipanus ſecuri percuſſi.

Ragotius, Stephanus Tehelius, aliique Proceres ſuis in oppidis ſe communiunt.

1681.

Seditionē inflammant.

ma concitarunt. Simul pluribus locis rebellatum eſt, expletaque cœdibus & populatione crudelitas atque avaritia.

Victi a Germanis plures quieſcunt, Ragotius præcipue.

Sed cùm diviſi, & ſuo quique ingenio hæc agerent, facilè a Germanis oppreſſi diſſipatique. Ragotius acceptis conditionibus otium ac veniam impetravit, non ita multò poſt vita functus.

Tehelius Arvæ obſeſſus moritur, clam prius emiſſo Emerico filio.

Tehelius dum Arvæ obſidione concluditur, diuturnis laboribus confectus fato ceſſit, clam prius emiſſo ſubductoque hoſtibus Emerico; lætus, eo ſuperſtite mortis vindicem ſe ſe habiturum, cùm indole, quamvis puerum, noſſet rerum novarum avidum & capacem.

Turcæ tumultuantibus, quamvis vocati non adhæſere, Cretico bello & inteſtinis diſcordiis occupati.

Cœteri metu fracti quievere; cùm Turca, magnis quamquam promiſſis magniſque obſecrationibus tentatus, nihil moveret, Cretico bello inteſtiniſque diſcordiis occupatus.

Hungaria privilegiis prope nudatur.

Leopoldus, nefarii criminis occaſionem nactus, regno fere in provinciam redacto, Germanicis Legionibus urbes tenuit, abrogavitque duos potentiſſimos magiſtratus;

Palatinus & magnus Judex potentes Magiſtratus abolentur.

quorum alteri, Palatini nomine, Domi militiæque; alteri juri dicundo ſupremum ſecundùm Regem imperium erat; publicam tranquillitatem extra turbarum aleam collocaſſe ratus, reliquias ſeditionis, quæ animis potius, quàm armis retinebantur, contempſit; infauſto conſilio: nam priſtinum manet odium, & pœnæ timor diligentiùs acuit animos ad res miſcendas, cùm nulla ſit alia ſalutis ſpes.

Seditio inſtauratur.

Nec ſecus accidit. Orto enim Gallico bello cùm legiones ad Rhenum deductæ prope vacuam Germano milite

Hun-

Hungariam feciſſent, perduelles ex intervallo re- 1681.
fectis viribus ac re bellica inſtaurata, confeſtim ad arma conclamarunt. Ne verò ut pridem in diverſa diſtracti minus poſſent, in unum coaleſcere corpus, unumque ſibi ſummo cum imperio ducem imponere ſtatuunt. Paulo Verſeleno avita nobilitate magnoque animo, ſed inexperto atque impari, munus datur. Is auctus ingenti Sarmatarum manu (quam Gallicis præfectis inſtructam, prædæque inhiantem, conſcripſerat ducebatque Bohani Dominus, Regem ſuum, revocando in Pannoniam militum Cæſarianorum partem, belli mole ſublevaturus) Eperias invaſit. Pulſus mœnibus profligatuſque, Germano, qui concurſu e præſidiis facto ſuppetias venerat, terga fugientium cędente, in Tranſylvaniam ſe abdidit. Ipſo infelici eventu, qui aqud tumultuarios milites, ducis virtutem ſola penſantes fortuna, inexpiabilis eſt, exauthoratus deſeritur, ſupremaque rerum poteſtas committitur Emerico Tehelio; quem æque magna vitia magnæque virtutes, ut maxime perduellium Imperatori conſentaneum eſt, commendabant. Nulla in eo fides; nulla certi honeſtique ratio; fraus pluſquam punica; & obtento pacis deſiderio, ſtragium & belli amor. Cæterùm conſilii potens, idemque ſtrenuus agendo quæ conſilio explicaſſet; tanta verò ſolertia, ut dum quidpiam ageret, alia moliretur, nulli fidens fortunæ; qua proſpera ſic uteretur, ut adverſæ meminiſſet; ſic

Ab Seditioſis dux creatur rebus agẽdis Paulus Verſelenus.

Sarmatarum manum conſcribit.

Eperias invadit.

A Germanis fugatur in Tranſylvaniam ſe recipit.

Ab ſeditioſis exautoratur.

Emericus Tehelius dux eligitur.

Ejus indoles & mores.

Digitized by Google

1681. aduerſa, ut proſperæ ſe reſervaret & crederet non defuturam. Hunc noverat regendis eorum animis idoneum, & magnæ indolis adoleſcentem Michael Abaffius Tranſylvaniæ Regulus, apud quem exulabat; propoſueratque feſtivo ſuſcipientibus plauſu ducem, tum religionis ſimilitudine (nam utrique e Calvini Secta) tum pari in Cæſarem odio gratum ei Principi, a quo benevolentiæ argumenta retulerant, auxilium præſtolabantur. Coactis eo adnitente ſeptem equitum millibus, ſuperiorem Pannoniam longe lateque depopulatus, primum poſuit delati muneris tyrocinium. Succeſſu, recreatiſque præda militibus; ſe pecunia, qua plerique vaſtitatem redemerant, aucto, lętus & audacior dum majora minitabatur in omnem fortunam intentus, Legatos ſimul ad Turcarum Regem Mehemetem, ſimul ad Leopoldum Imperatorem mittit, oratum ab altero exercitum & patrocinium, ab altero veniam & conditiones. Lentiæ a Cæſare, ubi tum fortè diverſabatur, auditi. Oratio fuit querentium potius, quàm ſupplicantium. Gentem ſuam, dixere, tot jam calamitatibus labefactatam, tandem iis ultra ſuſtinendis imparem redditam. Aucta non modò innutriendis Legionibus tributa, ſed cumulata Tribunorum militum aſperitate, qui rapinam ſtipendii loco ſibi eſſe ducant. Verùm ut ut parſimonia deſperatoque Majorum ſuorum ſplendore nitantur rerum anguſtias explicare; an ſpoliari priſtina dignitate, ac prope in ſervitutem redigi, æquo animo

A Michaele Abaffio Tranſylvaniæ Principe propoſitus.

Pannoniam populatur.

Legatos ad Leopoldum Imperatorem, & ad Mehementem Turcarum Regem mittit.

Ceſar Lentiæ legatos audit.

Ipſorum oratio.

animo ferre poſſint? ſublata creando Regi comitia ſe 1681.
præterire; nam Regno hæreditatis jure in Auſtriacam Domum traducto, non ſibi eſſe liberum expoſtulare tantam felicitatem, quamvis ærumna partam. Gratum tamen & jucundum fuiſſet, ferendis in eam libere ſuffragiis ac populorum voluntate, beneficii rependere vicem potuiſſe. Palatinum quidem ſplendidioreſque magiſtratus fuiſſe reſtitutos; at iis tantùm deferri, qui popularis excidii vel negligentes vel auctores; non, ut olim, populo apud Regem patroni ſint. Ea verò quis non altiùs impreſſa dicat veſtigia ſervitutis: direptiones, publicationeſque bonorum, exilia, carceres, mortem, atque undique externis militibus circumſideri, qui quamvis juratis legibus Hungaria prohibeantur, nihilo tamen ſecius ante Gallicum bellum provinciam inundaverint, nunc arces & præcipuas urbes obtineant; Idque non hoſtium metu, florente pace, ſed Civium, quos hoſtili eſſe animo putent; quibuſque in hanc ſuſpicionem adductis nihil idcirco metuendum non ſit; & metus, præſentia periculi, malorum expectatione, omni ſupplicio durior habeatur. Quòd ſi hæc quoque Cives patientia vincerent, ac tantis ſufficerent calamitatibus; illud videri penitus intolerandum, quòd colendi, qua velint, Deum religione libertas eripiatur. Non ſe ſe abjectos adeo, nec ita meritos, ut qua finitimæ pluresque aliæ Nationes perfruantur, careant ipſi, ac tanto impoſito vulnere contabeſcant. Neminem fugere, cultum

re-

Digitized by Google

1681. rerum ſanctiſſimarum aut liberum eſſe aut nullum: Non enim externis cœremoniis, ſed mentis, quæ vi non flectitur, obſequio contineri. His tot tantiſque malis orare ſe ſe a Cæſare levamentum, implorare fidem, clementiam obteſtari; idque eò fidentiùs, quò ſe ad arma contulerint non ſcelere, ſed ut vitæ, fortunis, religioni providerent; & miſeriis, ne dicant injuriis, læſi doluerint, pugnaverint laceſſiti; cùm dolor auferat mentem, & ſit natura moderatis animis conſilioque inimicus. Modò cùm quidpiam ab æſtu ægritudinis ſe receperint, libenter confugere in ſinum Principis, dare ſe in tutelam. Si velit Hungaros eſſe, meliori eſſe conditione jubeat. Ut modò ſunt; nec vitam reputare, quam tot moleſtiis affectam vivant; nec Patriam agnoſcere, tot vulneribus fœdam & ſordidatam. Quæ olim ſuæ Gentis magnitudo animi ac bellica virtus fuerit, neminem ignorare; eamdem vigere adhuc, ingeniis natura inſitam, altam Majorum gloria & exemplis. Utatur igitur adversùs hoſtes, nec ſinat, generoſa indole viris in omnem miſeriam detruſis aut cadere animos, aut odio iraque efferari. Utrumque incommodum Principi. Nam populorum inertia debilitantur publicæ vires, feritate dubiaque fide occupantur. Superba & ferox oratio Cæſari viſa eſt, injecitque ſolicitudinem, qui hæc loquerentur, habere unde ſibi tantam arrogantiam ac tantos ſpiritus audacter ſumerent. Attamen compoſitus animo &

Cæſaris reſponſũ. vultu, tempori ſerviens, utque erat mitiſſimo in-

ge-

genio, benigne Legatis acceptis reſponſum dedit. 1681.

Renuntiarent, res Hangaricas, & Civium querelas curæ ſibi fore. Totius Gentis Concilium mox habiturum, ubi quiſque remedia proponat, quæ ſibi componendis rebus ſalubriora videantur.

Concilium promittit.

Se quoque affuturum ea mente, ut in omnium oculis ponat, cultam ſe velle regiam majeſtatem non ſuorum incommodis ſed obſequio. Dein petentibus, inducias & locum hibernis conceſſit; monuit quietem agere ac meminiſſe: cœtera placabiliora; illud inexorabile, clementiam Principis in ejus perniciem vertere. Vere adulto iter in Hungariam arripuit.

Dat inducias, & locum hibernis.

Edimburgum ad Concilium pergit.

Edimburgi eo coacto Concilio, unde hactenus digreſſi fuimus, Cives illico demereri cœpit, juſſo Jaurini Antiſtite, cùm populo non ſatisfaceret, Palatinatu ſe abdicare, ſuffectoque Paulo Eſtheraſio; quem flectendi mulcendique animos potentem, magnæ clientelæ; amor Patriæ dexteritaſque ingenii gratum omnibus; ſtudium recuperandæ Reipublicæ ac rerum peritia, opportunum fore, ſpem dabant.

Jaurini Antiſtes ejus juſſu Palatini magiſtratu ſe abdicat.

Paulus Eſtheraſius ſufficitur.

Nec defuit illi animus & induſtria. Nam cum Tekelio ſtatim per literas egit: quid ſui vellent, convento Concilio, poſtularet. Miſſi qui dicerent: Regni jura ſarcta tecta ſervatum iri, nec ademptum Sacrorum libertatem: Thraci provinciam vectigalem fieri; non enim ſibi liberum eſſe repetere datam fidem.

Tekelium factioſoſque ad Concilium vocat.

Legatos mittunt, eorumque poſtulata.

Iniqua poſtulata, miti quamvis reſponſo, Cæſar repudiavit. Ratus autem plura peti, ut quidpiam daret, Concilio deliberandum pro-

Repudiantur.

De permittenda Religionum libertate in Concilio agitur.

1681. proponit, an falſis religionibus aliquid remittere, pacis bono, e republica exiſtimaret. Magnis diſputationibus res in longum producta communi Partium ſtudio, non tamen eadem meditantium. Cæſar in animum induxerat fatigare perduelles, ut demum tædio victi æqui bonique ducerent minoribus conditionibus acquieſcere. Emericus a Bizantio literas expectabat, quæ ſibi ex Legationis eventu ad moderanda conſilia facem præferrent. Illuc interea Legati pervenerant conveneruntque Purpuratorum Principem (Viſirium patria dicunt voce) Caram Muſtaphum, ad quem literis nuntiiſque Abaffius Tranſylvanus aditum aperuerat. Summa dicendi fuit: Pannonios potentiſſimo Turcarum Imperatori commendare ſe in clientelam; cui conciliandæ perpetuò in annum quadraginta aureorum millium tributum perſoluturos; quodque tributo majus, ſtabile obſequium & fidem. Regem quoque vetuſto Gentis more conſtituendum, Patroni dicto audientem fore, ex ejuſque voluntate imperium ſuſcepturum. Si cogitet ſecum ipſe, imminere Germaniæ Italiæque tantam Hungariæ partem, quæ nunc acerbam Auſtriæ Dominis ſervitutem ſervit; ſimul profectò cogitaturum illam ſocietate cum Turcico Imperio conjunctam magnum ipſi ornamentum, majorem utilitatem allaturam. Hinc enim ad opulentiſſimas provincias latam patère viam, ad æmulas infenſiſſimaſque Nationes ſubigendas certam recludi ſpem. Non ſe latère, bellicam Turcarum

Tehelii Legati Viſirium adeunt.

Abaffio viam aperiente.

Ipſorum ad Viſirium oratio.

carum vim difficultatibus acui, & quantum ei certaminis, tantum ſplendoris gloriæque dari. Nunquam tamen fortiſſimos viros mollitum ſubactumque ſibi ad triumphum iter declinaſſe; nam fortitudinis eſſe, obire pericula; temeritatis, contemnere. Et illud pariter exploratum habere: rejectas pridem ſuorum Legationes, nec mentem promiſſis adhibitam; proinde ſibi timendum eſſe, ne nunc etiam (ut facilè exemplis movemur) irrita & vana ſit. At multùm intereſſe, per quos promiſſa ferantur, fœdus percutiatur. Hungarorum Nobiliſſimos, quos inter Emericum Tehelium gentis ſuæ facilè principem, fœdus petere, ipſorum arbitrio ſe permittere; qui nec peterent, niſi utile exiſtimarent; nec offerrent, niſi quidpiam Turcis emolumenti daturum crederent. Non enim adeo imperitos ac rerum ignaros eſſe, qui neſciant: unum haberi apud omnes fidei vinculum, utilitatem. Quòd ſi velit expendere vires Conjuratorum, nequeat profectò parvipendere: cùm eæ ſolùm, quæ modò ſunt, valeant non minus decem millibus armatorum. Vix dum autem Turcarum patrocinio fultos ſe viderint, nullum fore oppidum, nullum vicum, domum nullam, quæ milites non effundat, raptos ad arma Germanorum odio, Patriæ charitate. Si robur excutere ac militarem diſciplinam? rumore nuntio intelligere potuiſſe, quo nuper impetu, nulla detenti locorum aſperitate, provinciam pervagati, terrorem, cędem, vaſtita- 1681.

1681. tem fecerint. Cum igitur efferat ſe ſe ab omni parte bene ac feliciter gerendæ rei occaſio, arripiat atque annitatur, ut ſuæ gentis virtus reliquis nationibus ſaluti ſit, fortuna felicitati. Datas ipſi præcipuas partes ampliſſimi Imperii adminiſtrandi, non ut illud otio corrumpat, ſed ut gloriam famarerum geſtarum, fines armis amplificet. Hanc de ſe commotam expectationem magnificis factis ſuſtinendam ſibi eſſe ac reputandum: nihil iniquius in rebus humanis hominum opinione; quippe quæ ſerò diuturnis laboribus concilietur; inertiâ, aut ſi ſemel fallat, extemplo concidat. Tenuere Legatorum dicta Muſtaphi animum, jamdiu cogitantem: domi lubricum dubiumque magiſtratum ſe gerere, patentem Aulæ inſidiis, obnoxium ſpadonum ac mulierum gregi, qui quò minus vi pollet, eò ferociùs ingenio ſævit. In caſtris, dum adhuc in ancipiti bellum eſt, nonniſi magno reipublicæ periculo impelli poſſe; triumphali autem ornatum laurea (metu an amore) facilè deinceps tenere poſſe locum ſuum. Meminerat hac arte uſum Chiuperlium ingens Othomanicæ potentiæ lumen; quem diu multùmque æmulorum jactatum fluctibus Cretenſi bello victoriaque ſe confirmaſſe. Incerto, quò bellum admovendum eſſet, occurrebant Sarmatæ, ob diſſolutam fortiſſimæ gentis diſciplinam, tardoſque, obedientiæ neglectu, militares apparatus, non adeo difficiles ad expugnandum. Sed provincia, frequentibus Scytharum populationibus, incuriaque

Legatorum oratio movet Muſtaphi Viſirii animum.

Occaſionem belli arripit utilem ſibi, & quamobrem.

Apud ſe deliberat quò bellum inferri poſſet.

excludit Sarmatas & qua ratione.

Ci-

Civium plerumque opum modica, non explendæ Regis avaritiæ, non Aulæ Procerum (quibus ni partes dederis, omni præda cedendum ſit), non ſuæ ſatis eſſe videbatur. Perſæ in mentem veniebant, divitiarum potentes, ac mutato gentis more diffluentes otio deſidiaque. Verùm commune religionis nomen, quod nihil apud Noſtros lacrymabili errore, plurimùm apud Barbaros adhuc valet, ab ſociali bello deterrebat. Moſchorum inopiam, horridaque, prope ibi deficiente natura, loca impar conſulari exercitui præmium arbitrabatur. Unum erat Germanicum Auſtriorum Imperium, quod labefactandum enervandumque placeret. At obſtabant vicennales induciæ, poſtquam proſpero Germanis ſucceſſu pugnatum ad Arrabonem fuerat, initæ, quæ adhuc per triennium manebant; ejuſque cladis memoria non parum illi ardorem animi reſtinguebat. Huic adimendæ ſolicitudini explicandæque difficultati in tempore advenerat Hungarorum Legatio. Qua audita intellexit, diſciſſi fœderis culpam in Germanos, qui atrociter divexare ſocios vulgabantur, conferri poſſe; & eorum vires adulta jam & confirmata hujuſmodi ſeditione fractum iri. Itaque re ſecum ipſe commodùm expedita, Mehemeti renuntiat: ſuam fore Pannoniam univerſam, dummodo paullum det operam. Nam Procerum potentiſſimos dejecto ſervitutis jugo factaque ingenti popularium manu liberos arma circumferre, haudquaquam victoriæ ambiguos, ſi commotus ipſe miſer-

1681.

Et Perſas.

Et Moſchos.

Nihil Turcis utilius Germanico bello ſtatuit, & quare.

At obſtabant vicennales induciæ adhuc manentes.

Eas ſolvendi occaſionem dari ex Hūgarico tumultu, & quo argumento.

Mehemeti Regi bellum iſtud ſuadet.

Movēdi rationes, utilitatem, facilitatem addit.

1681. ſerrimæ gentis calamitate inducat animum ſuppetias ire. In id Legatos miſiſſe, qui dicant, ex uno ejus arbitrio Hungariæ fatum pendere. Miſeram fore, ipſe ſi neget opem; & ſi ſtatuat labantem ſuſtentare, jacentem erigere; moveat exercitum, in ejuſque propulſando periculo ponat operam. In hanc partem, ſi conſulatur, ſe conſilium dare; cùm putet, magnanimi Regis eſſe, perniciem ab aliorum cervicibus, ubicumque inferatur, depellere; ſtrenui, dominandi fines amplificare; ſolertis, in rem incumbere, dum fert occaſio. Repetat Majorum ſuorum memoriam; tenebit profectò, non aliis artibus tantam illos Imperii molem conſtruxiſſe; natura verò comparatum eſſe, ut quibus parta ſunt artibus, iiſdem Imperia retineantur.

Reſpuit Mehemetes.

Trux oculis, aſpectuque horridus audierat illum Mehemetes, graviter ferens incommodam voluptatum illecebris, in quas penitus ſe immerſerat, orationem. Jam enim apud ſe tacitus conſtituerat, mollem otio ac ſenſuum blanditiis ætatem agere; percellebatque mentem recordatio Creticæ expeditionis, quæ tantas abſtracto ſibi e Regiæ ſinu, ac prope ſub pellibus hyemare coacto, moleſtias exhibuerat.

Ejus ad Viſirium reſponſum.

Nihil moratus, reſponſum dedit: Sua ſibi tuenda; aliena curent, qui velint.

Muphtius de bello propoſito objurgare pergit, & quibus argumentis

Dictum excepit ſupremus prophanæ ſuperſtitionis Antiſtes (Muphtium appellant) qui plurimùm religione moderatur animis; cuique Turcæ primas deferunt legum cognoſcendarum. Is acri Muſtaphum ſermo-

ne

ne inſectatus eſt, bellum manentibus induciis ſuadentem. Hujus enim, quem, inquit, exitum fore putas, cujus initium a violata fide? Qua mente milites affuturos, perjurii conſcientia territos? Quam opem laturum Dei Numen, ſacrilegis armis conſceleratum? At infandum augurium in Germanos, quos primò fœdus neglexiſſe contendis, arbitraberis conjiciendum? Verùm quo id auctore, quo præde contendis? Legatis ne; incorruptum quidem teſtimonium exulcerato in veteres Dominos animo pro ſe cauſam orantium. An provinciarum Præfectis? qui ſcilicet nihil adhuc hoſtile, nullam, qua læſi fuerint, injuriam renuntiaverint. Noſtræ principem ſectæ bello atque armis favere quidem, ſed quæ non ſint ab honeſtate, a ſuorumve utilitate ſejuncta. Quæ autem honeſtas, qui fructus utilitatis, ea capere pro nefaria Chriſtianorum gente, pro fœce rebellantium, pro hujuſmodi Mortalium ſtirpe, unde nobis diſcrimina, clades, ærumnæ ſæpius, & graviſſimæ quidem, obvenere. Demum ne prohibe, ut tandem aliquando pacis quiete perfruamur; quam diu militaribus laboribus quæſitam, ſi ſtatim pereat, acerbiùs doleat periiſſe, quàm ſi nunquam exorta fuerit; ſiquidem boni ſpes deſiderium, jactura dolorem facit. Hæc Regem, ne ſe Hungarorum defectionibus implicaret, confirmaſſe videbantur. Verùm Muſtaphus, cui multùm ea res penſi erat, haudquaquam deſpondit animum. Muphtio donis blanditiiſque ad ſuam voluntatem adducto, Mehe- 1681.

metem

1681.

Viſirius clam Muphtium in ſuá ſententiam adducit. Deinde Regem iterum aggreditur.

Ejus Oratio qua plura detegit arcana Imperii.

metem, cùm primùm remotis arbitris licuit, aggreditur; ſupplex orat, ut ſe arcana recluſurum Imperii cum bona venia pacatus audiat. Facta dicendi poteſtate. Non me, inquit, Imperator, tot jam fortunæ muneribus tua liberalitate locupletatum pacis unquam tædere poteſt, quæ una ampliſſimum e tuis beneficiis reddere potis eſt mihi fructum. Nam bello corporis animique fatigatio felicitatem corrumpit. Eſſet tamen, cur me ipſius felicitatis pœniteret, niſi illam pro tua ſuſtinenda, propoſitis armis, vellem profundere. Hungarorum calamitas, quibuſcum nulla mihi vel publica vel privata neceſſitudo eſt, non me ſane ſolicitum habet; ſed quæ tibi atrox impendet, cui duo potentiſſimi civium Ordines imminent, atq; otio tuo graviter inſidiantur: Prætoriani ſcilicet, ac rerum ſacrarum Judiciorumque moderatores (Effendios iſtos, illos Janizaros patria nuncupant voce) Hi enimvero inter ſe occultis ſermonibus jamdiu conjurarunt, ut Rege vix non penitus in ordinem coacto, arbitrium Imperii obtineant vi ac religione; nam utraque apud alterutros manet; nec iis ſecluſis quidpiam eſt, quod Mortalium animos regat. Vident ſuam eò potentiam adductam, ut reliquis metum, ipſis invidiam faciat. Viribus enim ac numero Prætoriani; immenſis divitiis (quibus iſtorum Ordinem cumulavit inconſulta quædam Regum Procerumque de criminum expiatione opinio) Legum inſuper auctoritate Effendii omnia infra ſe putant. Quare ſibi ex omni parte præſidia compa-

rant,

rant, atque illud in primis tutiſſimum, quòd arma & leges ad ſui tutelam conſpirare faciant. Modò quietem agunt, quippe nihil non e ſua cadit ſententia. Ipſi honores, divitias, præfecturas in manu habent; conjunctaque cum iis, qui te circumſtant, familiaritate, ipſam videntur Regiam obſidere. At ſi quidpiam ſubtraxeris vel honoris vel liberalitatis, intueberis profectò cuncta armis, ſtrepitu, tumultu impleri. Jam ſibi ad hujuſmodi facinus execrabili exemplo ſtrauere viam, ſolutiſque duobus fortiſſimis animorum vinculis jure ac pudore, libere perbaccari, & id ſibi licere putant, quod lubet. Horror me capit in memoriam tibi revocantem, quæ in Ibraimum patrem tuum infando nimiùm paricidio auſi ſunt. Verùm & horrida, cùm documentum afferunt, nullo faſtidio verſari animo debent. Cùm ille ſeu populorum beneficio ſeu ad retinendam Principis majeſtatem modum imponeret ipſorum cupiditati, parceret ærario, nec Signa præire vellet, veritus jam ſe ſe efferentem audaciam, furiis exagitati ea perpetrarunt, quibus Othomanicum Imperium everſum foret, niſi tuis auſpiciis conſtitiſſet, ſedaſſentque Civium animos nefarii criminis auctores cladium metu, ipſiuſque religione Legis, quam id etiam ſceleris, data occaſione, ſuadere dicerent. In tantam iterum rabiem prolapſuros, nunc mihi in mentem non venit. Hoc tamen æque miſerum, prolabi poſſe, nec facilè refrænari; & parum aſ- 1681.

ſer-

1681. ſervitute diſtat imperium, quod meticuloſe atque ex aliorum exerceas voluntate; timor enim libertatem opprimit, libertate viget auctoritas. Igitur feſſis rebus quod ſit remedium? Illud profectò, quod in omni civili & naturali contagione unum eſt ac ſaluberrimum: diſſociatio; quæ modò nonniſi commoto bello haberi poteſt, Prætorianis è regia aliiſque urbibus in caſtra abductis militiæ ſacramento. Ne verò aut otium aut fraudem cogitent, quæ illos ab expediendis armis dimoveret; opportunus adeſt Hungaricus tumultus, unde expeditionis color, prædæ incitamentum. In aciem eductos contra ferociſſimos Germanos, nulla Principis querela, ferrum abſumet, unàque concidet Effendiorum potentia; cùm nulla apud Noſtros Sacrorum vis, niſi armis freta. Tunc eos quoque tibi liberum erit invidioſis opibus denudare, imbelli ipſorum conatu ad reluctandum, præclaro tibi ad eripiendas obtentu; ut ſcilicet inutili eorum opulentia ærarium ad bellum ſuppleas. Quæ cùm ita ſe habeant, quærenda tibi eſſet, Imperator, ſtudiis omnibus pugnandi occaſio; & cùm ſe offerat, repudiabis? Quod eſſet ſummis precibus Deus orandus, ultro afferentem remittes? Non iſtud utique e tua prudentia, tuaque mentis magnitudine. At prohibent induciæ? Nihil inducias moror, vanamque hominum ſuperſtitionem; quam publicæ utilitatis pediſſequam voluit Mehemetes, deditque populis ad obedientiæ; Regi ad imperii tutelam. At

im-

Digitized by Google

immenſum auri pondus in rem fuerit erogandum? 1681.
Primò, id gratum ſortem uſuraſque maximas relaturo; deinde exilis jejunique animi foret, ſe ſe a rebus ampliſſimis cohibere pecuniæ tenacitate. Quamquam nec magno auri pondere opus erit; nam bellum ſe ipſum alet; victoria inexhauſtas e feliciſſimis regionibus opes in Regiam adducet. Fortaſſe incertos belli exitus, Martemque times communem? Id autem, ſi cœteris, tibi profectò non licet reputanti florentiſſimas Imperii tui vires, Auſtriorum vel aliò diſtentas vel Hungarica ſeditione labefactatas. Unum verè potes objicere, otii ſcilicet, Aulæ, Urbis amœnitatem, quam cum militiæ fatigatione, clamoribus, aſperitate durum eſt commutare. Verùm (ſi tibi ſententia ita fuerit) & hoc prẹſtabo. Bellum ego tuis auſpiciis, tuo numine ſuſcipiam; tua gloria profligabo. E Principe ſit, ut mihi adſit Imperii fortuna; e me ut tibi fides, vigilantia, ſolicitudo. Hæc Rex diu ſecum tacitus volutavit, ingenti in alterutram partem jactatus curarum æſtu. Vicit poſtremò abſtulitque ejus animum periculi, quod ſe obiturum intellexerat, metus; cùm præſertim Muphtium, tot rationibus a priſtina ſententia dimotum, huic adſtipulari intelligeret. Muſtaphum complexus: bene, inquit, habet; fauſto Numine bellum geramus. Tu macte virtute ſis, eumque agendo curandoque negotio te præſta, quem tui cives egregiis laudibus, ego beneficiis cumulare debeam.

Muſtaphi dictis Mehemetes commotus bellum in Cæſarem decernit.

1681. Dein quotquot Purpuratorum ab diſſolvendis induciis abhorrerent, abire magiſtratu juſſit; numquam non ſuſpecta illorum fide, quibus publicæ adverſitates, cùm melius conſuluiſſe videantur, decoræ ſunt. Hungarorum Legatis reſponſum datum. Referant Suis, in fide & clientela eſſe Turcarum Regis, a quo preſtò ſibi opem futuram. Quare bono animo ſint, citò re percepturi, bene ac prudenter ſpem ſuam in eo collocaſſe, nec ſpem fefelliſſe. Ita Bizantii decretum bellum adversùs Cæſarem, quo nullum a noſtri nominis gente majori periculo in Barbaros, majori gloria ac triumpho pugnatum eſt.

Hungaris Legatis promiſſum auxilium, & in Cæſarem bellum.

Finis Libri Primi.

Li-

1681.

Liber Secundus.

DUm longa difficilique deliberatione Edimburgi conſulitur, reditus Legatorum fuerat a Byzantio. Renuntiata Legatione datoque Diplomate, quo Tehelius aliique ſuarum partium a Mehemete ſocii clienteſque appellabantur; hi certa ſubſidiorum ſpe confirmati; cùm exiiſſent induciæ, ad arma ſe contulere. Tranſylvanus, Valachus, Moldavus de hac Regis voluntate certiores facti, iiſdem illico ſubmiſere copias; prætento turbarum prædæque cupiditati ſuo erga Thracem obſequio. Junctis viribus ad quinquaginta homines millia ſuperiorem Pannoniam adorti, Bezerminum ignobile oppidum capiunt. Calum deinde aggreſſi, urbe potiuntur; arx eos tenuit fecitque moram, quoad Æneas Caprara, qui regionem cum modico exercitu obtinebat, caſtra movit, acie, quamquam numero longe impar, dimicaturus, ſi faceret Hoſtis pugnandi copiam. Sed is maturato itinere in

Hungari Legationem renuntiãt.

Tehelius adjunctis ſibi Tranſylvani Valachi, Moldavique copiis, bellum Auſtriacis infert.

Calum capit. Arx a præſidiariis defenditur.

Æneas Caprara auxiliatum pergit.

1681. Tranſylvaniam, cùm & hyems appeteret, ſe recepit, nulla præda, magno tamen proventu ob factam popularibus ſui ſpem, erectoſque dubiorum animos ad rebellandum. Quæ ubi in Concilio cognita ſunt, Cæſar ab aſperis lenibuſque remediis æque timendum, ſi non ſuo tempore adhibeantur, ratus, nunc ſuavioribus utendum ſtatuit; admonuitque, qui falſa imbutis religione nihil remittere ſe ſe hactenus obfirmaverant, ut quidpiam darent pacis bono, ac meminiſſent: quem civem nollent, hoſtem habituros; nec prudentis eſſe irritare, qui ſe poſſent ulciſci. Igitur Concilii lege interdictum quæſtionibus eſt, quæ de rerum divinarum opinionibus fuerant inſtitutæ; permiſſumque Auguſtanæ Helvetiæque, ut vocant, Confeſſionis alumnis, ut more ſuo Sacra facerent, ac ſingula per id locorum excitarent Templa, ubi frequentes degerent; deſignato tamen oppidorum nomine, ne pluribus conſtruendis licentia & fraus obreperet. Hæc non invito Cæſare; illud nonniſi magnis precibus exoratum, ut præconis haſta refrigeſceret; quæque perduellium bona publicata fuerant, ad eos demerendos, in privatum redirent. Etenim effuſam adeo in eos beneficentiam qui talia ac tam multa peccaſſent, perfidiæ incitamentum arbitrabatur. Indulſit tamen, ne unquam opinio foret, ſeveritate ſpem otii ſe corrupiſſe. Perduelles auditis conditionibus, quibus ad ſanam mentem revocabantur, ſuperbe detrectavere. Tehelius, ingenii calliditate uſus, repulſæ aſperitatem lenire ſtu-

Tehelius in Tranſylvaniam redit.

Cæſar Concilium admonet, ut ſedandæ ſeditioni quidpiam tumultuantibus concedat.

Quid ipſis permiſſum circa Religionem.

Reſtituta Perduellibus bona pridem publicata.

Id Cæſar, quamquam ægre, annuit, ne pacem impedire videretur.

ſtuduit; non pacis deſiderio, quam penitus averſabatur, ſed in utramque intentus fortunam; quod ei nunquam non ſolenne & familiare fuit; quamquam tamen inani eventu, & falſus animi. Suos, dicere, dolere quidem circumſcriptam anguſtis finibus religionum libertatem, eamque nullo firmatam præſidio adversùs æmulos atque implacabiles juſtiſſimæ rei detrectatores. Attamen ſi ſpatium tractandi animos ſibi detur, nullo pacto deſperare, quin aliquò traduci poſſint, quò res conveniat. Plura enim primo aſpectu veluti monſtra refugere mentes hominum, quæ ſi apta flexanimique oratione propiùs admoveantur, non rarò ſui deſiderium pariant. Aliquid etiam de reficienda inopi ſeditioſorum conditione ſermonis intulit, nec de ſe tacuit. Ad hæc datæ per hyemis tempus induciæ. Quibus Cæſar ita compoſitis, ingentique apparatu ad excitandam regiæ majeſtatis ſpeciem inaugurata Pannoniæ diademate auguſta Conjuge, Concilium dimiſit, juſſo Eſtheraſio negotium cum Tehelio conficere, quantùm commode, habita dignitatis ratione, fieri poſſet. Id actum egregia fide. Monuit enim per literas atque amicorum officia; oravit etiam non Tehelium modò, ſed ſingillatim Procerum, qui defeciſſent, illuſtriores familia, clientelis, auctoritate, ut ne regnum tumultu involverent, ſe periculo, cunctos calamitatibus, quas bellum affert. Aliis a Cæſare præmia polliceri. Aliis generoſam indolem atque avitam

1631.

Perduelles oblatas cōditiones reſpuunt.

Tehelius verſute repulſam Cæſari lenire ſtudet, ac mollire ſuorum animos pollicetur.

Proponit aliquod ſedandis tumultibus dari ſeditioſis præmium, nec de ſe tacuit.

Ipſis dantur per hjemem induciæ.

Imperatrix Hungarico diademate coronatur.

Concilium dimittitur.

Eſteraſius Palatinus Cæſaris juſſu quietem cōciliare ſtudet.

Quibus artibus.

tam

1681. tam nobilitatem ob oculos ponere, quibuſcum neutiquam conſentire, ut pro clariſſimo legitimoque Rege civem dignitate parem imponere ſibi velint. Falli verò, ſi putent arrogantiam & crudelitatem, quas Tehelius modò vix comprimat anceps ſui, ſi paullum ſe confirmarit, immodice non erupturas; nutriculam quippe vitiorum eſſe felicitatem. Aliis, quos in re familiari vulnus, aut effręnata divitiarum cupiditas ad ſeditioſos adduxerat, oſtendere; quam cœpiſſent, via non eò duci, quò ſibi in animo conſtituiſſent. Nam quid ſperare liceat a Prædone, qui nunc inopia laboret ſua; & ſi alienis unquam diteſcat, illa vel ſibi retinere, vel in Thracem erogare ſit opus? Quid verò non liceat a Rege potentiſſimo, cujus liberalitatem æquet fortuna, ſuperet fortunam clementia? Fuere, qui Palatini monitis reconciliata gratia ab armis ſe retulere. Plures ſuſpenſa ex eventu fide taciti, abdenteſque animum quieſcere ſimularunt. Sed rerum ſumma in Tehelio erat, apud quem, factionis ducem, auctoritatis ſequeſtrem, de diſſipandis finiendiſque diſcordiis luculentiùs agebatur. Et ille modò ſpem facere, modò eludere; ſimul datas accipere conditiones pacis, ſimul alias exquirere; ut facilè vulgus crederet, magno illum pretio venalem fore; ſed ambigi an tanti eſſet, quanti ſe cuperet venditare. Hanc verſuti hominis fluctuationem ut primùm Leopoldus cognovit, quid e re ſua foret, pendebat animi. Reum perduellionis horrebat præmiis

Procerum aliqui Cæſari reconciliati.

Plures dubii, & ex evētu rerum in alterutram partem prodituri.

Tehelius in ancipiti ſtare ſimulat.

Cæſar illum præmiis lucrari, turpe ac periculoſum putat.

miis afficere, tanquam vulnus majeſtatis & famæ detrimentum, quo maxime uno concidunt Regum opes. Ejus autem poſtulata rejicere belli teſſeram arbitrabatur. Durum erat non repetere ſeditionis pœnas, durius illam beneficiis ornare. Talia verſantem animo, ad comparandum vel iniquis conditionibus Hungaricum otium impulit eum Burgomaineri Marchio, Hiſpanienſis Legatus. Quippe ſui præcipue Regis intererat, curis ſolutum reliquis Cæſarem ad Germaniæ Belgiique tutelam revocare. Quamobrem non modò parvipendere Pannonicos tumultus, anguſtæque mentis arguere captos barbarici metu belli; ſed urgere vehementer, ne ille Corpus Imperii finitimumque Belgium deſereret, diſciſſum a Gallis & conſternatum. Cogitaret levis eſſe momenti, alpinæ Pannoniæ partem Tehelio fiduciariam permittere, laute perduelles, ut reſipiſcant, accipere; maximi verò, æmulam gentem in earumdem provinciarum viſcera penetrare; unde, ſi ſemel fixerit pedem, nonniſi extremo diſcrimine detrudi poſſit. Cur igitur vires occupet ſuas ubi nihil aut parum ſit opus; ubi ſit ingens, non occupet? & ſane ut corporis eæ primùm ad ſanitatem partes reſtituendæ, quibus extinctis abire vitam neceſſe ſit; ita & regnorum. Si pereant cætera, nullo perire vitæ periculo. At ſi mors opprimat nobiliora illa, fruſtra quæſita eſt reliquis ſalus. Non ſe fugere, plures eſſe, qui dicant, flocci fortaſſe Hungaricam defectionem fieri poſſe; imminens a Tur-

1681.

Sed æque detrimentoſum irritare.

Burgomainerius Hiſpanus Legatus Cæſarem movet, ut ſeditionem vel iniquis conditionibus componat.

Quibus argumentis id obtinuerit.

1681. a Turcis bellum non poſſe; ac ſatius exiſtimari, Barbaros a Chriſtianorum provinciis propulſare, quàm inani aut certe nimis anxio terreri Gallorum metu. Sed hæc qui dicunt, aperte oſtendere, quàm livido in Germanorum Auſtriæque Domus felicitatem ſint animo. Nam ſi re vera a Turcis metuunt, cur nos a metu non liberant, omnemque timendi adimunt occaſionem; ſedatis, quacumque re poſſit, Hungaris; quorum illi, ſeu fictas ſeu veras calamitates ulturi, bellum minitantur? & ſi nulla hujuſmodi formido tenet eos; certantque, Cæſarem, neglectis tumultuantium poſtulatis, incendere adversùs Thracem, ut in utramque Germaniam Gallorum populationibus ac triumphis iter explicent; an non eodem ſe obſtringunt proditionis crimine, quo tam ferociter Hungaros inſectantur? Si repetantur annalium monumenta, palàm fore, Noſtros nullo non tempore ingenti pretio redemiſſe a Barbaris pacem; & ſit qui bellum modò cenſeat provocandũm? aut, mitigato perduellium dolore, non reſtinguendum? Mittere ſe Gallorum aſperitatem, prędas mittere, violataque pace in ſuam poteſtatem redactas urbes. Fingatur (liberæ quippe ſunt hominum cogitationes) non eſſe de alterutro bello deliberandum; & Cæſarem Pannoniis Germaniſque libertatem dare dicendi, ſibi ne magis conferat, ad reprimendam furentium civium temeritatem cum Turcis manus conſerere; an aliqua, moleſta quamvis, cum ipſis civibus inita

ta

Digitized by Google

1681.

ta conditione ab utriſque pacem mercari. Nemo profectò erit, qui commemoratis veteribus recentibuſque ærumnis, vel indecoram pacem honeſto bello non præferat. Rara enim mirabilis illa magnitudo animi, cui nihil ſupra decus & gloriam ſit. Quare ſi pertinet ad bonum Principem, cuncta ad communem felicitatem referre; & ſi quibus iſta concluditur, ſapientiſſimum populi judicium eſt; quî tempus diſputando ambigendoque traducitur, cùm nihil hac pace fore utilius & ipſa res doceat, & nemo dubitet hanc unam, ſi quæras, miſſuros homines vocem? Quòd ſi Tehelii Sociorumque perfidia provocat animos ad vindictam; hæc reipublicæ donanda eſt, injuriæque dolor intra ſecretum mentis comprimendus. Una ſiquidem Principi agendi norma ſalus publica. Accepit Burgomaineri ſententiam Leopoldus, inque eamque Legationes decretæ, Saponaræ Domino ad Tehelium, Comiti Alberto Capraræ ad Mehemetem. Ille ſtatim arrepto itinere ac blande exceptus, cùm incautus pateret Veteratoris fraudi, ſpem illico ſibi fecit, deditque negotii ex animo conficiendi. Quod ut celerius componeret, auctor Cæſari fuit: Tehelio concederet, ut Sdrini Filiam, Ragotii Viduam, quam illectus ſuperba indole, parique ſuos ulciſcendi cupiditate atque in Germanos odio, ſummis expetebat votis, matrimonio ſibi conjungeret. Ita domeſticam inopiam Conjugis patrimonio, quod erat ampliſſimum, ſuble-

Cæſar Saponaræ Comitem ad Tehelium mittit; Albertum Capraræ ad Mehemetem Turcarum Regē.

Tehelius aſtute Saponaræ Comiti ſpē facit rei componendæ.

Saponaræ Comes dat Cæſari conſilium, ut Tehelio permittat nubere cum Ragotia ditiſſima femina, & quare.

1681. vaturum eum; idque, rurſus non temere in turbarum aleam deducendum, certiſſimum fore obſidem fidei ſuæ. Non enim audaces animos, ut reliquos, comprimit, ſed in ſcelus impellit paupertas. Ea depulſa, facilè ingenitam ſibi gloriæ ac virtutis indolem perſequuntur. Conſenſit Cæſar, & quidem infauſto conſilio. Verùm quis poſſit præcipitantem fortunam retinere? Quippe Tehelio, turbandis miſcendiſque rebus intento, acceſſere Conjugis incitamenta; quodque illa inſtigante majus; tot oppidorum, Mohatiique præſertim munitiſſimæ arcis ad Pannoniæ fines dotale munus, quam faceret belli ſedem tutiſſimumque receptum pugnantibus adverſo Marte. Ex fama legationis clariſſimiſque nuptiis præter modum crevere Tehelio nomen & auctoritas. Hungari illum omnes reſpicere; illum tacitis cogitationibus deſtinare patriæ liberatorem, amovendoque Exterorum dominatui cœlo traditum ducem; mirari felicitatem, cùm Cæſarem, æquata propemodum fortuna ad tranſigendum adegerit; reputare demum: ſi parva militum manu vaſtitatem ac terrorem intulerit, quid non ſperandum, cùm fecerit animos popularium conſenſus, atque arma conſociaverint? Igitur ad eum magnos concurſus fieri, alii clam nuntios ſubmittere, qui darent fidem in ejus partes ſe tranſituros occaſionem nactos, nec diu abfuturam. Turcæ etiam illum, tanto ad ſe ſtudio ab hoſtibus revocatum, magnipendere, celebrare, implere promiſſis, audire

Cæſar peſſimo cōſilio annuit.

Quæ inde mala ſunt conſequuta.

Tehelius augetur fama & auctoritate.

Vel apud Turcas.

dire. Adeo ancipitis conſilii eſt, armare beneficiis hoſtem, ne impotentius noceat. Interea Bizantium venerat Albertus adulto Vere. Convento Muſtapho Purpuratorum principe petit renovari fœdus, abſiſti ab Hungarica ſeditione dictis factiſque conſovenda. Pacem utrique Imperio utilem eſſe divitiarum feracitate, populorum frequentia; ſeditiones moleſtas damno aut exemplo. Damnum mòdò ad Cæſarem pertinere, exemplum ad omnes; quod nec Turcis ignotum, expertis: domeſtici tumultus quàm facilè ſerpant, & quantas invehant calamitates. Suum præcavere malum, ſapientis eſſe; alienum odiſſe, benevoli. Utramque adepturum laudem Mehemetem, ſi tandiu conſtitutam cum Cæſare amicitiam fœduſque ſervare malit ac renovare, quàm cum ſceleſto prædonum duce conjungere. Vafrum atque anceps reſponſum retulit: Mehemeti placere, Hungaros erga Regem ſuum in officio eſſe, ſed ita ut non referant officii pœnas; & hactenus quidem retuliſſe, miſere perditos laceratoſque, dum quieti & moribus antiquis viverent. Fœdus illum non abnuere, ſi jus faſque maneant; ſi perniciem afflictæ genti pariturum ſit, recuſare; quippe continuò diſſolvendum; cùm nihil diuturnum quod inhoneſtum. Hinc Cæſarem, qui Mehemeti ſit animus, conjectare poſſe; qui Cæſari, ex Hungaricis rebus ſe conjecturos. Hæc Albertus cùm accepiſſet, plura intellexit quàm dicerentur. Dein conſpicatus bellicos ap-

1681.

Albertus Capra ra Byzantiū pervenit.

Ejus Oratio & poſtulata apud Viſirium.

Anceps reſponſū refert.

Hinc, & ex bellico apparatu Cæſarem monet ut arma paret.

1681. paratus, atque ingenti conatu fervere Martis opus, Leopoldum per literas monuit: nihil eſſe de inſtaurando fœdere cogitandum; arma caperet, inſtrueret bellum; ſæpius apud Barbaros minaci armatoque juri, nunquam inermi locum fuiſſe. Per id prope tempus affuerunt a Saponara literæ, de Tehelio Pannoniiſque reconciliandis jam deſperatum eſſe, renuntiantes. Illum hactenus verbis fallacibus involutum, ſe tandem miſſis ambagibus explicuiſſe. Abripi ſe, dicere, a ſuis, nec tenere ſe poſſe adversùs impetum multitudinis, deſidiam ducis & ſe ſua ſpe deceptam expoſtulantis; quare vires periclitandas, exhibendumque Germanis argumentum, Hungaros non eſſe ludibrio & ſervituti, ſed gloriæ ac moderatis imperiis natos. Quæ cùm Viennæ audita ſunt, inceſſit animos pudor tanto dignitatis diſpendio quæſitæ pacis, conſiliumque aut ſubdolum aut ineptum auctoribus exprobatum. Sed periculi, in quod Hungaria venerat, magnitudo querelas compreſſit, intentis omnium curis ad bellicos apparatus, quos adhuc neglexerant, comparandos. Nam cùm Burgomainerius aliique Hiſpano aut Tehelio ſupra modum faventes, quos plures donis captos tum temporis habuit Viennenſis Aula, frequenti ſermone uſurparent exaggerarentque, non defuturum a Turcis & perduellibus otium; negligenter novi conſcripti milites; ac veterum legionum pars Rheni Germanicas ripas & Colonienſem oram inſederant, unde Gal-

Saponara idem ſcribit, diu a Tehelio ludificatus.

Viennæ omnium pudor quæſitæ a Perduelle pacis.

Cujus ſpe bellici apparatus adhuc neglecti.

Gallorum ferociam reprimerent, Hiſpaniſque in Belgio periclitantibus opem ferrent. Aliquot etiam in Hungariam deductæ, quæ tamen per tot urbes diviſæ nec ſatis erant firmandis præſidiis, nec facilè, ut in acie conſiſterent, colligi poterant. Quod ubi Tehelio cognitum, media æſtate contractis copiis (fuere Turcarum ſex, duodecim ſuorum millia) exercitum in ſuperiorem provinciam induxit. Cùm ab exploratoribus accepiſſet, Caſſoviæ arcem, præſidiariis nihil hoſtile metuentibus, negligenter cuſtodiri; clam mille delectos miſit, qui tertia vigilia ſcalis admotis in muros egreſſi, milites octoginta, ſomno ciboque graves, occidione delerunt. Deinde dubia adhuc luce infrequentes deſcendere ex arce, oppidum errore vigilum ſubituri. At non fefellere; conclamatum ad arma; pauci, qui extemplo ſubrepſerant, obtruncati, clauſæque portæ. Tehelius præmiſſum agmen citato gradu cum legionibus ſubſequutus, jam prope oppidum erat. Audito quid geſtum foret, parum ſubſtitit reputans ſecum ipſe, quid e re nata gerendum. Rem nulla mora tentandam armis, & quæ aſtu fuerat inchoata, vi abſolvendam ratus: noſtra eſt inquit, Commilitones, Caſſoviæ arx; oppidum caſu e manibus fugit; ſed quamquam præſidio ac propugnaculis validum, ſi paullum annitamur, citò habituros non dubito. Id enim prope unum in rebus arduis difficile, ad eas aggredi; aggreſſos raro fallit fortuna. Verùm & hoſtes repentina oppugnatione obitoque jam periculo atto-

1681.

Diſtractis alibi Legionibus.

Et quæ in Hungaria erant, non facilè colligi poterant.

Tehelius exercitum in ſuperiorē Pannoniam inducit.

Caſſoviæ arcem aſtu occupat.

Ab oppido excluditur.

Statuit palam oppugnandum.

In id Milites cohortatur.

1681. attoniti extrema non expectabunt, nulla præſertim auxilii ſpe, quam circumpoſitæ Germanorum legiones numero nobis impares, dare nequeunt. Quòd ſi obnitantur, gratum ſit militari robore viris, egregium facinus non hoſtium deſidiæ ſed virtuti ſuæ acceptum referre. Nimiùm quoque noſtra intereſt, præoccupare mentes hominum opinione ſtrenuitatis; nam bellum haud minus armis, quàm proſpera viget fama. Hac urbe in poteſtatem redacta, deinde licebit nobis in umbra & otio confidentibus, tot circùm reliquarum, propagante victoriam inflicto metu, potiri. Quæ inde præda? quæ gloria? Igitur, ſi me audiatis, audendum. Sequar tamen judicium veſtrum, ut quorum auctoritate pium iſtud pro patria munus accepi, eorum conſilio geram. Reſponſum primò a Tribunis, mox ubi res patuit, ab univerſo exercitu clamor ſublatus eſt: inferret ſigna, admoveret legiones, experiretur quid poſſet miles carus fidenſque Imperatori ſuo. Confeſtim ducuntur, maturant ire, urbem corona cingunt, militari aggere iter ad foſſam munitur, verberantur majoribus tormentis propugnacula; idque tanta oppugnantium feſtinatione, ut quamquam duci vehementer, ſibi tamen obeundis laboribus periculiſque nunquam ſatiſfacere viderentur. Præerat oppido Lambus Straſoldianæ legionis pro Tribuno, qui omni telorum genere hoſtem propellere, æquare ipſorum opera conabatur, quamquam tardo milite ac repugnante; quippe cui dejecerat animos aggredientium ferocia,

Cõſilio plauditur.

Caſſovia oppugnatur.

Defenditur.

Sed tardo ac repugnante præſidio.

cia, vehementior in dies proſpero ſucceſſu atque arridente cœptis fortuna. Igitur ſuorum haud minus vocibus quàm metu inertiaque victus, unum dumtaxat ac vigeſimum diem tolerata obſidione, urbe ceſſit adeo meticuloſe, ut legionariis vix cum ſingulis veſtimentis, poſitiſque armis per Sarmatiæ oram in Sileſiam abire permiſſum fuerit. Quamquam abeuntibus violata fides. Centum quippe ſimulatis querelis fœde obtruncati; reliqui, præter centum quinquaginta, qui cum Lambo præfecto eò deducti ſunt, quò convenerat, ſupplendis hoſtium cohortibus vitam redemere. Cæſar, ubi audivit Caſſoviam obſideri, & in diſcrimen adductam, vehementer animo commotus eſt, reputans quantum ſibi momenti eſſet in ea retinenda. Quare Straſoldum pro legato, qui tunc in Hungariam ſupremum armorum imperium obtinebat, ut periclitanti urbi ſuppetias iret, contrahere legiones juſſerat, quæ partim in Cituorum inſula ſub Ludovico Badenſium Principe, partim ſub Ænea Caprara diverſa in parte caſtra locaverant. Verùm Tehelius id facilè ab inita oppugnatione ſuſpicatus, anteverterat præciderat que viam, miſſo qui Budenſi Prætori, (Baſſam Turcæ dicunt) nuntiaret adeſſe tempus, quo ſibi vel potius communi bono egregiam navaret operam. Nam ſi cum exercitu potentiſſimo, quem ſecum habebat, tranſgreſſus Danubium præriperet iter Germanis opitulatum venientibus, ſuam mehercule Caſſoviam

fore

1681.

Quibus conditionibus in hoſtium poteſtatem venit.

Quæ non ſervata.

Cæſar oppugnatæ Caſſoviæ nuntio vehementer commotus.

Straſoldum jubet collectis copiis, opitulatum ire.

Tehelius Budenſē prætorem rogat ut opem laturis ſe opponat.

1681.

Prætor educto exercitu prope Fillecū caſtra ponit, viam intercepturus.

fore. Ille confeſtim ſigna movit, citatoque progreſſus agmine prope Fillecum, Cæſarianorum munitionem, caſtra poſuit, unde opem laturis iter ad Caſſovienſes habendum erat.

Carpit, retardatque hoſtiū agmē.

Illinc emiſſa militum manu, quæ Caprararæ agmen carperet retardaretque, ne cum Straſoldo in tempore ſe conjungeret; eluſit hoſtium conſilia, quoad urbs in Tehelii poteſtatem venit.

Qui Caſſoviæ auxiliari nequeunt.

Eperię aliaque circum oppida Tehelio ſe dedunt.

Ea capta illico Eperiæ pluraque circùm oppida in Victoris fidem ſe tradidere. Prætor cùm eò jam conſpiceret rem proceſſiſſe, ut quamquam Cæſari nondum verbis, re tamen indictum a Turcis bellum pateret; rupti a ſe primùm fœderis ignominiam aliqua utilitate ſublevaturus,

Prætor Budenſis Onethū invadit.

Onethum, Fillecumque oppida, unde iter ſibi Caſſoviam, ad aliaque loca nuper dedita perduellibus, aperiretur, ſtatuit oppugnanda. Nec mora, diviſis copiis, quæ cum Tranſylvani auxiliariis (& ipſe aderat Abaffius) ad triginta hominum millia conficiebant, utramque invadit.

Ab Hieronymo Straſoldo ejus Præfecto defenditur.

Onetho Hieronymus Straſoldus Centurio cum trecentis militibus imperitabat, qui penſato ſuorum non numero ſed virtute, haud incruentam daturum hoſtibus victoriam apud ſe conſtituit. Quamobrem libratis majoribus minoribuſque tormentis iterum ac ſæpius jaculando multa cæde repreſſit ferocitatem nimis audacter mœnia ſubeuntium.

Pactis conditionibus in hoſtium poteſtatem traditur.

Sed propugnacula ictu frequenti vehementiſſimoque labefactata cùm foſſam ruinis impleſſent, præberentque aditum auſuris; cęptum agi de conditionibus, quæ dedituris oppidum

dum imponerentur. Pactum, honeſtiſſimis abituros. Vixdum tamen digreſſi, Zendriam abducuntur nudati re ac libertate. Ea calamitas Fillechiorium animos jam inclinatos ad deditionem in propoſito confirmavit. Res primùm tacitis ſermonibus agitata; latiùs deinde ſerpens ad Coharium, Erceriumque pervenerat, qui ſuis quique popularibus (nam Hungari Germanique præſidio erant) urbem ſtrenue ferociterque tuebantur. Ne malum cunctando radices ageret, difficiliuſque fieret ad evellendum, Coharius, cui majus imperium erat, advocata concione, in hunc fere modum eſt allocutus. Cùm vultus atque ora veſtra intueor, Commilitones, ii mihi ante oculos obverſantur, qui adhuc egregiam fidem, ſacramento Cæſari obſtrictam, rebus geſtis probatam, cultam obſequio retinuerunt. Cùm, quos agitatis de prodenda urbe, ſermones ad me afferuntur, eos audio, quibus legitima imperia, militiæ decus, virtus, fama nullo profectò ſint loco. Aurium an oculorum judicium ſequar, incertus hæreo. Sed cùm in alterutram partem errare mihi ſit opus, facit veſtra virtus perpetuuſque meus in vos amor, ut potius in priſtina ſententia manere vos, quàm unquam de mutanda cogitaſſe, inclinet animus. Nec verba, qualiacumque demum dicta fuerint, quicquam moror; cùm militare Judicium factis non verbis inniti debeat; & me non lateat, plura inter vinum & epulas excidere, quæ non ſunt ex ingenio; eaque paucorum malignitate, velut ſeriò emiſſa,

1682.

Præſidiariis violata fide vincula iniiciuntur.

Prætor Fillechiū invadit, & Præſidiarii inclinant ad deditionem.

Coharius Erceriuſque Præfecti eos a propoſito dimovere conantur.

Coharii ad eos Concio.

N vul-

1682. vulgari, ut qui protulere, ſi non re, fama ſceleſti habeantur, declinentque deinceps vero crimine falſi moleſtam ſolicitamque diſquiſitionem. Hujus tamen ſi quidpiam vobis accidit, non alias repeto pœnas, quàm ut, ad prodendam iſtorum protervitatem, in repellendo a mœnibus hoſtium impetu ii modò ſitis, qui hactenus eſſe conſueviſtis; & unde in ſcelus vos induere pertentarunt, hinc maxime eniteat fides ac virtus veſtra. Sit hoc piaculi, ſi quidpiam peccaſtis; ſit pulcherrimum vindictæ genus, ſi iniquus de vobis rumor elatus eſt: urbem ſtrenue tuendo aut veſtram innocentiam aut aliorum malignitatem aſſerere. Itaque favete dictis, Commilitones, arma capeſſite, cumulate celeberrima propugnatione decus, quod nobili cœterarum legionum invidia, cùm munitiſſimum iſtud tot urbium propugnaculum creditum vobis eſt, ſuſcepiſtis. Cur inertes torpetis demiſſo vultu, dimotis mentibus? Terret periculum? quod tamen gratum eſſe deberet gloriam meditantibus. Sed modò quænam timendi ratio ſe offert, vix inita oppugnatione, aggere nondum ad foſſam promoto, non actis cuniculis, non diſpoſitis machinis, integris munitionibus? & ſi diſcrimen adeſſet ingens, eò alacriùs ſuſcipiendum, quò jam devitari nequit; & quò minuitur, fortiter obeundo. Nam ſi celeri deditione depulſum iri induxiſtis animum, mehercule erratis. Palàm eſt quid cum Onothenſibus militibus geſtum fuerit. Nec vos ſubeat cogitatio, eos idcirco in ſervitutem adductos, quia

quia obſtinaverint animis dimicare. Cenſendum potius, mitiùs cum iis actum, quòd ſe geſſerint fortiter ſtrenueque. Nam Barbari ſtrenuitatem vel in hoſtibus admirantur ac præmio afficiunt, ut ſuos eò magis ad ipſam provocent. Virtus enim honoribus alitur, hebet depreſſa. Quamquam ſi vobis, ut lubet, ignaviæ pretium libertatem concederent, cogitaſtis ne, quò hinc digreſſi abituri ſitis? Ad Imperatores veſtros? ubi vobis prompta parataque ſint ignominia, carcer, mors præpropere contra militiæ leges arcem fortiſſimam dedituris. Ad Barbaros? ſcilicet in exilium, longe a Patria, Conjugibus, Liberis, precariò calamitoſeque vitam acturi. Quantò igitur ſatius eſt, honeſtos labores infami otio, vitæ turpiſſimæ decoram mortem præferre? Cùm præſertim nec diuturni labores futuri ſint, nec certa mors obeunda. Jam enim legiones coaluiſſe puto, quæ vobis opitulatum veniant. Et ſedulò quidem res agitur, cùm nimiùm conferat reipublicæ, non ire Fillechum in hoſtium poteſtatem. Quòd ſi quid iis ad illuſtre facinus impedimento fuerit, & vos munere prius veſtro defunctos defecerint vires, admotuſque agger vineæque ad fracta propugnacula viam ſtraverint aggreſſuris; tunc cedere glorioſum erit, ut nunc obniti. Nam honos apud belli prudentes non ex victoria, ſed ex animi ac virium robore. Hæc habui, quæ vos monerem, & ſi vultis, orarem ut cives. Verùm ſi monita præceſque contemnantur, adeſt imperium. Dux ego veſter, milites, jubeo 1682.

1682.

pro ſancto militiæ jure ut arma expediatis, agatis excubias, præſtò ſitis ad murorum cuſtodiam. Qui

Milites magnis clamoribus Præfectis adverſantur.

ſecus faxit, lictori cervices dabit. Hæc dicentem, ira torporem excutiente, clamoribus obruerunt, minitantes necem aut vincula, ni ſtatim paciſcendo

Obnitẽtibus Præfectis portas Turcis aperiunt. Milites liberè dimiſſi; Præfecti in ſervitutem adducti.

ipſorum conſuleret rebus ac libertati. Cum ille, Erceriuſque negarent admiſſuros unquam in ſe tantum ſcelus, portas milites effractis clauſtris aperuere. Turcæ potiti oppido, præſidium cum omni re ſua dimittunt; ducibus injuncta ſervitus. Fillecho in

Fillechum diruitur.

hoſtium ditionem redacto, dirutiſque munitionibus,

Straſoldus a montanis Urbibus trans Vagum ſe recipit.

Straſoldus pro legato, qui adhuc propinquas montanas urbes inſederat in omnem occaſionem intentus, pedem retulit; tranſgreſſuſque Vagum flumen

Quò etiam Caprara cum ſuis Copiis advenerat & Palatinus Eſtherasius cum Hungaris.

ripam pro vallo habuit. Illuc etiam cum ſuis legionibus Æneas Caprara, cum ſubitario Hungarorum delectu Palatinus advenerat, juſſus a Cæſare ne ſibi ac patriæ deeſſet in tanta rerum perturbatione. Stra-

Straſoldus in Judicium vocatus Viennam pergit.

ſoldus ubi Capraram ſucceſſorem ſibi datum audivit, Viennam ſe contulit, de armorum infelicitate, cujus reus agebatur & diem dixerant, cauſam oraturus.

Qua de cauſa.

Etenim adverſa fama conflictabatur, potuiſſe aut nobiliora loca frequentioribus præſidiis communire, aut ſaltem prope Fillechum acie conſiſtere; cùm ſe non lateret, eo capto patefieri hoſtibus auri argentique venas, maximamque Auſtriacæ Pannoniæ partem. Ille ſuas copias tantæ moli impares, nec

Quibus argumentis ſe tuetur.

in tempore adductas quæ ab ſe diſtabant, cauſatus; cùm ægre recentem acceptæ cladis invidiam ſuſtineret

1682.

ret, Judicio, quoad illam extingueret minueretve dies, ſe ſubtraxit; veritus ne qui Hungaricam ſeditionem contempſerant, culpam in ejus negligentiam translatam ab ſe ſe amolirentur. Interea Tehelius percepto, Fillechum Turcarum eſſe, apertamque ad montanas, quas vocant, urbes viam, nullaque ipſas cuſtodia detineri; magnis itineribus eò contendit. Regio aſpera, oppidaque ſitu & ſqualore obſita parvi quidem pretii erant, ſed natura emendato ſoli vitio, ſuppletaque auri argentique venis montium ſterilitate, fecit maximi. Iis nulla mora potitus, exercitum deduxit in apertiora loca, hybernis (nam incœperat autumnus) proſpiciens. Ibi cum frequentes populorum, ſuperiorem Pannoniam incolentium, legationes convenere, victoriam gratulantes pollicenteſque fidem atque obedientiam. Comiter exceptos ſuis denuntiare juſſit: ſe non ſibi viciſſe, ſed civibus, quorum commotus ærumnis, depellendas pro virili parte ſuſceperit. Ipſi capiant victricium armorum fructum priſcis vivendo legibus, temperandaque ex Majorum ſententia inſtitutiſque republica. Sibi nil aliud petere, quám beneficii memoriam ſuorumque civium benevolentiam; nec aliud utriuſque argumentum, quàm ut ſibi ad profligandum pro patria, pro legibus, pro libertate bellum, quacumque re poſſint, opitulentur. Modò locum hybernis concedant, referantque hoſpitio liberatoribus ſuis exantlati laboris gratiam. Accepti laute milites

Iudicio demum ſe ſponte ſubducit.

Tehelius ſuas Legiones ad montanas Vrbes ducit.

Auri argentique fodinis potitur.

In apertiora loca digreſſus, Legationes finitimarum Vrbium audit, quæ in ejus tutelam ſe tradunt.

Quid ipſis renuntiet.

Petit hibernis locum, & laute tribuitur.

1682. tes atque alti liberaliter. Aucta dein colloquendo familiaritas rebellandi peſtem propagavit. Capra-

Capraram Perduelles ab populando cohibet.

ra, cùm ei par non eſſet refrenandæ, citra Vagum ſe tenuit, diviſis legionibus, quæ hoſtes ab populanda Sileſia, Moraviaque, ſi tanta ſubiret ani-

Domum dimittit Hungarorum copias, Vere primo redituras.

mum audacia, detinerent; dimiſſo pariter cum Hungaricis copiis Palatino, quæ primo quoque tempore ad ſigna ſe reſtituerent, ne per hyemem graviorem cœteris annonam facerent. Tehelius ubi Germanos in hyberna ſe abdidiſſe & nihil moturos vidit,

Tehelius ad Ibraimum Budenſem Prætorem officii gratia ſe confert.

ad Ibraimum Budenſem prætorem, qui adhuc in ſtativis exercitum prope Fillechum habebat, gratiam obſequio ſibi conciliaturus, redditurusque pro meritis, iter cepit. Advenienti prætor obviam proceſſit. Complexu eximiiſque laudibus ſe ſe invicem honeſtantes, gratulatique armorum felicitatem ac pene

Ab ipſo Mehemetis nomine Rex appellatur.

domitam una æſtate Pannoniam, in caſtra ſe redegere. Poſtero die prætor, advocata concione inſtructoque ad rei majeſtatem ſub ſignis milite, in tribunal aſcendit. Præfatus, quæ adhuc Tehelius ſtrenue ac fortiter geſſerat, conſilii ſagacitatem, militarem ſcientiam, partamque ſibi egregiis meritis popula-

Quibus cæremoniis.

rium benevolentiam; illum Mehemetis nomine regem appellat, ſcythico cingit gladio, toga purpurea & talari tunica donat. Addit verbis honorem. Nec aliud apud Turcas præclarius eſſe, quàm perdomitis bello populis victorem in Aulam regredi; nec regreſſo quidquam illuſtrius, quàm ab potentiſſimo Imperatore magnificis hiſce exornari donis. Id autem

per

1682.

per omnem temporis memoriam rarum homini externo, eique ſolùm ætate noſtra contigiſſe. Regnum Hungariæ iis circumſcriptum finibus dari, quibus nunc habuit Auſtriæ Dominus. Hæc ipſi a Mehemete; iſtud a ſe: ut meminerit non aliud a Potentioribus immortale beneficium eſſe, quàm quod comparet virtus, fides tueatur. Deinde barbaro cultu convivium celebravere, lætique duxere diem, ignari quid tempus laturum eſſet, & quantò ſit acerbius detrudi ex alto dignitatis culmine, quàm illuc non perveniſſe. Quæ poſtquam ſolemnibus cœremoniis geſta ſunt, prætor Budam cum exercitu, Tehelius ad ſuos rediit. Proceribus ſuarum partium ad ſe vocatis, regem ſe a prætore inauguratum dixit, nihil hujuſmodi cogitantem; nec obſiſtendum graviter laturo, Mehemetis liberalitati modum imponi, e republica exiſtimaſſe. Nam ex contemptu beneficii, odium; quaſi alienam potentiam vincere virtute tua velis. Cœterùm ſe nec regium nomen uſurpaturum, nec aliam honoris auctoritatiſque partem, quàm cujus ipſi auctores ſint. Pulcherrime regnaturum, ſi depulſam ex ipſorum cervicibus ſervitutem; ſatis habiturum felicitatis, ſi ſuis per ſe civibus partam videat. Ingenti plauſu auditus eſt, juſſuſque, ex arbitrio, quidquid in ſuam communemque rem eſſe arbitraretur, agere. Ille ſolo Principis adſcito nomine (quod etiam percuſſis nummis memoriæ hominum conſignavit) imperium tenuit; gnarus: externa moderatione animi augeri gratiam, potentiam non imminui

Prætor Budam regreditur, Tehelius ad ſuos.

Convocatis, qui erant ſuarum partium, Proceribus narrat, quid ſecum actum fuerit.

Ipſos ſententiam rogat.

Datur, quid velit agendi facultas.

Hungariæ duntaxat Principis nomen uſurpat.

Eoque nummos cudit.

1682.

Legatos ad Cæſarem mittit, u ſe rei excuſatum, petitumque inducias, & pacis cõſtabiliendæ conditiones.

Dantur induciæ, de conditionibus agitari cœptum.

nui. Deinde ancipitis fortunæ memor ad ſuas artes converſus, Capraræ permiſſu legatos ad Cæſarem miſit, quæ acta fuerant, excuſatum, petitumque diſcordiis componendis inducias & conditiones. Induciæ datæ, quippe quæ utiles parando bello. Et de conditionibus cœptum agi inſtitutiquè ſermones, quamquam Cæſare haudquaquam ignaro, fallendo proponi; quin eò jam rem proceſſiſſe, unde non poſſet incruenta pace revocari; ſed ut eventus expectatione detineret perduellium animos, ſibique delectui habendo inſtruendiſque legionibus moram caperet.

Cæſar militũ delectum haberi, ac bellum parari juſſit.

Legatos circumdimittit opẽ oratum.

Et quidem per induciarum tempus novæ ſcriptæ legiones, veteres ſuppletæ, miſſi qui provinciam obirent, poſtularentque a Regulis liberiſque civitatibus non lege ſolùm indictos ſubſidiarios milites, ſed quot quiſque præterea poſſet, Cæſaris ſtipendio merituros. Aditi præſertim Octovirorum potentiſſimi Brandeburgenſis, Miſnienſis, Bojoarius; admonitique omnes: non Hungaricam amplius ſeditionem, Sed Turcicum agi bellum; non latrociniis infeſtas Auſtriorum plagas, ſed petitam atrociſſimis armis Germaniam; ſingulis impendere diram tempeſtatem; quamobrem ſingulos ad eam compeſcendam incumbere operamque dare, æquum eſſe.

Quid renuntiaverint.

Dictis præbuerunt aures alii aliis faciliores, privata cujuſque rerum ratione moderante animos.

Principes cuncta pollicentur.

At ubi propiùs ingenti fragore inſonuit feralis procella, excidium minitata; unuſquiſque certatim in publicam ſe dedit cauſam; factumque documentum: reliquos plerum-

que

que animi affectus timori cedere. Præcipue tamen Germaniæ Hungariæque ſalus in eo verti videbatur, ſi ferox ac ſtrenua Sarmatarum gens in Barbaros concitaretur, ſuſciperetque in ſe belli periculique partem. Itaque Leopoldus huc omnibus intentus curis Comitem Carolum Valdeſtainum ad Joannem Sobjeſcum illorum regem legavit, mandataque ſingillatim ad ipſum, ad Senatum, ad univerſam Rempublicam dedit, quibus alios aliis pelliceret ad rem gerendam. Citatis itineribus, nam res urgebat, regem adit; privatis colloquiis admonet: eam ſeneſcere diuturno inſenſiſſimoque otio militarem gloriam, qua partum ſibi ſuæ gentis imperium in poſteros tranſmitti poſſet, ſi novo facinorum decore cumulata perſtringeret civium oculos, iniretque gratiam. Id unum apud liberos populos ad obtinendos honores valere plurimùm, recentem ſcilicet fortunatamque famam; nam munera, neceſſitudines, beneficia paucorum, ad quos perveniant; hæc omnium capit animos. Quæ verò ſplendidior augendi nominis afferri poſſit occaſio, quàm bello Turcis indicto hoſtes perpetuos moleſtiſſimoſque armis conterere atque inſectari? Enimvero ſi commune Mortalium ſtudium reputare velit, quo fauſtis acclamationibus per omnium ora feratur, nihil magis optatum; ſi civium utilitatem, ob quam ſempiternis vocibus celebretur, nihil præſtantius; ſi proprium decus, quod revocet in omnium oculos rerum a ſe geſtarum ſplendorem, nihil pręclarius obire queat.

1682.

Comes Carolus Valdeſtainus Legatus in Sarmatiam mittitur.

Ejus ad Regem privatim ſermo ac promiſſa.

1682. Hinc tanta ſua fore in rempublicam merita, ut nemo deinceps contendere ſit auſurus, quin Jacobo ejus filio lectiſſimo adoleſcenti regius honor communi gentis conſenſu deferatur. Et olim quidem bellicæ virtutis commendatione, ut annalibus traditum eſt, fortiſſima Jagellonum ſtirps tandiu tenuit Polonorum Imperium, quoad ipſa exaruit. Nec ita multos ante annos eadem arte plures e martiali Svecorum regum domo hoc ipſo diademate nobilitati. Amat quippe Gens bellicoſa regum ſuorum militarem gloriam, eamque non immerito quærit, ubi videt Majorum exemplo atque inſtitutis feliciter adoleſcere. Famæ ſuffragio tot acceſſuras, ſi bello ipſe mentem adjiciat, Auſtriacæ Familiæ clientelas, quas iſta maximas ac potentiſſimas, liberalitate officiiſque cultas, preſtò ſibi in Comitiis habitura ſit. In id Cæſarem dare fidem, pignus quoque daturum, prius tamen conſociatis armis pronuboque fœdere. Legati verba Regi placuere, jam ſua ſponte belli, propagandique in Familiam imperii cupido. Spondet, quantùm apud ſuos gratia & auctoritate valeat, adnixurum ut reſpublica bellum capiat, feriatquè fœdus. Captum ita a ſe geſtum iri, ut Turcis in memoriam redigat, quam olim ab ipſo acceperint funeſtam cladem; Cæſari perſuadeat, eam ſe tenuiſſe promiſſorum fidem, quam modò ſpondeat. Dato deinde Senatu, Valdeſtainum in Curiam ingreſſum hanc habuiſſe orationem ferunt. Niſi, Rex maxime, Patreſque con-

Regis reſponſum.

Valdeſtaini Concio ad Senatum.

conſcripti, compertum mihi eſſet ad quos verba 1682.
facturus ſim, vererer profectò, ne vix propoſita
cauſa, pro qua dicere aggredior, taciti reputaretis
abuti me potius orando patientia veſtra, quàm
quicquam poſſe ad eam obtinendam proficere. Sed
cùm ad magnanimum Regem, ad generoſum for-
tiſſimæ gentis Senatum dicam, facit ipſius rei pe-
riculum ac magnitudo, ut unde cœteris terro-
rem, vobis alacritatem arbitrer affuturam. Bel-
lum igitur adversùs Thracem ſuſcipiendum vobis
propono, quamquam huic bello plures deterrimam
pacem anteferant, plures ſervitutem. Sarmatas au-
tem, ignominiam ac ſervitutem nunquam non
averſatos veluti malorum extrema, illud nec me-
tuere pro ſua bellandi ſtrenuitate, nec horrere pro
militari animo, ſatis teneo. Quòd cùm ita ſe ha-
beat, ut neque metu, neque deſidia a capeſſendis
armis alienos feratis animos, reliqua facilè expe-
diam, grataque vobis accidet oratio mea. Nihil
enim adduco, quod non ad veſtram fidem, ſecu-
ritatem, utilitatemque pertineat; quodque neglectum
maximis rempublicam damnis, periculis, contu-
meliis obrueret. Puto jam ad vos rumore nuntio
perveniſſe, Turcas bellum in Cæſarem incredibili
apparatu militum, machinarum, commeatuum di-
ligenter inſtruere atque adornare; & Cæſarem
haud impari cura ad refrænandam illorum audaciam
confringendaſque vires ſe comparare. Verùm tot
jam defunctus Gallicis bellis ac debilitatus, inquie-

1682. taque modò pace ab iiſdem haud leviter divexatus, cùm non ſibi par animo robur adeſſe videat, ut ſolus cum potentiſſimo rege dimicet, qui diuturna quiete recreatus, nulloque alibi diſtractus metu huc integer tota incumbat florentiſſimi Imperii mole; ad ſocios confugere, implorare opem neceſſe habet. At quorum magis imploret, quàm Polonorum, quibus tantæ ſunt vires ac belli ſcientia ut ferre poſſint; tanta grati animi virtus ut ferendam ſuadeat? Non enim memoria vobis excidiſſe putat, qua benevolentia, quo ſtudio Germanica Auſtriorum Domus ſalutem afflictis feſſiſque rebus veſtris attulerit, cùm undique regionem concuteret proſterneretque ferox Turcarum Svecorumque turbo. Siquidem avorum ætate, ut nunc de reliquis taceam, Sigiſmundo regi veſtro Ferdinandus viginti ſelectorum militum millia ſuppetias miſit, cùm Turcarum Princeps Oſmanus quadringentis millibus Sarmatiam inundaſſet; barbaroque dira cœdes illata. Noſtra verò Leopoldus Caſimiro decem prope millibus auxiliatus, res veſtras ab interitu revocavit, cùm arva atque urbes longe lateque Svecus depopulatus, extremum reipublicæ vulnus minitaretur. Rependite nunc beneficii vicem atque in omnium oculis collocate: Sarmatas haud minus acquirendæ, quàm referendæ gratiæ potentes eſſe; nec magis bellicis artibus, quàm virtutibus valere. Enimvero nihil æque Mortalium animos decorat, ut ſervata amicitiæ fides; &

mar-

martialis vigor, quo præſtatis, odium aut invidiam parit, niſi vel ad ſui tutelam, vel ad ſocios amicoſque ſublevandos adhibeatur. Quamquam quid ego veſtram fidem obteſtor, quid Cæſaris nomine cauſam oro? Veſtra, veſtra, inquam, res agitur; ſalus veſtræ reipublicæ in apertum diſcrimen adducitur, niſi ſtatim percuſſo fœdere nobiſcum ad confodiendum communem hoſtem arma atque animos conjungatis. Non enim, ſi vos modò ad bellum non provocat, ſi pacem ſimulat, ſi ſpondet quoque (nam & hoc audio) ſe fœdus vobiſcum jampridem ictum ſancte riteque ſervaturum; ideo fallacibus dictis fidendum eſt. Verba faciat, ut lubet; blandiatur, mulceat; nunquam in prudentium animis obliterabit, ſe implacabiles adversùs vos inimicitias & gerere & profiteri. Falſi quidem redarguitur, ſi ad quam in vos a priſcis uſque temporibus feritatem exercuit, cogitationes atque animos veſtros conferatis. Circumſpicite amplisſimas lætisſimaſque olim provincias, quibus imperatis. Eſt ne ager, civitas, vicus, ubi altiùs non pateant ejus crudelitatis impreſſa veſtigia? Non ea profectò ſunt hoſtis pro gloria atque Imperio dimicantis, ſed cujus odium exaturari nequeat, niſi aut deleta univerſa gente, aut probris, dolore, vaſtitatibus cumulata. Et quem ferum diriſſimumque Inimicum acerbiſſimæ res veſtræ declarant, hunc inanis verborum ſonus fidum ac reconciliatum ſuadebit? Deſiderarem utique prudentiam ve- 1682.

ſtram,

1682. ſtram, iſtud ſi in animum induceretis. Raro ſiquidem, præſertim in Barbaro, imago ſunt mentis verba. Modò non quieſcit ille, at Sarmaticum bellum, quoad Hungarico ſe ſe exolvat, moratur. Satis ſua ac Majorum experientia compertum habet: Turcas, potius quàm pugnandi ſtrenuitati, debere Chriſtianorum Principum ſocordiæ diffidentiæque victorias ſuas; qui varietate conſiliorum inter ſe diverſi, Finitimorum ærumnas læti aut otioſi proſpiciunt, putantque ſibi addi, quidquid aliis Imperii detrahitur; nec vident, hac deſidia ſe ſe Inimico triumphum parere, cum illoque reddito potentiore non ita multò poſt incertius decertaturos. Adeo conſilium adimit æmulatio; nec ſibi conſulit, ut aliis noceat. Ne Mediusfidius capiat animos veſtros brevis iſthæc uſura pacis, quam callide vobis offert; quin ſtatuite apud vos ipſi, gravius inde bellum, graviora damna eruptura civibus veſtris; velut quibus argentum commodant fęneratores; ſtatim ii quidem accepta gaudent pecunia, immemores mox ſibi fœnore trucidatis ſortem uſuraſque reſtituendas. Itaque ſi ſalvam rempublicam vultis, ſi regnum inexuperabili cuſtodiæ tradere, perpetuum inter nos fœdus feriendum eſt; & ubi alteruter diſcrimen adeat, ſuppetiæ invicem afferendæ. Sarmatas Germanoſque fœdere atque armis conjunctos Barbari nunquam vicere; disjunctos haud ſemel. Certa proinde victoria nobis proponitur, ſi armorum ſocietas ineatur; & non inibimus?

bimus? præſertim in communi cauſa, in communi periculo, adversùs communem hoſtem? Quòd ſi vos nulla manet Auſtriorum cura, & regni ſecuritatem in manibus ac virtute veſtra poſitam arbitramini; ſaltem dignitas reipublicæ privatæque omnium veſtrum fortunæ, ſi probe rem expendatis, manifeſtò poſtulant, ut ne manus a ferro, ne ferrum ab hoſtium cœde ſegniter abſtineatis. Delenda quippe vobis eſt illa macula ſuperiori bello ſuſcepta, cum reportata victoriæ laurea, veluti datæ cladis præmium, Camænecum Podoliamque victo ceſſiſtis. Quæ tum omnium gentium admiratio fuit, qui riſus Inimicorum, quibus lucro fuere pernicies ac damna ſua? Repetenda proinde vobis eſt urbs munitiſſima, propugnaculum Imperii, provincia prætermodum læta paſcuis ac rerum omnium feracitate. Quot inde tanquam poſtliminio redibunt ad veteres dominos ampliſſima prædia, quantus reliquis accedet fructus, ea munitione tanquam aggere objecta Scytharum eruptionibus, quibus id prope unum, acta ſcilicet a vobis præda, patrimonium eſt. Igitur cùm hujuſmodi ſuſcipiendo bello veſtri agatur populi gloria, quam magnam in rebus omnibus, in re verò militari ſummam a Majoribus accepiſtis; agatur ſociorum ſalus, qui haud ſemel pro veſtra ſe ſe ac fortunas ſuas in diſcrimen dederunt; agatur bona multorum civium, quorum decus conſtitutaque res domeſtica ad reipublicæ ſplendorem ſpectat: quid eſt, 1682.

quòd

.1682 quòd ab eo fortiter capeſſendo vos teneat? ſuſcepto bello, Hungaros, Germanoſque amiciſſimas nationes calamitate prohibebitis, vos metu calamitatis, quæ a noſtra ſejuncta quidem eſſe non poteſt, quæque vos etiam per noſtrum latus certiſſima tranſverberaret. Denique de hac tanta re deliberantes, cogitate: bene gerendæ reipublicæ occaſionem non ex. hominum voluntate, ſed ex rerum conditione pendere; ſemel amiſſam fruſtra quæri; contemptam verò, cùm alicui ſe daret, plerumque ad ejus hoſtes accedere. Hæc cùm dixiſſet, ingenti plauſu annuit cum Rege Senatus frequens. Confeſtim indicto celebratoque gentis Concilio, cui ſuprema pacis bellique poteſtas eſt, auctore Senatu de Turcico bello agitari cœptum. Rarò in magna populi multitudine ſalubriora conſilia ad exitum perducuntur, diſcordibus plerumque animis ad ea complectenda, ubi Mortalium plurimi decernendo interſunt; vel reipublicæ ignaris, quam nonniſi pauci attingunt, vel ejus oblitis, dum quiſque in rem ſuam intentus, publicam negligit felicitatem aut damnum; quæ ab civium univerſitate vix ad ſe perventura, aut longo remota intervallo putat. Id enimvero in unaqualibet Natione, ſed in Polonorum maxime conſpicuum eſt, apud quos & cœtus aguntur ſumma Procerum Legatorumque frequentia, & horum quilibet, ſi a cœteris diſſentiat, diſſenſumque in acta referri jubeat, Conventum ſolvit. Quamobrem mirum videri debet, ſi quid unquam

Concilium indicitur.

Ejus forma, inſtituta, difficultas in rebus agendis, & quare.

quam publica auctoritate ſciſcunt. Et nunc etiam, ut iis moris eſt, turbulentum Concilium habuere, non ſuopte ſolùm ingenio, ſed alii Gallorum clientela, ad quorum tranquillitatem pertinere putabant, Cæſarem ab Rheno Belgioque divertere, totaque impedire Turcici belli mole; alii veteribus cum ipſo Cęſare inimicitiis. In id præoccupaverat Clientum animos, quos obſtinatis clamoribus obluctantes in reliquorum ſententiam deduci poſſe jam prope nulla effulgebat ſpes, ac tempus deliberando a legibus conſtitutum in exitu erat; cùm victi Romani Pontificis ſtudio bellum inſperatò atque arma unanimes decrevere. Innocentius, nominis ordine undecimus, Eccleſiæ tum principatum tenebat. Ad eum, vix dum barbarici tumultus increbuerat rumor, legatum miſerat Leopoldus Comitem Georgium Adamum Martinitium, qui diceret: in repellenda Turcarum ferocitate non Hungariæ tantùm Germaniæque, ſed Chriſtianæ Religionis rem agi; quippe gens victa ut leges, ita & ſacrilegos Tyranni ritus facilè ſubit, domeſticis rebus utiles, nec inſuaves quibus nil ſapit præter vivendi commoda atque divitias. Ille periculo vehementer commotus, depellendoque pollicitus opem ſuam, egregia fide ſummaque benevolentia per omne belli tempus promiſſum fecit. Nunc autem, cùm præſertim in eo verſari ſalus publica videretur, ut Sarmatico fœdere conſtituto Turcarum impetus non una ex parte retunderetur; in id quàm maxime

1682.

Concilii circa bellum ſuſcipiẽdum diviſio.

Quare diverſa partium ſtudia.

Denique bellum decernunt, Innocentii Summi Pō-tificis deſiderio obſequuti.

Leopoldus Imper. ad Inn. Legatum miſerat Co: Martinitium, ut illũ ad Turcicum bellum incenderet.

Martinitii ad Pō-tificem verba.

Innoc. Leopoldo opem ſpondet, ac præbet.

1682. dedit operam nec vano ſucceſſu. Non enim ſupremæ ſolùm Dignitatis auctoritate, ſed privata gratia, qua plurimùm apud eam gentem valebat, donis etiam, quibus ea maxime delectatur, obtinuit ut qui adhuc reſtiterant, in belli ſententiam irent. Decreto bello, hæ ſcriptæ fœderis conditiones ſunt. Quod felix fauſtumque ſit Cæſari, Poloniæ Regi, Poſteriſque eorum, fœdus adversùs Turcas perpetuum apud ipſos fuat. Alter ad alterius provincias, hoſtiliter ab iis petitas, defendendas accurrito. Illos nunc Cæſar ſexagenis armatorum millibus, Polonus quadragenis aggreditor. Vterque ſua, quæque ſuæ olim ditionis fuiſſe norit, Camenæcum præcipue, Ukraniam, Podoliamque Polonus; Hungariam Cæſar recuperato. Si cujus primariæ urbes Vienna, Cracoviaque a barbaris in diſcrimen veniant, alter invicem cum exercitu ad liberandas eas adeſto. Pacem altero invito ne conſtituito. Polonorum reipublicæ Cæſar pecuniam, quæ ſibi ad vicena centena florenorum millia debetur ob ſuſceptam in Svecos expeditionem, remittito. Jure cedito, quo Cæſares hactenus diuque ratos habuere Sarmaticos reges, cum primùm calatis Comitiis crearentur; Diploma reſtituito. Poloni ſi quid unquam Auſtriacis expenſum tulere, obliteranto. Cæſar extemplo quinquaginta hungaricorum aureorum millia ad conſcribendos inſtruendoſque milites Sarmatis commodato; ea redimito e decimis, quas e Poloniæ Sacerdotiis Regi daturum Innocentius ſpon-

Curat jungendū Sarmaticum fœdus.

Atque obtinet.

Ejus conditiones.

ſpondet. Chriſtiani Principes, magni præſertim Moſchorum Duces in fœderis ſocietatem vocantor; adſcribantor, ſi velint. Pontifex Maximus fœderis patronus, ſequeſter eſto. Apud ipſum, quæ nunc paciſcimini, jurantor. Juravere poſt paucos dies Romæ in Cætu purpuratorum Patrum Cardinales Pius Cæſaris nomine, Carolus Barberinus Poloniæ Regis, ſummo Innocentii gaudio, ac læta ſpe rerum ſecundarum. Hæc tamen nonniſi inſequenti aprile exitum habuere. Jam tum verò, cum ſuperiori anno agerentur, Gallia in non magni momenti rem, ſed acerrimis diſputationibus & partium ſtudio omnium ſermone celebratam, plurimis intendit curis. Regaliam dicunt indigenæ jus Regi ſuo datum Eccleſiarum in Galliis patrimonia, dum vacant Epiſcopo, in ſuam utilitatem convertendi, minoraque Sacerdotia, quibus nulla paſcendi gregis ſolicitudo eſt, pro ſua tunc voluntate diribendi. Hujus origo Juris in occulto manet præ nimia vetuſtate, & quia levibus ortum initiis tamdiu eluſit mentes hominum, quoad ſe prodidit ingentibus auctum incrementis; duos autem habuiſſe fontes, regium ſcilicet patrocinium ac beneficentiam, nemo dubitat. Viduæ ſiquidem Eccleſiæ confugiebant in Regis tutelam, ut viam occluderent potentiorum rapacitati, ex eaque tutela quidpiam aderat aut Cuſtodibus præmii, aut Principi ex delato beneficio muneris. Aliæ, cùm munificos habuiſſent erga ſe Reges, in ipſos, cùm domino carerent ſuo,

1682.

Fœdus Romæ apud Pontif. max. juratum.

Quid ſit in Gallia regalia jus.

Ejus origo obſcura.

Unde manaverit.

1682. aliquando refluere datas opes, non iniquo ferebant animo. Dum res modica fuit, neglecta facilè aut lata; ſed gliſcenti quotidie magis modum imponere neceſſe fuit. Quamobrem anno poſt duodecimum ſeculum quarto & ſeptuageſimo ſecundum Lugdunenſe Concilium ſtatuit, ne ultra regalia ſerperet, quàm quò adhuc invaluiſſet. Huic verò obnoxiæ conſuetudini quæ tunc forent urbes, ſilentio prætæritum; atque inde plures in poſterum controverſiæ ex obſcuro facilè obortæ. Eò denique res adducta ut ſeculo exeunte ſextodecimo cœperint Magiſtratus, quibus id penſi erat, contendere: iiſdem regaliam ac regnum finibus contineri; in eorumque ſententiam quartus etiam Henricus edita ſanctione deſcenderit. Verùm cùm Eccleſiarum Præſules, quæ adhuc ab regalia liberæ atque immunes, ad rem, quam nondum ipſi experti fuerant, ſe commoviſſent implerentque omnia querelis; nec ejus temporis eſſet, quæſtionem inſtituere; ſexto poſt mille ſexcentos anno edixit Rex ſagaciſſimus: regaliam ſe vivo, eo quo acceperat ſtatu manſuram; nec quicquam ſe additurum tertius decimus Ludovicus poſt alios tres & viginti annos promulgavit. At ſecus Quartodecimo perſuaſum. Cùm enim ab internis diſſidiis nihil timeret; juri, quod ſibi eſſe dicebatur, repetendo ſanxit ſuperiori anno tertio ac ſeptuageſimo: cunctas in Gallia Epiſcoporum Sedes regaliæ obnoxias eſſe. Id iis acerbum accidit, quorum nondum Eccleſiæ in hujuſmodi venerant conſuetudinem;

Concilium Lugdunenſe ſecundum ei modum imponit, & illinc obſcuritas quò tunc progreſſa.

Diſputatur, an iiſdem, quibus Regnum finibus, contineatur.

Variæ Regum ſententiæ.

Quid de illa decreverit Henricus quartus.

Quid Ludovicus XIII.

Quid Ludovicus XIV.

tan-

tantòque vehementius dolorem fecit, quantò ſibi 1682.
diligenter cautum duorum proxime Regum volun- *Querelæ aliquot Epiſcoporum de dilatanda in ſuas diœceſes Regalia.*
tate videbatur. Et primò quidem obſtitere plurimi,
rati in diverſam illum ſententiam abiturum, cùm
ſedulò reputaſſet regaliam non aliò pervagari poſſe, *Ipſorū rationes.*
quàm quò ſecundi Lugdunenſis Concilii ætate veſtigia feciſſe compertum fuerat. Tunc verò non ultra Gallici Regni, qui tum fuere, fines pervaſiſſe; quibus deinceps amplificatis, regaliam tamen in priſtino ſtetiſſe gradu, Concilii Eccleſiæque interdicto longiùs prohibitam penetrare. Non enim, ut Ma- *Magiſtratuum reſponſiones.*
giſtratus dicerent, eam eſſe regiæ poteſtati natura inſitam, non comparatam effuſa in ſingulas Epiſcopales Sedes liberalitate; ſed aut datam Eccleſiæ beneficio, aut conſenſu probatam; cujus prætergredi impoſitos fines quatuor ſeculorum uſu monſtratos, tot monumentis deſcriptos, iniquum foret. Cùm Rex *Epiſcoporū major pars cedit, aut ſimulat.*
ſuorum monitu, qui rem aliter ſe habere dicerent, nihil de ſententia mutaret, ei lubentes aliqui, taciti plures, vel ſibi verborum ambiguitate conſulere arbitrati, geſſere morem. Duo ſolùm obfirmatis animis reſtitere Nicolaus Pavillonus Electenſium, Franciſcus Cauletus Apamenſium Antiſtites, quos con- *Electēſis & Apamienſis obſiſtunt.*
ſecuta a Magiſtratibus ſacri patrimonii obſignatio a ſuſcepto propoſito non dejecit. Et quamquam Cauletus Toloſani Archiepiſcopi, Pavillonus Narbonen- *Provocant ad Metropolitanos, & cauſa cadunt.*
ſis decreto, ad quos, Metropolitanos ſuos, de vindiciis ſecundùm Eccleſiarum ſuarum libertatem provocaverant, cauſa cecidiſſent; rem ad ſupremum

Ro-

1682.

Cauſam ad Summum Pontificem deferunt, & quo animo.

Innocentius ea de re ter ſcribit ad Ludovicum, monetque, ne quid novi jubeat.

Romani Pontificis Judicium detulerunt. Anceps tum fama fuit, quo illi ſtudio in eam rem acriter ſuſtinendam acti fuerint; tuendi ne ſuorum Pontificatuum jura, an exulcerato in Regem animo indulgendi; quem ſibi, quin Janſenii placita foverent ſuſpectis, infenſum & gravem ſenſerant. Innocentius cauſam complexus, ter Ludovicum ſuis literis monuit injecitque timorem, ne ſi pergeret exilibus Sacerdotiorum ſpoliis diteſcere, ea ſibi Deo vindice aliquando detraherentur, quæ opulenta ab hoſtibus retuliſſet. Ille ne monita ſperneret, Romam legavit Cardinalem Cæſarem Eſtræum, qui diceret: Si Majorum exemplis conſtitutoque jure id explicandum negotium eſſet, utraque Regi ſuppetere; ſi beneficii nomine, tot ejus in Catholicam Religionem eſſe merita, ut hanc levis momenti rem in contentionem venire, vix ab injuria diſtet. Quamobrem illam, ſi dubiam, dono; ſi debitam, Judicio concederet, ſineretque argumentis aut obſecratione animum vinci ſuum. Cùm Pontifex Maximus nullis expugnaretur machinis, Rex conſilium iniit, accipiendi Epiſcoporum ſententia aut liberalitate, quod Romæ denegabatur. Igitur initio hujus anni Lutetiæ Pariſiorum congregati præfatique: ſanctiſſimam Dei religionem Ludovici armis ſtudiiſque propagatam aliquod ab ſe exigere grati erga illum animi teſtimonium, de regalia pronuntiant, Regi per omne late regnum deberi vel a priſcis temporibus traditam, vel nunc ſe auctoribus amplificatam.

Ludovicus Romam mittit Card. Eſtræum qui hujuſmodi negotiū curet, & quibus argumentis.

Innocentius ſententiam non mutat.

Rex Conventum Gallicanorum Antiſtitum Pariſiis agit, a quo pronuntiatur regaliam Regi debitam per omne ſuum Regnum.

Quin

1682.

Quin & capta inde occaſione Placita quædam, nonnumquam probata Majoribus ſuis, publice ubicumque per Galliam rerum divinarum ſcientia percipitur, docenda jubent. Ea ſunt: Regum & Principum Imperia, ne indirecte quidem, ut vocant, Romano Pontifici obnoxia eſſe; a quo proinde nullam ob cauſam regno quempiam detrudi poſſe, nec ſolvi obſtrictam Dominis populorum fidem. Pontifici Maximo Concilium Æcumenicum antecellere poteſtate. Ei ex Cathedra docenti non ut divino oraculo aſſentiendum, niſi dicto conſentiat Eccleſia. Ipſius denique auctoritatem ſacris Canonibus, vetuſtis probatiſque gentium inſtitutis coerceri. Quæ poſteaquam in eo Conventu prolata ſunt, Regis etiam decreto in publicum prodiere. Edixit enim ne quis ab iis diverſa doceat in Gallia, ne quis illa in ſcholis non doceat, neu theologica donetur laurea, qui tyrocinium haud ponat iiſdem in paleſtra tutandis exponendiſque. Re cognita indoluit Pontifex Maximus, reſcripſitque ad Pariſienſem Epiſcoporum Cœtum (cujus de præjudicata ab ipſis regaliæ cauſa literas acceperat) mirari ſe quid eſſet, quòd pro tanta Epiſcopatus dignitate nequaquam ipſorum unus inventus eſſet, qui auderet turbolentas opiniones contundere, ac ſe ſe in diſcrimen offerre pro tot Eccleſiarum juribus vindicandis. Errare ſi crederent, Romani Antiſtitis majeſtatem, quæ ſtaret Chriſti Domini legibus atque inſtitutis, imminui poſſe; & ſi poſſet, hinc reliquos Epiſcopos elatum iri

Jubet quatuor Propoſitiones in omnibus Regni Scholis doceri. Quæ illæ ſint.

Rex idem edicit, quodque ubique publice diſputando aſſerantur.

Pontifex Max. ad Cœtum Epiſcoporum reſcribit, dolet, improbatque ea, quæ ibi geſta ſunt.

Ejus literarum tenor.

Digitized by Google

1682. iri. Quippe ex uno Capitis robore vigere membra;eo affecto langueſcere. Revocent Majorum ſuorum memoriam (non aliis enim quàm domeſticis exemplis pro ſuæ ſplendore gentis inſtrui eos velle); certum erit atque exploratum, tunc maxime Gallicanos Præſules ſtatum ſuum tenuiſſe adversùs quantumvis horribilem tempeſtatem, cùm pro Chriſti in terris Vicarii auctoritate magnis animis dimicaverint; prædæ verò ac deſpicatui habitos a potentioribus, ſi quando ab eo diſceſſerint voluntate conſiliiſque. Meminerint denique: ſe, jura prodigendo ſua, brevem inituros benevolentiam, perpetua incommoda, quæ deinceps nec ſolvi nec ferri poſſint. Deinde neminem Sacerdotiis præficere, qui palam acta illa Pariſienſis Conventus probaſſet, obfirmavit animum; ratus, ita ingruenti malo medicinam facere. Ei demortuo ſuffectus Alexander non modò propoſitum tenuit, ſed eadem acta, cùm poſtremos obiret dies, rejecit abrogavitque. Erat ea Sedium Epiſcopalium orbitas regno gravis (nam plures vacabant), moleſta Regi, Candidatis incommoda;&clamitabantGalli,eas priſco a ſe more impletum iri, ſi Pontifex cunctaretur; iſte verò nullam in ſe moram fore, ſi qui pauci adverſis Romanæ Sedi opinionibus adhæſerant, e Candidatorum numero ſeponerentur. Hinc autem veteres pactiones auctoritatemque violari ſuam, Regi opinio erat, abnuebatque. Res ab altero Innocentio his tandem conditionibus compoſita,ut qui a Rege poſtulati ad

Pontifex negat Sacerdotiis præficere, qui acta illa Pariſienſis Conventus probaverit.

Alex. VIII. in eadem ſententia manſit.

Gallorum querelæ ac ſermones.

Romanorum ad eas reſponſum.

Res tandem ſub Innoc. XII componitur, & quibus conditionibus.

ad Eccleſias fuerant, Conventus Pariſienſis acta abjudicarent; regaliam, donec a Romana Sede cauſa finiretur, ubi nondum fuiſſet, non agnoſcerent. Rex datis ad Sacrorum Principem literis, promitteret abrogatum a ſe iri legem, qua nuper aſſertæ in Pariſienſi Cœtu propoſitiones, cunctis per Galliam publice propugnandæ indicebantur. Pontifex abolita præteritorum memoria, Præſulibus a Rege nuncupatis infulas ac diploma daret. Cuncti lubentes volenteſque promiſſi fidem perſolverunt, nec quidquam Regis aut Epiſcoporum erga Innocentium obſequii, Innocentii erga utroſque benevolentiæ deſideratum eſt. Regalia tamen ubique invaluit. Placita modò ſilent, modò in publicum revocantur, prout quiſque pacem aut diſcordias amat, ex alterutro ſibi conſulens. Hoc anno per hyemis tempus oceanus ad boream ſe ſe extulit præter modum; ulturuſque Hollandorum Zelandorumque audaciam, qui loca undis humiliora incolunt aggeribus freti, his alibi confractis alibi ſuperatis, longe lateque inundavit, maxima urbium, pecudum, populorum ſtrage. Æſtas gravis brutis animantibus fuit per omnem Germaniam, Helvetiam, Burgundiamque, miſerè nulloque diu remedio, quod vim morbi extingueret, peſtilentia abſumptis. Eo non ita multos poſt menſes reperto, clades ceſſavit. Tripolitanis, qui piraticam fecerant adverſùs Gallos, multo prius damno perdomitis, pax a Ludovico Rege petentibus data.

1682

Quæ invicem pacti fuerant, perſoluta.

Regalia ubique invaluit.

Propoſitiones modò tacent, modò invaleſcunt.

Oceanus Hollandiam, Zelandiamque inundat ingenti damno.

Brutorum alicubi peſtilentia.

1682. data. Illos, Chii portum cum ſeptem prædatoriis navibus quamquam ingreſſos, contriverat ſuperiori anno Queſnæus Gallicæ claſſis pro prætore, tribus earum tormentorum vi prope demerſis, reliquis armamentorum laceratione multaque cæde debilitatis. Urbem quoque ruinis impleverat, auſam fœderis contra leges jaculando prohibere portu Gallicas naves, piratarum excipere. Suis, qui Byzantium miſerant renuntiatum quaſſata mœnia, domos, Templa, ſociorumque diſcrimen, ſupremus maris præfectus ſuppetias venerat cum ſex ac triginta quinqueremibus, ſpe fretus, diſceſſuros Gallos, cùm ſe vidiſſent. At ubi patuit in anchoris ſtare, piratarum claſſem, cùm illac tranſmitteret, oppreſſuros; urgeretque navigandi tempus; nec Turcis, ut ſociis mare tutum redderent, adeſſent vires, aut foret animus dirimendi fœderis, quod vetuſtum cùm illis intercedebat; Tripolitani, eodem præfecto interprete, pacem erratique veniam petere coacti fuerant. Pacti, quos Gallorum captivos in navibus habebant, illico; quos domi, intra duos menſes reſtituturos; abire permiſſi ſunt. Re cum Tripolitanis compoſita, Queſnæus ad Helleſponti fauces ſe contulerat, impedieratque aditu naves, quæ ad regiam urbem commearent. Quippe ſecum ipſe conſtituerat, poſſe hoc adigi incommodo Viſiriorum principem ad Gallicos excipiendos legatos ampliori ſede atque honoribus, quàm reliquos Chriſtianorum regum, prout Ludovi-

Queſnæus Gallicæ Claſſis Præfectus Tripolitanos Piratas in Chii portu atrociter contundit. Verberat ipſam urbē.

Turcarum claſſis eò pergit ad opem ferendam.

Immotis Gallis.

A quibus Tripolitani pacem obtinent.

Quibus conditionibus.

Queſnæus Gallicæ Claſſis Præfectus Helleſponti fauces obſidet.

Qua de cauſa.

dovicus ad Imperii ſui majeſtatem jamdiu poſtulabat. Recens injuria ſuperiorem alteram cumulavit, irritavitque adeo Mehemetis animum, ut Viſirio negotium dederit: videret ne utraque Gallis impunis foret. Luendam igitur trecentis aureorum millibus legato indictum. Renuenti carcer objectus, cunctiſque ſuæ gentis, qui per Othomanica emporia mercaturam facerent, haſta atque ærumnæ. Et quamquam non ita multò poſt Queſnæus cum claſſe Algeriam trajeciſſet, urbem piratica infamem omni telorum genere conſciſſurus, ille tamen nihil ideo remiſerat, urgebatque vehementiùs atroces minas. Verùm cùm nihil aut parum proficeret, & in Hungaricam expeditionem intentus, aliò diſtrahi averſaretur; ſimul verò legatus, ſi quid ipſe ac populares detrimenti injuriæque a Turcis acciperent, implacabiles ſui Regis inimicitias minitaretur; querimonia hoc demum tempore quatuor aureorum millibus exiguaque gaza compreſſa eſt. Novus annus erit inſignis extremo Germaniæ Italiæque a Turcis periculo; inſignior eo depulſo cum tanta Barbarorum clade, ut qui ad id temporis immani potentia creverant, nunc tandem proſtrati abjectique in dies magis magiſque ingenti noſtrorum temporum felicitate non amplius terrorem afferant. Hyemem Leopoldus ac Mehemetes traduxerant ſcribendis inſtruendiſque legionibus, comparandis commeatibus ac reliquo belli apparatu. Viennæ

1682.

Excanduit Mehemetes Rex, ejuſque juſſa ad Viſirium.

Ingens pecunia a Gallis petitur, minæque adduntur.

Nullo proventu.

Negotium tandè facilè cōponitur.

Digitized by Google

1683. quoque munitiones, quæ, ut in pace, neglectæ

Vienna munitur. fuerant, instaurari cœptæ, erigi ſuper muros lorica, purgari foſſa, & via circa foſſam tecta muniri vallo. *Metus ne illam Turcæ invadant.* Rumor quippe haud obſcurus inceſſerat, ipſam Imperii ſedem petitum iri. Et quamquam Hiſpanienſis Legatus hanc opinionem mendacii argueret, ne Cæſar, permotus diſcrimine regiæ urbis, huc ab Rheno milites revocaret, quos ibi hyemare juſſerat, Gallis, ſi quid in Hiſpanos audere vellent, retinendis; cavere tamen in tanta belli vicinitate conſilii erat. Miteſcente hyeme ex *Cæſar Poſſonium pergit.* hibernis educto militi Poſſonii ad conveniendum dies indictus. Eò quoque ſub aprilis finem ſe contulit *Carolus Lothar. Dux ſupremus Præfectus.* Carolus Lotharingiæ Dux, qui ſupremus armorum præfectus creatus fuerat, nec ita multò poſt Leopoldus cum tota auguſta Domo ac magno *Ibi Cæſar luſtrat exercitum.* Principum comitatu. In Kitzeri aperta planitie, quæ prope eam urbem ſe late pandit, luſtrato exercitu, datoque unius menſis ſtipendio, Germani milites ad triginta millia (nam adhuc aliqui in *Quo numero.* ſuperiori Pannonia, plures in præſidiis detinebantur) ſub ſignis affuere. Strigonii Archiepiſcopus ineffabili Divini Filii Sacrificio Deum veneratus, ut placabilis propitiuſque Chriſtianæ genti eſſe vellet, Romani Pontificis nomine eos deinde lætis ominibus *Quibus cæremoniis.* caſtiſſimaque præcatione proſequutus eſt. Nihilo tamen ſecius trepidi fluctuanteſque celebravere diem. Nam fama Turcici exercitus numero ac viribus potentiſſimi præoccupaverat omnium animos,

in-

injeceratque ſolicitudinem, hoſtilem impetum ſectanti non eſſe ad repellendum. Cæſar multa volutans animo, Viennæque metuens, illuc poſtridie cum ſuis regreſſus, extemplo quæ muniendæ urbi reliqua erant, ad omnem obſidionis caſum abſolvi jubet, ac cives parare ſibi in annum commeatus. Lotharingius miſſis ſpeculatoribus, qui aliqua de Turcarum exercitu renuntiarent; audito, illum militi, Aſiatico præſertim, ex longa moleſtiſſimaque via reficiendo in ſtativis ad Albam Græcam adhuc eſſe, Strigonium haud parvi momenti urbem, quæ parùm aberat & modico tenebatur præſidio, aggredi ſtatuit; ratus eam, antequam Barbarus adventaret, in ditione ſua fore, & ſe proſperò eventu confirmaturum militum ſuorum animos, præda inopiam ſublevaturum. Dum eò ſigna movet, urbis præfectus re comperta confeſtim ab Neoſelio, quod haud longe diſtat, ſubſidium advocat. Miſſi ad ſex homines millia cum ingenti bellico apparatu Strigonium extra diſcriminis aleam poſuiſſe videbantur. Quod ubi Lotharingio cognitum eſt, iter illico ad ſiniſtram flectit, tranſgreſſuſque Danubium Vagumque flumina, Neoſelium ipſum obſidione cingit adeo opportune, ut ad hujus præfectum ludificandum, attenuandumque præſidium, quod utpote arcis ad fines Imperii poſitæ validiſſimum erat, reputaretur Strigonium invadere ſimulaſſe. Nunc tria peditum millia, octingentos equites habebat. Præfectus haud minus oppido, quàm ſibi

1683.

Viennam redit.

Cives jubet in annum commeatus ſibi comparare.

Lotharingius Strigonium tentare ſtatuit.

Auctum ibi ab Neoſelio Præſidium.

Quare Lotharingius Neoſelium petit.

Prætor Neoſelii ſuadere Lotharingium nititur, ne oppido oppugnando fœdus rumpat.

Digitized by Google

1683. ex improvido ſubducendi tot milites conſilio vehementer timens, blande Lotharingio ſuadere ſtudet, ne adorienda urbe in rupti a ſe primùm fœderis invidiam ruat, neve hoſtem laceſſendo, ferociorem implacabilemque reddat. Cùm vidit fraudem ac dicta ſua ludibrio eſſe, nulla mora ſe vertit ad belli artes, inſtruit machinamentis muros, firmat milite, atque omnium primùm ſuburbiis flammam injicit, ne hoſtibus commodo & munimento forent. Fumus ac pulveris atra nubes ex incendio ruinisque adeo invicem conſpectum hoſtium ademerat, ut Germani propius ad munitiones acceſſerint nullo fere periculo minimaque cæde; nam Barbari ex incerto jaculabantur. Poſito vallo raptim aggerem ad foſſam ducunt, tria ex intervallo communiunt loca, unde majoribus tormentis mœnia, ollis incendiariis domos confringerent. Oppidani intra loricam ſe continebant propellebantq; hoſtem jaculis. At cùm noctu agger procederet, & duobus propugnaculis, interdiu quaſſatis, ab interiore latere haud levis ruina impenderet, ſeptimo die in hoſtem erupere, haud ſegniter a Germanis excepti repulſique poſt diuturnum certamen, pluribus utrinque cæſis. Dura erat oppugnatio, cum præſertim libratorum unus ad Barbaros transfugiſſet docuiſſetque ex opportuniore loco telis Chriſtianos milites confodere, perfringere machinamenta. Patebat tamen, Germanis denique ceſſuram urbem ope deſtitutam, nec ferendæ tempus ſuppetere. Cum poſtri-

Sed fruſtra.

Oppugnatio deſcribitur.

Præſidiarii erũpunt.

Repelluntur.

Oppugnatio progreditur.

ſtridie a Cæſare afferuntur literæ, quibus Lotharingius jubetur referre pedem, omnemque exercitum ad fines tuendos, prout ſibi e ſententia videretur, adducere. Nam Viſirium, audito Neoſelium diſcrimen adire, accelerato itinere jam prope adeſſe, neque e republica exiſtimari, uni oppugnandæ urbi conteri vires, quibus Hungariæ Germaniæque ſalus contineretur. Quare confeſtim vaſa colligunt, tantaque, ut in ſubitis rebus, negligentia carpunt iter, ut qui non pauci lignatum prædatumque jegerant, præda hoſtium manſerint. Trecenti quoque Croatorum equitum, qui a caſtris ſpeculatum diſceſſerant, interceptis itineribus cæſi a præſidiariis, captive ſunt. Deſiderati in ea obſidione mille quingenti, plures laboribus & Cœli gravitate conflictati. Lotharingius, traducto in Cituorum inſulam exercitu, deliberandum ſuſcepit, ubi & qua ratione frænando retinendoque hoſti, legionibus collocatis, poneret caſtra. Quippe varius percrebuerat rumor, quò ille bellum ac ſigna ferret; variantibus perfugis, aliis renuntiantibus per ſuperiorem Pannoniam, Moraviam & Sileſiam petere; per inferiorem aliis, Croatiam Stiriamque; Jaurinum aliis per Danubii ripas. Placuit ipſa monſtrante loci natura, ad Arrabonem Vagumque amnes conſiſtere, qui aditum in eas provincias fertilioremque Auſtriacæ Hungariæ partem claudebant. Vagus Eſtheraſio Palatino cum ſexdecim Hungarorum millibus, quos tumultuario delectu collegerat, cuſtodiendus, petenti datur. Arrabo, quà

Lotharingio renuntiatur, ut ab oppido diſcedat. Quid hujus cauſa fuerit.

Recedit cum aliqua ſuorum ſtrage.

Quot in ea obſidione deſiderati.

Deliberat ubi collocandus exercitus, ac Turcis obnitendum.

Quod captum cōſilium, ubi & quomodo locatæ legiones.

Eſtheraſius ad Vagum.

Digitized by Google

1683. quà Stiriam reſpicit, Comiti Chriſtophoro Budiano cum ſex pariter Hungarorum millibus. Turmæ aliquot Germanorum equitum utrique adjectæ ad fidelitatis exemplum, virtutis æmulationem. Lotharingius cum legionum robore ad Arrabonis confluentem ſe tenuit, ubi amnis per aliquot paſſuum millia vadoſus eſt, & quà ante annos undeviginti a Barbaris ſuperatus fuerat. Reliqua vada facilioreſque aſcenſu ripæ caſtellis ubique præſidiiſque firmatæ. Turcæ Vere jam medio ex omnibus partibus ad Albam Græcam convenerant; quò ſe pariter contulerat Rex Mehemetes, præmiſſo Muſtapho Purpuratorum principe. Illic ad ſe vocatis provinciarum prætoribus tribuniſque militum, Muſtaphum ad genua provolutum his prope verbis alloquitur. Fortunam ac dignitatem Imperii noſtri ſcias a me tibi committi. Utrique tuendæ quot copias, quantoſque belli apparatus inſtruxerim, vides. Verùm ut corpora, quantumvis procera validiſſimaque, nonniſi ſpiritu; ita una ducis mente exercitus viget. Is igitur formari debet tua virtute ac ſtrenuitate; nec alios geret animos, quàm quos fortiter agendo tu dederis. Magnos autem & robuſtos dabis, ſi me tibi velut præſentem conſtitues. Nam virtus conſpecta fervet, ab eo præſertim, cujus teſtimonium præmia aut pœna ſequuntur. Et adero quidem in his legatis tribuniſque militum, quos tibi ut rerum gerendarum ſocios, ita & teſtes attribuo. Pugnam capeſſito iſtorum, mei, tuique memor, & vinces. Numero enim

Budianus ad Arrabonem prope S. Gottardi Fanū.

Lotharingius ad confluentem Arrabonis.

Mehemetes Albæ Græcæ Viſirio Vexillum tradit.

Quibus verbis & cæremoniis.

enim ac viribus præſtamus hoſti; & nihil ad victoriam deeſt, dummodo non deſit animus. Hæc cùm dixiſſet, Vexillum falſi Profetæ in ejus manibus poſuit, quòd in graviſſimis expeditionibus, maximiſque ſolùm rerum periculis prolatum Turcæ velut fatale ſignum proſequuntur. Muſtaphus illud venerabundus accepit; fatuſque: Regis dicta & ſacrum Prophetæ pignus æque ſibi ad magnanima facinora vires addere; nec illud deſerturum, niſi vita ſe prius deſerat; in caſtra ſe reſtituit. Poſtero die ſigna movit; Tehelium Murſæ obviam habuit; paucis ibi de re gerenda conſultant, decernuntque, acie prius cum hoſte congredi; eo perculſo, reliquorum ex occaſione conſilium capere. Ipſe Albam regalem pergit ire cum omnibus copiis. Tehelium jubet, quos popularium in armis habeat, illuc adducere, ad ſeditionem cœteros excitare. Dicto paruit; propoſitoque in vulgus, ac data fide, nullam perniciem a Turcarum exercitu iis fore, qui abjudicato Cæſare ſecum ſtarent; illico Papa, Veſprimium, omniſque regio trans Arrabonem ac Vagum in ejus tutelam ſe commiſere. Nitria quoque ex altera Danubii parte a præſidiariis, æneis prius tormentis atque omni belli apparatu ſpoliata, deſerta eſt. Muſtaphus recenſito exercitu numeratiſque Turcarum peditum ſeptuaginta millibus, equitum triginta, ſociorum Scytici nominis quadraginta, cum his copiis ad Arrabonem ſucceſſit. Hungaros Dacoſque, quorum

1683.

Tehelius Murſæ Viſirium convenit, ſimul de re gerenda conſultàt.

Tehelius Hungaros ad ſedition. ſolicitat felici ſucceſſu.

Turcarum militũ numerus.

1683.

Ad Arrabonem ſuccedit, illum transgreſſurus.

Germani ſe opponunt.

Muſtaphus ſimulat Jaurinum invadere.

Deinde acie inſtructa tentat vadum, & repellitur.

rum ingens aderat manus, ſeorſum, quàcumque poſſent, terrorem moleſtiamque hoſtibus inferre jubet. Fluvius agmina dirimebat; & quamquam Germanos Turcæ longe multitudine ſuperarent, attamen plenum erat periculi eniti in adverſam ripam, milite ac machinis permunitam. Lotharingius enim caſtra tutiſſimo in loco poſuerat, ubi Arrabo, amne diviſo, haud exiguum tractum ambit; nec alibi in propinquo vadum erat. Id poſteaquam Muſtapho compertum eſt, ipſa incenſus rei difficultate; cùm propter inſitam animo ferocitatem nihil non ſibi cedere pateretur; Jaurinum, arcem ad fluminis oſtium validiſſimam, tentare ſimulat, ut Lotharingius ad illam majori militum numero confirmandam riparum præſidium debilitaret. Nihilo tamen ſecius, quamquam illuc traductis ſex armatorum millibus, Muſtaphum fefellit res. Cùm enim inſtructo exercitu, velut trajecturus, hoſtem ex adverſa ripa jaculari cepiſſet, ſi fortè ſubmoveretur daretque aditum tranſeunti, turmæ quoque duplici in loco aquam intraſſent; illas haud ſegniter retudere Germani omni miſſilium genere, tantaque enituit iſtorum virtus, ut Viſirius de traducendo deſperaverit.

Tebelius ſpondet ſe alibi vadum aperturum.

In id quot milites acceperit.

Triſtem infelici eventu, incertumque quid ageret, Tehelius convenit, vadum pollicitus aperturum ſe conſilio induſtriaque ſua. Daret proinde milites, fideretque promiſſa, ut non ſemel antea, nunc pariter ſoluturo. Data decem Turcarum, viginti Scytarum millia, huic gerendæ

rei

1683.

rei opportunum ob equorum velocitatem copiarum genus; iis plures Hungarorum cohortes adjectæ. Ille prima vigilia noctis adverſo flumine ſigna ducit, præmiſſo, qui Comiti Chriſtophoro Budiano, cui ut jam memoratum eſt, vadi cuſtodia ad S. Gottardi Fanum commiſſa fuerat, brevì ſe cum ingenti exercitu affuturum diceret; proinde præſtaret promiſſi fidem, quam occulte ſolicitatus dederat, ſe defecturum; tenuitque prodito loco, eò deteſtabiliori perfidia, quò ad incredibilem Barbarorum crudelitatem recluſit aditum, Cæſari magnis antea beneficiis obſtrictus. Barbari traſgreſſi flumen, auctique hungaricis Budiani cohortibus, quæ omnes ad unum ejus perduellionem ſunt imitatæ, illico ferrum flammamque agris injecere. Fumus longe conſpectus Germanis ſuſpicionem movit, ſuperaſſe amnem hoſtes; poſtmodum rem certam fecere Germanorum turmæ, quæ Budiano ſubmiſſæ fuerant, ab eoque, poſtquam defecerat, Barbarorum telis oblatæ vix fuga ſe ſubripuerant. Quod ubi innotuit, veritus Lotharingius, nè ſimul a tergo a fronte interceptis itineribus milites ſuos commeatus deficeret, cujus jam prope inopia conflictabatur, peditatum extemplo in Cituorum Inſulam tranſire jubet, atque inde ex altera Danubii parte tutis itineribus Viennam petere; quam certum videbatur Barbaros obſeſſuros; Equitatum, iter peditibus muniendo, tandiu in acie conſiſtere, quoad illi cum bellicis machinis ulteriorem obtinuiſſent ripam; deinde & ipſum

Mittit ad Comitem Budianũ, quem antea corruperat, ut ad S. Gottardi Fanum, ubi excubabat, vadũ permittat.

Budianus ejuſque Hungarorum Copiæ cum eo ſe conjungunt, ac Regionem late populantur.

Germanorũ turmæ fuga ab illo dilapſæ rei nuntium afferunt Lotharingio.

Lotharingius peditatum tranare illico Danubium imperat ac Viennam ire.

Equitatum deinde cis idem flumẽ illuc pergere.

R 2 ad

1683. ad regiam urbem viam capere; populationes prohibiturum. Re geſta, Aldemburgum pervenerant equites; cùm, quos Tehelius traduxerat, efferri in ſe vident effuſo curſu. Subſtitit poſtremum agmen, atque atrox exorta pugna; quam ægre Germani ſuſtinebant, tarde ad ſigna ſe colligentes; quippe qui ſolutis ordinibus iter feciſſent. Dux Lavemburgi e regnatrice Saxonum Familia, qui agmen ducebat, ſuorum trepidationem intuitus ad prima ſigna concitat equum, ſubmiſſiſque recentibus aliquot turmis inſtaurat aciem, hoſtem deturbat. Pars tamen impedimentorum in hujus poteſtatem venit cum magna cæde Sabaudicæ legionis, iis cuſtodiendis præpoſitæ; cujus Tribunus Ludovicus e ſuprema Allobrogum Domo, lethaliter ictus, paulo poſt moritur. Reliquorum plures gregarii cecidere, necatuſque Arembergæ Dux, qui nullo ſtipendio exercitum proſequebatur. Inter hæc Viſirius nudatum hoſte Arrabonem tranſgreſſus, quò ſigna verteret, deliberabat. Placuit (Jaurino Komaraque a tergo relictis, quæ magnis impoſitis dudum præſidiis tenebantur; ſpretoque, inde ſibi commeatus intercipi aut retardari poſſe) Viennam Cæſaris ſedem adoriri. Et quamvis hanc unam non ignoraret Solymani, Othomanorum Principum maximi, fregiſſe vires, nec amplius Turcicis armis tentatam; modò verò ad ſuam defenſionem Germanos excitaturam; attamen ad tantum facinus obfirmaverat animum, fretus ſuorum nu-

Equeſtre agmen, dum iret, Perduelles mixti Turcis aggrediuntur.

Initur pugna cũ aliqua legionis ſabaudicę ſtrage, & parte impedimẽtorum amiſſa.

Ludovicus Sabaudius ſauciatur, & moritur.

Et Dux Arembergæ.

Viſirius cũ exercitu Arrabonem traiicit.

Viennam oppugnare ſtatuit.

numero atque audacia. Id illa pariter ſuadebant, quòd Hungari perduelles pro certo exploratoque affirmarent, imparatis ſe affuturum; quòdque eximiis referta divitiis, cæſareaque gaza, quibus convehendis jam tempus haudquaquam ſuppeteret, opulentiſſimam dignamque ingenti periculo prædam exhiberet. Illuc igitur parvis itineribus ne milites fatigaret, copias ducit; Scythis qui viam fugamque obſæpirent, præire juſſis. Hi confeſtim iter ingreſſi, brevi temporis momento regionem cis tranſque Lutim, quo fluvio Auſtria áb Hungaria dividitur, lætiſſimam cultu atque hominum frequentia, omni ærumnarum genere impleuere. Nulla ætas captivitati ſubducta (prævenerant enim equorum pernicitate adventus ſui famam) non prędæ armenta, non ædes incendio. Abſtractæ a viris conjuges, a parętibus filii, prout caſu militibus occurrebant, adeo mærore abalienaverant animos, ut diſtractam rem familiarem, aut igne corruptam vix aliquo doloris ſenſu perciperent. Flamma longe viſa monuit Viennenſes, Turcarum exercitum adventare. Pavor illico, ut in ſubita trepidaquere, defixit illorum mentes, & in diverſa diſtracti conſilia, quid agerent, ignorabant. Occurrebant oculis impeditæ adhuc ſuburbanis ædificiis munitiones, nec alio urbem detineri præſidio, quàm duûm armatorum millium, idoneo exacuendæ hoſtium audaciæ, non retinendæ. Et quamquam nulla mora æquandis ſolo ſuburbiis, armandiſque vallorum lori-

Quare in hanc ſẽtentiam venerit.

Ejus iter populationibus, ingentique mortalium præda acerbiſſimum.

Flamma lõge viſa nunciat Viennenſibus, Turcas adventare.

Metu Civitas impletur, & quare.

1683. lorica iiſdem munitionibus dari cœpta ſit opera; attamen hæc nequaquam tanti videbantur, ut ad urbis ſalutem quidpiam addere momenti poſſent. Quare plebs in deſperationem verſa gregatim per vicos plorabant alii patriæ calamitatem, alii carpebant Magiſtratuum incuriam, quòd tam male civitati conſuluiſſent; nec deerat tumultuandi voluntas, ni præſens periculum omnium in ſe animum convertiſſet. Matres ad Templa confugere, orare Superos, ut ſaluum ſervatumque vellent Germanum nomen; Sacerdotes multa prece indictiſque ſupplicationibus Dei pacem exorare. Plena omnia luctu, clamoribus, gemitu; ut urbs captæ ſimilis videretur, impediretque mali inconſultus pavor mali remedium. Quod ubi cognitum, Cæſar omni cives conventu ac de republica ſermonibus interdixit. Deinde commiſſa rei militaris cura Erneſto Rogerio Starembergio, civilis Joanni Gaſparo Oderchio, miſſiſque, qui legionibus imperarent maturare gradum, celeriter ad tuendos muros accurrere; ipſe, ne obſidione concluſus Imperii fortunam in diſcrimen adduceret, primo veſpere tacitus occultuſque diſceſſit cum Conjuge auguſta, quamvis uterum geſtaret, Patris ſecunda Conjuge, ac parvis Natis, tot tantiſque malis haud impar, & in ſumma rerum adverſitate nequaquam infractus animo. Quinto die Lentiam tenuere, adeo graviſſimis incommodis periculiſque conflictati, ut facilè præſentis conditionis, divinæque opis

Ploratu & querelis.

Cæſar tumultus præcavet.

Erneſtum Starembergium urbi tutandæ præficit.

Jubet quæ neceſſaria ad tutelam ſunt.

Tacitus cũ omni auguſta Familia diſcedit.

Magnis incommodis periculiſq; Lentiam pervenit.

opis admonerentur. Etenim cùm iter die continuarent, quantum plurimum poſſent, æſtuoſa ac pulverulenta via, prope fuit ut tantis æruminis non ſufficerent: & nocte incerto nec opinato hoſpitio corpora ignobili cibo, & aliquando ſtramentis incubantes, ſomno refecere. Sed longe major ſolicitudo ipſorum percellebat animos, dum tenui comitatu, exiguaque prætorianorum cuſtodia vjam facerent. Nam cùm innumeræ Scytharum turmæ jam Auſtriam inundaſſent, prędæ ac ruinarum avidæ; nec procul incendia conſpicerentur, nunquam non timor erat, ne a Barbaris opprimerentur. Et cùm ad omnem ſtrepitum admoverent aures, àtque attoniti circumſpectarent, ubique ſuſpicionem metù augente, illos horrentes curæ conficiebant. Nec periculum ſane abfuit. Hungaro duce a Tehelio dato ala octonûm Scytharum equitum millium ad certum locum pervenerat, juſſa Comitem Sdrinum, Emerici levirum, præſtolari, ejuſque imperata facere. Sdrinus obſequii officiique gratia (quippe incredibili humanitate, non imitabili exemplo in aulam adſcriptus, quamvis Pater, ac Sororis Vir Ragotius, Teheliuſque in Cæſarem conjuraſſent) Cæſarem ipſum proſequutus; cùm, quantum itineris ſatis ad rem eſſet, confeciſſet; ſumpto commeatu, dataque fide, anniſurum ut levir moderatis conditionibus turbas ſedaret; ad eas copias diverterat, ne ſe duce auguſtam Familiam in ſervitutem abducturas via falleret. Fortè equitum tur-

1683.

Ab Scytharum incurſionibus timet.

A Comite Sdrino inſidiis petitus.

Digitized by Google

1683\. turma, quæ ut fit, exploratum ierat, datas ad Sdrinum a Tehelio literas interceperat, quæ Dunevaldo

Quomodo detecta.

pro legato redditæ rei ordinem, & ubinam Scythę in inſidiis forent, aperuere. Confeſtim movit cum omni, quem ſecum attulerat, equitatu adeo opportune, ut cunctis Dei Numen præſens immani avertendo facinori fuiſſe, in mentem venerit. Nam Scythas improvisò oppreſſit nihil hujuſmodi metuentes; diſſipavitque primo incurſu cum aliqua cæde fugaciſſimum iſtud genus hominum, quamvis longe numero ſuperarent. Iis profligatis, haud longe Sdrinus, ignorans quid actum foret, occurrit. In cuſtodiam traditum, habitiſque quæſtionibus, fama eſt, perfidiam non inficiatum. Non aliam tamen quàm perpetui carceris pœnam ſubiit; Tehelio minitante: ſi morte penderet, eamdem obiturum fortunam Comitem Albertum Capraram, qui Cæſaris legatus adhuc apud Muſtaphum detinebatur. Cæſar cum ſuis Lentiæ biduum commoratus, Paſſaviam ad Bojoariæ fines ſe contulit; an longius Pragæ aut OEneponti ſe abderet, ex occaſione deliberaturus. Inde Sarmatiæ regem, univerſamque Germaniam ad ſublevandam ope ſua, nullo temporis intervallo, periclitantem Urbem per nuncios, atque hemerodromos ſolicitavit. At Viennæ vixdum compertum, Cæſarem abiiſſe, conſternati præter modum cives, atque omnia tumultu impleta. Principum Legati, atque Aulæ Proceres fugam illico arripuere. Hos haud pauci popula-

Dunevaldus Scythas in inſidiis locatos, aggreditur fugatque.

Sdrinum intercipit.

Fama eſt, perfidiam ſuam non negaſſe.

Non alia quàm perpetui carceris multatus pęna, & quare.

Cæſar Paſſaviā iter proſequitur.

Inde Legatos in Sarmatiam, Germaniamque ad opem orandam mittit.

Vienna Principū Legati, Aulæ que Proceres diſcedunt.

pularium cum conjugibus & liberis ſunt proſequuti, incerti quò fugerent; ſed obſtinaverant animos ab obſidionis periculo ſe dimovere, cętera in caſum dare. Digredientibus familiares, notique cum lacrymis occurſabant, ſpem alii tuendæ patriæ oſtentantes, ne in tanto diſcrimine eam desererent; alii victi commotique exemplo, ut ſe adjungerent profecturis. Species viſu ac ſtrepitu miſerabilis erat. Nam undique concurſabant mulieres puerique, patres ac viros cum multo gemitu rogitantes, ut ſe abducerent; & illi ſeu precibus cederent, ſeu adverſarentur, non ſe conſilio expediebant; ibantque modò viam, modò redibant, prout externi internive periculi fortior eos ſubierat cogitatio. E portis effuſi, ſuam quique ſequentes ſpem, ſua conſilia, per agros dilabebantur, alii ad alia finitima progredientes loca, quæ hoſpitis alicujus aut victus quærendi opportunitas cogitantibus ſubjiciebat. Verùm cùm imbellis multitudo longo & celeri itineri par non eſſet, plurimi conſtitere deplorata ſalute ſtupidi, Scytharum præda mox futuri, ni continuò cum omni equitatu Lotharingius ſuperveniſſet. Etenim diſſipatos colligi; exanimatos jam prope fame ac metu, firmari cibo, præſidioque tectos duci, quò vellent, juſſit. Gratum quippe Magiſtratibus fuerat, ſponte plebem (ne ipſi duriores viſi forent cogendo ſuadendoque) aliqua ſui parte, fœminarum præſertim, eorumque, quibus ad arma ferenda

1683.

Civium quoque multi cum conjugibus ac filiis.

Tumultus, ſtrepitus, pavor diſcedentium & univerſæ Civitatis.

Plures, dum fugiunt laſſitudine ſubſiſtunt, mox futuri Scytharũ præda.

Lotharingius adveniens cũ omni equitatu iiſdem ſaluti fuit.

1683. non ætas, non vires ſufficerent, urbem exoneraſſe, ne graviorem cæteris annonam facerent. Ejus adventu reſpiravit a metu civitas, atque adeo collegere animos cives, ut de tutanda patria cogitarent. Incendia ac populationes jam non terrorem ſed iracundiam excitabant ulturis hoſtium acerbitatem, injurias agrorum. Interea peditatus accelerato itinere per inſulas, quas e regione Danubius facit, ponte conjunctas, ingreditur urbem. Ad quindecim fuere militum millia cum bellicis machinis, atque omni miſſilium genere undique convecto. Ad has copias adiecti urbanorum plurimi, qui ſponte e literarum aut artium ludis dedere militiæ nomen; in cohorteſque e ſuo quique ordine digeſti ſub belli expertis ducibus egregiam navarunt operam. Quatuor & hæc fuiſſe millia proditum eſt. Cùm virium ſatis foret ad repellendos hoſtes, ne animus deeſſet, quo uno viget robur, Starembergius in tribunal, quod ad ſanctiſſimæ Trinitatis columnam erigi juſſerat, aſcendit. Ibi convocatos majores duces, tribunos, centuriones paucis militari more alloquitur. Non ego vos, Duces, veſtra cauſa convenire apud me volui, quos propria virtus, non Imperatoris monita ad bene ſtrenueque gerendum agunt; ſed militum, quorum multitudo & nonniſi per ora veſtra meæ particeps voluntatis fieri poteſt, & quibus non adeo fervet animus gloria, ut ad eam ſponte feratur. Igitur quamquam eorum neminem eſſe putem, qui

Peditatus Viennam ingreditur, & quo militum numero.

Delecti milites aliqui e Civium numero, & qui.

Starembergius milites jurejurãdo firmat ad urbẽ tutandam; ejuſq; ad militiæ Duces verba.

cùm

cùm in hac urbe propugnanda Cæſaris Germaniæque res maxima peragatur, non ipſam ad extremum ſpiritum propugnare velit; attamen quia quos pecunia ſolùm ad bellum ciet, plerumque verum decus ignorant, aut una metiuntur utilitate; curandum mihi eſt, ne his vitæ amor turpia meticuloſaque ſubdat conſilia. Quod ne unquam accidat, unuſquiſque militum apud tribunos; tribuni & reliqui duces apud me ſacramento ſpondeant, neminem vivum, niſi ſalvà urbe, a mœnibus diſceſſurum. Qui ſecus dicat aut faxit capite luat. Profectò ad vincendum vires addet, augebitque corporis atque animi robur ex una victoria ſalutis ſpes. Primus ego in hanc ſententiam per quidquid ſanctum religio habet, caſte riteque juro. Læti Imperatorem duces audierunt; dataque jurejurando fide, ejus ſe conſtantiam atque invictam magnanimitatem non tantùm admirationi ſed exemplo habituros, ad ſuas quique legiones diſceſſere; juſſique milites, elata dextera ad unum omnes obligarunt ſe ſacramento, facturos quod petebatur. Dein Starembergius ad cives converſus, qui frequentiſſimi ad rei novitatem convenerant: nos, inquit, pro ſalute veſtra vitam oppigneravimus; & gratum eſt, impigre labores & ipſam, ſi ſuperis lubet, mortem oppetentes propulſare a cervicibus veſtris jugum ſervitutis. Hanc mercedem unam, quæ vobis lucro cedet, pro ejuſmodi, nec parvo quidem, munere paciſcor: quieti atque otioſi per domos 1683. *Ejuſdem ad Cives oratio.*

1683. & Templa ſitis. Nulla prodeat a vobis vox, quæ aliquam publicarum ædium privatarumque ruinam ploret; nullam metus exprimat, quæ hoſti urbem dedendam, & paucorum dierum calamitatem perpetua redimendam flagitet. Parietes ac tecta, ſi vitium faciant vi tormentorum, facilè reficiuntur; libertas ſi ſemel periit, rarò & difficile inſtauratur. Qualiſcumque demum pro Sacris, pro Patria, pro Conjugibus ac Liberis accipienda ſit a vobis ærumna, levem modò, ſi ad hæc animum conferatis, utilem in poſterum judicabitis; & illam pertuliſſe gratum erit, narrare jucundum. Quòd ſi aliquos diverſa manet ſententia, hos ego uno die impunitos cedere timori ſino. Patet meo juſſu ad Danubium porta. Illac ſe eripiant, ſuoque exonerent urbem metu. Poſtmodum vel unum trepidi conſilii verbum capite damnabitur. Vos autem, quibus patriæ amor, & publica ſalus omni pernicie potiora ſunt, ſiſtite libenter gradum, magno atque erecto animo eſtote. Nec vos terreat hoſtium multitudo, qui natura imbelles, militiæ inexperti, feſſi longo itineris labore, noſtrorum mox audacia conterriti, temeritatis ſuæ pœnas dabunt; cùm præſertim univerſa Germania atque Sarmatia excitæ e ſedibus ſuis huc advolent opem laturæ. Interim vobis adeſt præſidium, numero validiſſimum, animi robore invictum. Deus adeſt ultor violati fœderis. Illius cuſtodia tectos metuere, nefas eſt; ſcelus, hoc vindice. De me, ſi quid mihi facere verborum

Data per diem unum facultas abeundi, apertaque in id porta ad Danubium.

rum

rum licet, promitto in meque recipio daturum operam, ne fruſtra meæ fidei vigilantiæque commiſſa a Cæſare tutela urbis fuiſſe videatur. Hæc dicentem fauſtæ acclamationes lætumque murmur, quale ſolet eſſe invicem ſe adhortantium, excepit. Pauci ſe foras proripuerunt. Cæteri impavidi ad omnes belli ac reipublicæ uſus fidem atque operam exhibuere ſuam. Quæ dum intra mœnia geruntur Turcæ agmine inſtructo (idus tunc erant Quintiles) circumpoſitam Viennæ planitiem operuere. Lotharingius cùm par non eſſet ad eos repellendos, quatuor jam pontibus ad hujuſmodi occaſionem conſtructis, in inſulam, quam Taborem dicunt Indigenæ, finitimaſque alias, urbi oppoſitas, equitatum traduxit, poſtremis cohortibus, commeatibuſque, qui nondum pervenerant, aditum explicaturus. Ibi paucos commoratus dies, relictoque valido præſidio trans amnem caſtra poſuit, in omnem opportunitatem intentus, legiones aliquot, ſociorumque auxilia præſtolaturus. Et jam Germanorum tria millia, quinque Polonorum, Lubomiſchio tribuno Cæſari ſtipendia merentium, ſupplementum acceperat; quos, comperto belli molem ad Vagum, ubi præſidii cauſa diverſabantur, haudquaquam fore, Schultium pro legato juſſerat quàm celerrime ad ſe adducere. Sed aliquam proficiſcentibus moram fecerant Hungarorum legiones, quæ ad inferiora ipſius vada fluminis tutanda, ut jam retulimus, datæ fuerant Eſtheraſio Palatino; quæque audi-

1683.

Pauci diſceſſere, reliqui Cives magnis animis operam ſuam exhibent ad urbis tutelam.

Turcæ Viennæ ſe circumfundunt.

Lotharingius equitatum in Danubii inſulas traducit.

Deinde in ulteriorem ripam.

Schultius ei primum adducit Legiones, quæ ad Vagum excubaverant.

Iis morā facit Hungarorū manus, quæ ab Palatino diſceſſerat, ac rebellaverat.

1683. audito Turcis arridere fortunam, fidem tanto conſenſu mutaverant, ut vix ea defectio ad Palatinum alioſque ſexdecim non pertinuerit. Adeo ſicut in affectis corporibus lues, ita & in dubiis animis facilè perfidia ſerpit. Ii ſiquidem Turcis documentum daturi, ex animo ſe rebellaſſe, Schultiano agmini infeſtum iter reddiderant, moratique fuerant. Muſtaphus poſteaquam vidit Lotharingium ſe retuliſſe; ratus urbem terrore ac minis expugnari poſſe, literas ad Starembergium miſit, quibus necem omniumque malorum extrema, ſi vim expectarent; honeſtas conditiones, ſi confeſtim ſe darent in poteſtatem, pollicitus, ejus & militum animos ſolicitare ac vincere conatus eſt. Ubi cognovit minas blanditiaſque ludibrio eſſe, negligenter circumvallato exercitu adversùs externos impetus, quos ex hoſtium contemptu aut nullos aut leves fore arbitrabatur, urbem oppugnare aggreditur. Ea ſita eſt ad dexteram Danubii ripam, quo ad Boream alluitur, plano apertoque ſolo. Duodecim habet in orbem ducta majora propugnacula; totidem triangulares munitiones iiſdem interjacentes, quæ a muris diviſæ velut parmæ ad hos protegendos opponuntur. Intus aggere communitur conſpicua latitudine ad tormentorum uſum; foris & foſſa & via tecta, & hujus aggere leniter in ſubjectam planitiem deſcendente. Ad hæc Starembergius, qua parte vidit hoſtem mœnibus ſucceſſurum, antemurales vineas circumduxerat, frequentibus fene-

Muſtaphus Viſirius bláditiis miniſque tētat Præſidiarios ad deditionem.

Quæ nibili ſiunt.

Viennæ munitio deſcribitur.

ne-

neſtellis apertas; unde ſi in foſſam deſcenderet, plumbea grandine peteretur. Igitur admotis legionibus oppidum ab omni parte ad excitandos plebis tumultus, ingentibus ſaxis, olliſque incendiariis lacerari cœptum. At quamquam ab ejuſmodi jaculatione nullo obſidionis tempore ceſſatum fuerit, tanta fuit Magiſtratuum vigilantia, ut ignis vixdum ſuccenſus comprimeretur; tanta populi fortitudo animi, ut domorum excidium moderate ferret. Magnum tamen incendium ſtatim ab inita oppugnatione in extremum diſcrimen civitatem adduxit. Exarſerat ad Scotorum vicum, conſumptiſque brevi momento circùm ædibus, ad publicum armamentarium acceſſerat; jamque flamma lambebat turrim, ubi ſulphuratus pulvis concludebatur. Cives, qui fruſtra ignis voracitatem retundere conati fuerant, præſenti periculo, & quia male cœptis ſucceſſerat, exanimati, quid ultra facerent ignorabant. Ad rei nuntium eò ſe contulerat Starembergius cum aliquot majorum ducum ſelectaque militum manu. Conſpecto periculo: non hic, inquit, deliberandum, ſed audendum; aut removendus ignis, aut inter disjectæ urbis ruinas ignobili morte pereundum. Vix fatus erat, cùm plures fortiſſimorum militum proſilvere in tecta domorum, quæ intus prope turrim ardebant; atque illinc, aqua frequentius ſubminiſtrata (nam civibus redierant animi ex iſtorum audacia) diruendiſque muris ac tecto flammam ruinis ſuffocavere. Ea verò dolo ne

in

1683.

Undique verberatur.

Nullus inde Civium terror ac tumultus.

Magnum incendium, maximique periculi ab olis excitatur.

Starembergius eò ſe confert.

Audacioris ſtrenuitate extinguitur.

1683. an caſu excitata fuerit, incertum. Fama tenuit;

Fama fuit ab Hungaris excitatum.

Hungarorum perfidiâ, quorum aliqui in urbe manſerant; & locus faciebat fidem. Quod cum ita ſibi perſuaſum foret, plebs, ut fit, ex obito periculo in furorem verſa, quotquot ipſorum obviam habuit, veluti in comperto crimine, trucidavit. Urbem penè ab interitu vindicatam acrior ſubinde inceſſit hoſtium vis, quaſi hactenus quid cives excidii metu, perduelles inſidiis agerent, expectaſſent.

Quorum Plebs, quotquot obvios habuit, trucidavit.

Turcæ aggerem ad mœnia ducere incipiunt, & ad quam urbis partem.

Itaque tertio poſtquam advenerant die, aggerem militarem inſtituunt ad mœnia ducere, primò adversùs Lovelum propugnaculum, quippe quod cœteris anguſtius noverant interioribus vix poſſe receſſibus locum dare. Simul duodecim expediunt majora tormenta ad ejus feriendam faciem evertendamque. Aggere deinceps latiùs explicando, alterum Lovelo proximum propugnaculum, quod ab Aula nomen habet; atque utrique interjectam promuralem parmam, qua lorica murorum protegitur, adeo celeriter complexi ſunt, ut octiduo ab ducenteſimo paſſu ad oram viæ tectæ per obliquos tutiſſimoſque anfractus illum adduxerint; quamquam perpetuò miſſilibus ſubmoverentur; & bis erumpentibus oppidanis, haud ſemel ceſſiſſent loco multa ſuorum cæde. Illic diverſa in parte diſpoſitis muralibus machinis quatere incipiunt dexteram parmæ faciem atque utriuſque latera fronteſque propugnaculi. Diſtrahendis verò fatigandiſque hoſtium viribus urbem tripartito aggredi ſtatuunt.

Bis in illum oppidani erumpunt.

Parmæ dextera facies laceratur, & utriuſque latus propugnaculi.

Lo-

Lovelúm prætori Meſopotamiæ, cui deinde ictu gravi debilitato præſes Damaſci ſuffectus eſt; alterum ab Aula dictum propugnaculum Temeſuarii præfecto traditur expugnandum; parmam Viſirius invadit. Ductis jam antea cuniculis ad aggeris latera, frontibus propugnaculorum oppoſita, ſuppoſitoque nitrato pulvere, is ubi concepit ignem, tanto impetu erupit flammæ vis, ut terra longius ejecta, diſciſſoque labro, utrinque patuerit aditus ad viam tectam. Illico Barbari, qui in acie ſtabant, irrupere. Sed contra nitentibus Germanis atrox exorta pugna. Erat illud primum bellicæ virtutis ſpecimen, quod ab utraque gente dabatur. Quare velut in omnem oppugnationis eventum omen capturi, obſiſtebant alii, alii urgebant incitabantque ſe ſe, ut perumperent hoſtium aciem & finem periculis facerent; rati locum occupaturos ſi paullulum adniterentur. Telis primùm pugnatum eſt, quæ ab omni parte mittebantur; dein ſtrictis gladiis & collato pede, ſtrage eò longe majore, quò irrito nunquam ictu certiſſimoque vulnere. Turcæ, ter quamvis repulſi, pugnam inſtaurarunt, feſſis integri ſubeuntes; donec deſperata victoria abjecere animos, ſuiſque ſe munitionibus abdidere. Bidui intervallo renovatum certamen eſt ad aliud viæ tectæ latus, ubi triquetrum conſurgit opus. Ibi ingentem pariter caveam bellico pulvere oppleverant, qui concepta flamma, horribili fragore aggerem complanavit. Affuere magnis animis, maximiſque

1683.

Trifariam inſtituitur oppugnatio & quibus qualibet pars attributa.

Ignis e cuniculo erumpens viam tectam labefactat

Turcæ locū aggrediuntur.

Atrox ibi pugna deſcribitur.

Turcæ repulſi.

Iterū propè ignis e cavea educitur.

1683.

Iterum Turcæ irruunt.

clamoribus Turcæ, quos acceptæ cladis pudor & Viſirii metus acuebant. Ferociter irruentes excepit fortiſſima oppidanorum cohors, prætentiſque ha-

Pugna exponitur.

ſtis, hàc progrediendum eſſe, vociferabatur. Illi velut furore capti in diſcrimen ſe præcipites dabant, vibranteſque recurvos gladios haud inulti conficiebantur. Prælium erat tumultuario ſimile, nec illud regebat ars; quippe mixtus cum morientium gemitu clamor pugnantium obtundebat aures, ne audirentur imperantium voces; viſum uno conſilio dimicaturis eripiebat atra nubes, quam micantes e bellicis tormentis ignes effundebant. Una militum cura tenere locum, ne darent hoſtibus. Diu obſtinati manus conſeruere; ſed vicit temeritatem

Barbari dejiciuntur.

Quæ ibi ſtrages.

virtus, Barbaris in fugam conjectis, primiſque eorum munitionibus occupatis. Stetit tamen Germanis victoria plurimo ſuorum ſanguine, vulne-

Vido Staremberg ius vulneratus.

ratuſque Comes Vido Starembergius, qui ſtrenue agmen duxerat. Turcæ longe majori numero deſiderati. Biduum latiùs explicandis amplificandiſque

Tertiò ſubterraneus pulvis furit.

munitionibus morati, rurſus inflammant ſulphuratum pulverem, ea parte humi demerſum, qua viæ tectæ lorica ad dexteram propugnaculi, ab Aula

Et nova initur pugna.

nuncupati, frontem dirigitur. Confeſtim ruunt quò ignis erumpens patefecerat aditum; ſed acriter a præſidiariis repulſi, ad primum telorum jactum

Quam Viſirius exacuit, ſed fruſtra ſuis recedentibus.

retulere gradum. Quod poſteaquam Viſirius accepit, exarſit adeo, ut cohortibus, quæ rem aggredi juſſæ fuerant, occidione delendis vix temperaverit;

mi-

minatus tamen promptam paratamque mortem fœda iterum fuga ſe recepturis. Poſt paucos dies flamma ſubtus excuſſa e tormentorum pulvere vallos opertæque viæ tumulum diſſipavit, ubi in angulum flexus excipit parmæ roſtrum. Quamquam autem ingens hiatus invitaret ad occupandum locum, tunc Muſtaphus nihil movit, intentus operibus illuc promovendis; quibus non inconſultò rebatur & rem commodiùs tentari, & confirmari milites poſſe. Id ubi quatriduo factum, in prælium miſit Janizerorum legionem, quàm tres aliæ, opem laturæ, ſubſequebantur. Nocte concubia ad augendum terrorem dimicari cœptum; continuumque certamen a ſecunda ad tertiam vigiliam tenuit; cum ab una parte conſcia rerum haud ſemel feliciter geſtarum virtus obſtinaret animos; ab altera furor vitæque deſperatio, niſi hoſtes loco ſummoverentur. Ter inclinavit Turcarum acies, mota præſertim manualium igneſcentium ollarum vi; ter novis inductis legionibus ſe reſtituit; donec Barbari cuneo facto, nulloque detenti periculo, quod etiam tenebræ contegebant, Germanos multitudine obrutos ea munitione protruſerunt, illata pluribus nece, interque nobiliores Ketelinshio tribuno militum. Proſpero eventu omnibus, ut fit, lætitiis inceſſere, quamquam ea dimicatio mille ſuorum conſumpſerit. Illic præſidiarii, quippe locus jam antea labefactatus periculi admonebat, duas ſuffoderant caveas nitrato pulveri continendo; quo ſuc-

1683.

Quartò ignis vitellus alibi diſceſſit.

Quò munimenta admoventur.

Poſt quatriduum Turca noctu magna vi locum invaduut, & quo ordine.

Prælium atrociſſimum deſcribitur.

Germani protruduntur.

Ketelinſchii mors.

Præſidiarii ibi duas caveas ſuffoderant, incluſumque pulverē inflammant.

1683.

Magna exinde Turcarum cædes, ſed locum retinēt.

Scamnum alibi Turcæ invadunt, ſed fruſtra.

Aggerem ad Loveli frontem obtinent.

Incenſo prius cuniculi pulvere in foſſam tentant deſcendere.

Dirum ibi prælium, quod enarratur.

cenſo diſſiluit humus, & quidquid ſuperſtabat hoſtium exhauſit. Alii tamen citò ſubeuntes ac tumultuariis operibus ſe contegentes, locum retinuere. Inde brevi mora foſſæ ſcamnum, qua parte apicem propugnaculi prope Aulam complectitur, adoriuntur, ſed inani ſucceſſu. At poſtridie quod erat ſiniſtræ Loveli fronti oppoſitum obtinuerunt; unde ac ſimul e regione triquetræ munitionis, viam ſternente igne e cuniculis educto, ſub veſperam ingenti numero maximoque ululatu in foſſam deſcendere, protectique vimineis corbibus egeſtaque terra pedem figere conati ſunt. Vixdum ab excubiis dato ſigno ſtationarii milites, qui ut in ſummo diſcrimine frequentiores ad erumpendum collocati fuerant, e promuralibus vineis, ex abditaque propugnaculorum porta hoſtibus illico ſe ſe obtulerunt. Flamma ferroque pugna committitur; ac primùm oppidani haud ferre Turcarum impetum, ac trepidare viſi; poſtmodum centurionum hortatu collectis animis in eos non modò invadere, ſed turbare ordines, in fugam vertere, & quidquid ad ſe ſe muniendos adduxerant, amoliri. Utrinque

Magna utrinque clades.

Leſlæus occiditur. Turcæ recedunt.

gregarii plurimi cecidere, nam diu & contentis viribus dimicatum. Inter Germanos Comes Alexander Leſlæus pro tribuno militum lethali perculſus vulnere paullo poſt fato ceſſit. Patebat magnæ rem fore difficultatis hàc muros conſcendere,

Viſtrius urbem ab Danubii parte oppugnare inſtituit.

tot munitionibus circumſæptos, cùm prioribus expugnandis adhuc hærerent. Quare Muſtaphus inde quo-

que

que tentare urbem conſilium cœpit, quà profluente Danubio (ut ibi flumen ſatis dare præſidii videbatur) nec externis erat operibus, nec amplis propugnaculis emunita; ratus etiam, oppidanos ad plura ſimul tuenda non ſuffecturos. Initiò Thaborem inſulam, quæ mœnibus ad Boream verſis objicitur, neglexerant Turcæ ſuperba ex ſuis viribus negligentia, qua una ſtetiſſe urbem nemo dubitat; acceptis illinc, dum reliqui aditus occluderentur, machinis, milite, commeatu, quibus non parum antea deſtituebatur. Re admonitus, illam Muſtaphus quarto poſt initam oppugnationem die peti juſſerat infeſtis armis; dederatque negotium quatuor Janizerorum millibus ſelectiſque Aſianorum militum cohortibus. Hi pontem navigiis impoſitum in adverſam ripam injicere ſimul ſtudent, ſimul cymbis oram prætexunt, ſi quà facilis aut vacua daret viam. Stabant ex adverſo Germani aperto corpore; nam ripam continuis munimentis firmare, immenſi operis; & aliquot ſeorſum erigere, ſupervacanei eſſe reputaverant; hoſte ſubituro quò nulla forent. Minoribus tormentis e medio flumine capeſſitur pugna, quorum par utriſque diſcrimen, & multi lacerabantur. Sed Barbari, ipſo periculo audaciores facti, citatis remis appellunt ad ulteriorem ripam. Deſilientibus occurſant Cæſarianorum turmæ, & ſagittarii eminus jaculabantur. Illi tamen, etſi conſtratum ſuorum cadaveribus amnem intuerentur, nihilo ſecius tranſmittunt fatigantque

1683.

Idcirco Thaborē inſulam invadunt primis diebus neglectam. Unde plurima ſalus Urbi.

Quomodo Thabor inſula occupata.

Germanorum virtus in ea tuēda.

Pugna deſcribitur.

Et in Inſulam deſcenſus.

adeo

1683. adeo Germanos vulneribus ac multitudine, ut inclinaverit acies & loco ceſſerit invadentibus. Quo renuntiato, Lotharingius ſuppetias miſit e ſuperiori quam inſederat, ripa turmas aliquot, quæ laſſitudine ac ſudore diffluentibus robur atque animos refecere. Hinc acriùs repetitum certamen; protruſique iterum Turcæ, ferro aut aquis abſumebantur. Cædes autem longe major ad pontem ſæviit, quem Barbari ingenti conatu ripæ tandem illigatum confertiſſimi trajiciebant, aciem quam citiſſime poterant, adverſus hoſtes collocaturi. Hi contra tria majora tormenta plumbeis referta glandibus laxabant frequenter, quibus plurimi uno ictu dilaniati cœteros a tergo inhærentes vacillante gradu ac mole ſua remorabantur. Hinc poſtremis impellentibus, cum plus nimio conſtiparentur ordines, & quiſque dilatando tumultuaretur, in profluentem cadebant; alii ſtatim abſorpti gurgite; alii nando ad propiores lembos appulſi excluſique ſimul, ne aucto pondere navigium demergerent; ſi parum obſiſterent obtruncabantur. Verùm alii ſuper alios ponte, dum intermitterent machinæ, ſuperato, unàque e tanta vi navium egreſſi aciem inſtruunt, nullaque mora in Germanos concurrunt adeo ſtrenue, ut iſti numero impares diu impetum non ſuſtinuerint, ſe ſeque receperint in poſteriores inſulas, trecentis ſuorum deſideratis, vulneratoque Schultio prolegato, cujus tunc in eas copias imperium erat. Turcarum plus mille ferro abſumptum, aut hauſtum flumine. Thabore

Lotharingius pugnantibus ſuppetias mittit.

Inſtauratur atrocius pugna.

Magna cæde, & ubi.

Ubi & quomodo illata.

Inſulæ tandem Turcæ potiuntur.

Quæ utriuſque partis cædes.

1683.

Ab inſula Turcæ tormenta in danubiana propugnacula diſigunt, eaque lacerant.

boré inſula in poteſtatem redacta, prope ripam longiora expediunt tormenta, dilacerantque oppoſita, interjacente amne, duo propugnacula; quæ utpote in tuto natura loco, tenujoribus compacta muris ceſſere primis machinarum ictibus, nudaveruntque frontem. At verò ut facilis inde in urbem aſcenſus, ita illuc trajecto fluvio longe impeditus; quippe qui undique telis obnoxius; nec foret, illabentibus undis, ubi armati conſiſtere conglobarique poſſent.

Aliquæ ibi additæ a Starembergio munitiones.

Ad hæc Starembergius, animadverſo, quod novum oppido periculum crearetur, promuralibus vineis occupaverat quidquid flumen non inundaret. Id ubi Viſirio compertum fuit, conſilium capit egregii ſtruendi operis, & nomen daturi, exitus ſi magnanimis cœptis reſpondiſſet.

Viſirius avertere illinc flumen inſtituit.

Statuit aquas a muris divertere, amnemque oppoſita mole in ſuos reliquos alveos totum deducere. Igitur, ubi caput eſt inſulæ, vallum in adverſam ripam ducere aggreditur.

Moles deſcribitur.

Pali ingentis magnitudinis, facto inter duplicem ordinem intervallo, in ipſo alveo figebantur, longuriis directi confirmatique. Ordines tigna nectebant in tranſverſum ducta, æquo ſpatio diſtincta. Tignis ſummum caput prolixæ trabes, poſtremum fundo inſerebant ad fluctuum vim ſuſtinendam, ac velut in illos arietarent. In medio agger incondita ſaxorum ſtrue omnique materia conſurgebat.

Anxios tenet oppidanos.

Trepida civitate ad fatale opus, Starembergius quoque magno fluctuabat curarum æſtu, inops conſilii, cum nec naves ſuppeterent ad erumpendum in operas;

nec

1683. *..square.*

nec milites eò poſſent pedibus ire, interlabentibus undis, nec hoſtes jaculis deturbare. Etenim cum ſe abderet locus a vicinis inſulis; tuti a minoribus tormentis, catapultas in propugnaculis & in continentis ripa diſpoſitas, utpote rara ipſarum incertaque jaculatione, aſpernabantur. Quoad vada fuerunt, & leniter depreſſus alveus, proceſſit opus.

Operis difficultas. *Deſcribitur.*

At ubi altus & rapido curſu ferebatur amnis, molis impatiens ægre ſinebat injici vallos, injectoſque diſpergebat brevi momento; adeo ut Barbari re ſæpius tentata deſperataque abſiſtere coacti fuerint. Interea, quam alibi cœperant oppugnationem, non intermiſerant, illamque nunc eò ferociùs urgere inſtituunt, quò non in diverſas partes diſtractis viribus, & reliqua ſpe dejecti. Quater jam in foſſam irruerant, modò ab una, modò ab altera parte,

Sæpius Turcæ foſſa potiri conantur. *Sæpius dejecti.*

connixi eam faſcibus & tumultuariis operibus occupare. Sed undique majoribus tormentis e propugnaculorum latere; ſcorpionibus e vinearum oſtiolis, atque egrediente milite tranſverberati, in pedes ſe conjecerant repetierantque abditiora loca. Hinc modò crebris incurſionibus hoſtem laceſſunt, illum moleſtia, ſi non virtute ſuperaturi. Sæpius victi

Aliquam ejuſtādem partem obtinent.

inſultant victoribus, pulſi redeunt ad pugnam; aliqua demum parte potiuntur, primò ad triangulare munimentum, mox ad Lovelum, nec ita multò

Suſpendunt caveis interiora munimenta. *Loveli roſtrum ſubterraneo igne diſſipatur.*

poſt ad Aulæ propugnaculum. Vix foſſam ingreſſi, interiora opera ſuſpendere caveis; iiſdem ſubjicere nitratum pulverem adlaborant; qui ad Lovelum ſuc-

ſuccenſus roſtrum abſtulit ingenti ſtrepitu, fecitque aditum aggreſſuris. Confeſtim quadrato agmine (quippe rem expectabant) ruinas aſcendunt; ſimul procurrunt oppidani atque iter obſæpiunt, objecto corpore. Urgent alii, & pedem conferunt, ne igneis telis ſpatium darent. Gladiis haſtilibuſque res agebatur, & in promiſcua cæde Germanus, cui ex improviſo haud ſatis confirmatus animus, nutare viſus. Inſtabant Turcæ, quorum ea legio expertæ ſtrenuitatis erat; & milites prætor Epiri, ductor agminis, obteſtabatur, ut paullum adniterentur; facilè inclinatos impelli ac dejici loco poſſe. Quòd ſi reſtituant ordines, dubio ſe iterum prælio incertaque victoria dimicaturos. Et annixi quidem non ſolùm in munitionem evadunt, ſed etiam in extremo loricæ tumulo ſigna ſtatuunt. Ad ſtrepitum armorum proximæ Germanorum cohortes accurrunt, atque atrociùs inſtaurant pugnam; cumulatur ex utroque milite cadaveribus ſolum; ipſe prætor, dum ſtrenue inter primos ordines præliatur, occiditur. Quo viſo Turcæ audaciam comprimere & ſuſtinere gradum, cogi denique redire viam. In ipſius tamen ruderibus medioque aſcenſu ſtationem ponunt; ſed citò flamma a Germanis excluſa ex ſulfurato pulvere, quem ibi cavata humo ad rerum dubios eventus collocaverant, dehiſcente ſolo, propemodum omnes tumulati ſunt. Viſirius caſu non virtute ereptam ſibi victoriam arbitratus, parmam poſtridie tentare aggreditur. Ut illuxit, ad ejus angu-

1683.

Illud Turcæ aggrediuntur.

Pugnatur eo loci vehementer, ea pugna deſcribitur

Nutant Germani.

Turcæ annituntur.

Signa in propugnaculo ſtatuunt.

Germani ſubſidiis accipiunt.

Prætor Epiri necatur.

Ejus nece Turcæ deterriti pedem referunt.

In medio clivo ſe muniunt:

Sed omnes abſtulit erumpens illic ſubterraneus ignis.

1683.

Parmam Viſirius invalit, erepto cuniculario igne ejus apice.

Sed citi recedunt.

Siſtunt fugam ad declivitatis radices.

Unde protruduntur erumpentibus Germanis.

Dupinius occiditur.

Turcæ redeunt.

Magnum ibi prælium.

Turcæ demũ expelluntur haſtis, & ignis ſubterranei vi.

gulum terra movit, confractoque apice foſſam ruinis implevit. Illac extemplo facili aſcenſu Barbari in altum tendunt. Vixdum autem in aream egreſſos tanta inceſſit jaculorum procella, ut illico ſe proripuerint. Præſidiarii terga dantium veſtigiis (ignaviane an conſilio) cùm non inſiſterent, hi fugam ſiſtunt ad declivitatis radices. Dum verò lanæ ſaccis occultare ſe ſtudent, illi ſub noctem erumpentes ab altera parte in eos proruunt; & quamquam interfecto Dupino tribuno militum, qui præerat rei gerendæ, non antea finem pugnandi faciunt, quàm penitus disjectis hoſtibus fugatiſque. Hi tamen, illis digreſſis, prima vigilia munitionem repetunt, ordine primùm auditoque ducum imperio, poſtmodum adeo tumultuoſe, ut non acie confligerent, ſed velut lymphati in medios hoſtes ſe immitterent & caperent, quacumque poſſent, pugnandi locum. Cum alii ſuper alios continuò ingredientes denſaſſent agmen, aut in globos, circumfuſis hoſtibus, coiſſent; impediebant ſe ſe, atque inulti offerebant vulneribus corpora. Quare brevi momento tertia prope legionis pars (mille fuerunt) igne ferroque abſumpta; reliquos angulum in extremum conjectos abſorbuit humus divulſa e ſedibus ſuis urgente pulvere, quem ſubtus per cuniculos prius inductum oppidani in tempore inflammant. Nihil ea res Muſtaphi animum, militaris viri & multos experti caſus, imminuit; quin contra frequenti aggreſſione ſolicitandos enervandoſque hoſtes conſti-

ſtituit; ratus, id quod res erat, ſi quidpiam quotidie ex eorum numero auferret mors; continuiſque moleſtiis reliqui fatigarentur (cum ipſe legiones ſupplere, alii non item poſſent) tædio tandem ac labore victos oppidum dedituros. Luce prima legionem alteram per ſtratum ſuorum cadaveribus & ruinis iter immittit in ipſam munitionem; cujus angulum obfirmatis viribus ſuperatum adeo fortiter milites tenuere, ut præſidiarii ad eum recuperandum fruſtra ſummos conatus adhibuerint. Quapropter ſe referunt ád medium vallum; quo, anteriori foſſa munito, parmam Starembergius diviſerat, victoriam hoſtibus moraturus. Illic inter decem, qui ſucceſſere, dies ſepties, ſub terram furente nitrato pulvere, diſciſſus agger; quinquies armis petitus, ſed inani ſucceſſu; quamquam Turcæ pugnando Cæſarianorum virtutem æquaverint. Plurimi hinc inde cæſi vulneratique; magnumque diſcrimen adiit Comes Fridericus Sigiſmundus Scharfembergius tribunus militum, qui manu & conſilio ſtrenuus hoſtem repulit, eximia proinde laude condecoratus. Turcæ, etſi vallum haudquaquam tranſgreſſi, ad ejus tamen foſſam admoverant ſe ſe, cavatis per diverſos anfractus itineribus, impigri & præter modum laborum patientes. Inde, quod ejus reliquum erat munimenti, ſex locis ſuffodiunt, complentque caveas nitrato ſulfure. Tres, a præſidiariis aperto flammis aditu, evanuerunt. Totidem, uno inter ſingulas interjecto die, vomuere ignem primò ad dexteram

1683.

Rurſus in parmæ apicem irruunt.

Ac retinent

Præſidiarii intra medium ejus vallum ſe referunt.

Illic ſepties diſciſſa tellus igne cuniculario, ac totidem per aliquot dies Turcarum aggreſſiones. Barbaris ſemper repulſis.

Comes Scharfembergius magnum ibi diſcrimen adit

Cuniculis ab utraque parte locus diſcinditur.

1683. faciem, divulſo muro conciſoque tumulo. Nulla mora Thraces procurrunt; miſſilibus inſtant, impellunt haſtis. Magnam illuc oppidani attulerant bellicarum ollarum vim, quæ ingentis magnitudinis; quippe quæ plura & minuta continent jacula; pharetræ dicuntur, exploduntque, dum intus baccatur martialis pulvis, quidquid letiferum pro ſagittis eſt. Hæ ſtatim in conſtipatos hoſtes conjectæ, illos uſtione & acuto morſu ab incepto deſiſtere coegerunt. Poſtridie agger in medio ſubſedit, hiatu (dum terra excandeſcente pulvere diſcederet) abſorptus. Turcæ ſub noctem irrumpentes ac bis repulſi, tertiò redeunt ad certamen, adeo immemores ſui & paratæ necis, ut niſi par oblivio Germanos cepiſſet, impares ad reſiſtendum fore viderentur. At loco ferociter ſe tenuere, anxia interim urbe ad incertam pugnam horrendumque ſtrepitum machinarum. Rurſus dextera facies ab eadem peſte labefactata præbuit ingreſſuris latum iter. Attamen ſtetere Barbari, ſeu pavidi experientia periculi, ſeu rati, metus ſimulatione negligentiam hoſtibus injecturos, qua deinde incauti opprimerentur. Hi contra, fraudem ſuſpicati, vigilias diligentiùs agunt nec arma ponunt. Quin aliquid ex adverſo moliturі, cum dudum per duplicem cuniculum ſub illorum ſtationem penetraſſent, excitata ex ſuppoſito pulvere flammæ vi, reddunt ruinarum vicem; haud parum operibus ſolo æquatis & multa cęde. Sed & Germani tum pariter quieverunt exhauſti viribus, diuque

Barbari illuc rurſus atrociter irruunt.

Quid armis actū deſcribitur.

Dejectis Turcis.

Agger ibidem ignis vi aufertur

Diriſſimum oritur denuo præliū.

Repulſis Barbaris.

Parmæ facies diſcerpitur.

Immotis utriuſque partis militibus.

Germani ſubtus Turcarum locum duos cuniculos incendunt, non ſine Barbarorū cęde.

que vincendo feſſi. Quin tandem Starembergio annuente, cùm Barbari undique ſubeuntes inſtaurandis aggeribus darent operam, tota iis triangulari munitione concedunt; quæ ab omni parte divulſa nulli amplius uſui eſſe poterat, & quam duos & quadraginta dies extremo & fere ſupra fidem conatu, inflictaque ibi decem Turcarum millibus nece, defenderant. Interea haud ſegnior oppugnatio fuerat ad utrumque propugnaculum. Nam Thraces quotidie foſſæ quidpiam decerpere, vineaſque proferre; illam Germani expedire &, quantum poſſent, retinere ſibi. Dum ita modicis præliis invicem ſe diſpellunt variantque vices, at poſtremi in locum Turcæ ſe reſtituunt, paulatim mœnibus ſuccedentes; placuit Starembergio, graviori conflictu rei aleam periclitari. Vittembergiæ Duci & Comiti Joanni Serenio inſtructori exercitus ad ſe vocatis, paucis renuntiat, quid ſibi facto opus ſit. Hoſtem continuò promovere gradum, & ſi muros ſubeat proſternatque, ubi tantæ ſint vires quibus poſſit ab urbis excidio retineri? Ejus proinde longius arcendi ipſi negotium capiant, faciantque quod ſibi e fide ac ſtrenuitate ſua eſſe videatur. Repentè juſſa peragunt. Eductas e cęca Loveli porta ſex peditum centurias hoſtium operibus circumducunt, atque inde per diverſos aditus jubent continuato agmine penetrare flexus tortuoſi valli, ut ſimul plures dimicare poſſent. Dictis obtemperant. Verùm ferociter obſtitere Barbari, quibus etiam loci notitia adiumento

erat,

1683.

Parmâ deſerant.

Quot dies tenuit, & quãta ibi Turcarum ſtrages.

Vittẽbergæ Dux & Comes Serenius cum valida militũ manu erũpunt.

Quæ pugnæ fors.

1683. erat, ut ingreſſos undique circumvenirent. Quod ubi patuit, apertumque diſcrimen in conſpectu fuit, Vittembergius ſtricto gladio convolat ad primos ordines, monet, hortatur ſuos, ut in tanto periculo vitam virtute redimant. Temeritatem, ſi citò contundas eam, confeſtim cadere; ſemel ſi bene cęptis ſuccedat, invictam eſſe. Cuneo facto vehementiùs

Turcæ ſimulant cedere.

urgent. Adnitentibus Turcæ gradatim cedere, quouſque ad ſcamni labrum perventum eſt. Ibi in pedes celeriter ſe projicere; Germanus inſequi, illos

Germanos ſuper cuniculum attrahunt, magna ipſorum cæde.

fugam non inſidias feciſſe arbitratus. Cum extemplo tonuit nitratus pulvis, atque his terram ſubduxit. Contrucidati laceratique plures; Dux in extremum diſcrimen venit. Thraces ſucceſſu læti re-

Inſtaurant pugnã

petunt pugnam, conſternatis inſultant. Suis Vittembergius voce & exemplo animos addit; nihilo tamen ſecius trepidi certant dubio Marte; & pulſi cęſique forent, ni ſtatim Serenius alteram centuriam ſummiſiſſet, quæ pugnam reſtituit detruſitque hoſtem in ulteriora ſua munimenta; ea verò, quibus illic foſſam tenuerat, penitus diruta. In hoc prælio

Dirimitur, utrique in ſua munimenta redeuntibus.

Germanorum ducenti cecidere; Vittembergio leviter ſagitta genu alterum percuſſum. Turcarum incertus numerus; ſed ex prima ſimulata, veraque altera fuga, & pugnandi obſtinatione, longe major. Biduò poſt op-

Quæ ibi cædes.

pidani rurſus erumpunt ad Aulæ propugnaculum. Strenue dimidia & una hora dimicatum eſt. Siqui-

Præſidiarii iterum erumpunt.

dem Turcæ ex ſuperiori damno cautiores facti, duplicaverant in foſſa ſtationarios milites, plurimaque ibi

ibi omnis generis tela congeſſerant. Alternis utrique moti fluctuavere; utrique poſtmodum æquavere pugnam, mori potius quàm moveri gradu obfirmantes animum. Cum diu ſtetiſſent mutuis obnoxii vulneribus, nullamque in partem inclinaſſet victoria; Purpuratorum unus, qui Barbaris, certamini immixtus, faciebat animos, glande ictus plumbea in terram cadit. Ea res prælium finivit. Dum enim corpus ſtudent abducere, inferias laturi, deſertiſque ordinibus circa illud frequentes tumultuantur; Cæſariani in aliud intentos eos facilè detruſerunt. Mox celeriter diſſipatis impedimentis expeditaque foſſa, intra muros ſe condunt; brevi tamen victoriæ fructu; quippe hoſtes, undique patente via, non ita multò poſt ſub ipſis mœnibus ſe reſtituunt, interſæpiuntque aggeribus adeo locum, ut pateret, nullo amplius impetu repelli poſſe; cùm præſertim ab hac una parte centum prope murales machinæ tantos feciſſent ruinarum cumulos, ut qui ad præliandum exirent, gradu conſiſtere ac ſervare ordines prohiberentur. Acuit ea difficultas oppidanorum ingenium. Stuppæ globos ingentes, pice illitos, admoto igne in foſſam projiciunt; qui, motu ipſo flammam dilatante, penitus inflammati, nec facilè extingui nec diſſipari poterant. Super hoc congeſti lignorum faſces incendium excitabant, quo longiùs hoſtes ſummovebantur. Id aliquantum dubios quid agerent Turcas habuit. Rati denique, ſi mœnia evellant, ruinis illud compreſſum iri; ex primo foſſæ limine, quo

1683.

Fit prælium.

Quomodo dirimitur.

Germani foſſam purgant.

Redeunt Turcæ, in eaque ſe muniunt.

Oppidani igne arcere hoſtem illinc ſtatuunt.

Qua id ratione conficiunt, & quo ſucceſſu.

1683.

Turcæ pluribus cuniculis ſuſpendere mœnia nitũtur.

quo ſe reduxerant (nam propiùs incendium vetabat) in id rei cuniculos deprimunt ducuntque ad utriuſque facies propugnaculi. Huc jam antea mentem adverterat Starembergius, fodique ſecundùm eas juſſerat puteos aliquot, unde, ſolo admotis auribus, certius exciperetur ubi hoſtes ſuffoderent, & promptior occurſus foret.

Germani eos aperire conantur.

At ſemel tantùm ad Aulæ propugnaculum rei bene ſucceſſit. Dum terram egerunt ex adverſo, operæ patefacto aditu colliduntur. Tunc obverſis invicem ferramentis, quibus opus molitæ

Res ſemel ſuccedit.

Quid ibi evenerit.

fuerant, pugnam committunt. Mugiebat inconditis vocibus oſtium cuniculi; quo boatu, quid iſtud rei eſſet, cives admoniti illic in armis conſiſtunt, veriti ne fortè oppreſſis cunicularijs Turcæ in oppidum ſe ſe effunderent. Verùm utrique, ubi primus reſedit impetus, velut e compoſito ſe retulerunt, prætentiſque aſſeribus objectaque humo

Aulæ propugnaculi facies ſede labefactata.

altrinſecus occluſere viam. Ceterùm ad dexteram ejuſdem propugnaculi faciem diſrupta cavea, ſic vehementer exarſit ſulfuratus pulvis, ut continentibus ruinis tertiam fere partem nudaverit.

Atrociſſimum illic prœliũ, ejuſque deſcriptio.

Utrinque velut ſigno dato ſtatim in prælium decurſum eſt; quo non aliud in ea obſidione dubium magis atque anceps, aut majori atrocitate pugnatum. Aderant, ut in extremo periculo, ipſe ſupremus urbis præfectus, majoreſque alii duces Daunus, Serenius, Scharfembergius, qui dudum venerant ad propugnaculi fauces, dum recentes collocarentur excubiæ, afflictis rebus conſulturi. Per

loca

loca diſpoſiti, hortabantur milites, & quid e re nata gerendum eſſet, imperabant; quodque ad excitandam illorum alacritatem ſupra modum confert, percepturi erant oculis, quid cuique virtutis aut inertiæ foret. Omne illuc armamentorum genus jampridem ad inopinatos rerum eventus convectum fuerat, eoque ſumma induſtria e militari ſcientia utebantur. Principiò ad aggeris labrum, ubi utraque ex adverſo ſtabat acies, teretes craſſaſque trabes, infixis rotæ capitibus, armataſque frequenti cuſpide convolvunt, pro vallo ſtatuunt, fulciuntque pedamentis. Deinde maximas incendiarias ollas (nam manuales nimio uſu defecerant eos) igne ad foramen appoſito in medios hoſtes projiciunt; quæ, diffractis compagibus, flamma ac miſſilibus turbas ciebant. Turcæ imperterriti ac lento ad ſervàndos ordines greſſu; quibus turbatis, rem feliciter incoatam ſæpius corruperant; conſcendere tumulum, gladio aperire ſibi àditum nitebantur. Medio in aſcenſu non unum aut alterum, ſed catervatim eos propemodum conficiebant jacula a bombardis feſtinanter conjecta e vicini latere propugnaculi; quem locum unice aggreſſuris infeſtum cùm antea proſternere debuiſſent, contemptu an imperitia, ingenti quidem ſuo malo neglexerant. Magna erat occidio, ſed longe major turba ſubeuntium, quam Muſtaphus in ipſo conſpectu pugnæ quà blandis quà minacibus verbis ad ſtrenue certandum accendebat. Urgente

1683.

Machinamenta adhibita.

1683. multitudine, mota demum oppidanorum acies, primumque aggeris ſpatium ſuperatum. Tunc enimvero poſtremæ undique exertæ vires; palàmque fuit, quid rebus in dubiis ſpes, quid deſperatio poſſit. Turcæ, ſi paullum inſiſtant, urbem cœpiſſe opinati, in vulnera ac tela ruunt; dummodo promoveant aciem, reliqua haud penſi eſſe. Germani ſuorum & oppidi excidium, ſi cedant, volutantes animo, ſtare loco intenti hoſtium jugulo, ferociores deliberata morte aut victoria. Interim a duobus tumulis, quos utrinque in aggere interjacentis muri ad collum propugnaculi erexerat Starembergius, confertam Barbarorum multitudinem murales machinæ transfodiebant minutis telis atrociter adeo, ut primùm in iis tepeſceret ardor pugnæ; mox triſtes ſegnioreſque ſubire cadentium locum; denique in apertum diſcrimen ſe dare nolle. Oppidani ex ipſorum fluctuatione, & quia non amplius inferre ſigna contuerentur, rati eos, quod erat demiſiſſe animos, augent ſuos, recreatiſque vincendi ſpe viribus clamorem tollunt, hoſtem propellunt ad aggeris labrum; inde in ruinas protrudunt, labantemque telis ab omni parte conficiunt; quouſque ſe primis operibus pauci reduces occuluere, plus mille humi relictis, haud incruenta præſidiariis victoria. Muſtaphus apud ſe reputans & adventare ingentes copias ad obſidionem ſolvendam, & urbem prope interitum eſſe (delatores enim ex ipſis civibus; quorum unus

Turcæ in primũ aggerem evadũt

Extremæ utrinque adhibitæ vires.

Turcæ cedunt.

Quanta ibi ſtrages.

vix ſexdecim annos natus ultra citroque remeans, dum clam per ruinas deſcenderet, deprehenſus ſecuri percuſſus eſt; id renuntiabant) ſtatuit vel magna militum ſuorum internecione opem laturos antevertere, conarique omni vi, ut oppidum tandem in ſuam redigat poteſtatem. Quocirca eodem, quo ab Aulæ munitione dejecti fuerant, die rurſum illos ad oppugnandam immiſit; & pari quidem ſucceſſu. Etenim qua parte ſpoliata mœnibus fuerat, celeriter palis vallata, lanæ ſaccis terraque adiectis, obſtruebat iter. Agmen verò, dum in aſcenſu penderet animi, quid ſibi facto opus eſſet, catapultis a latere, a fronte haſtilibus feriebatur; horrebatque aer gemitu, ſolum cadaveribus plurimoque ſanguine. Re cognita ſignum receptui datum. Hinc Viſirius hærentem menti, ob rei difficultatem, ſolicitudinem verborum ferocia & vultu contegens, Loveli ſiniſtrum latus, unde ſuis tanta ac tam ſæva pernicies extiterat, dejici juſſit. Biduo ſuſpenſum cavea, elatumque nitrati vi pulveris corruit. Adortus inferiorem ejus partem, ter repetito certamine; & cùm parum tormentorum jaculationi pateret locus, anguſtuſque vix paucos præſidiarios exciperet ad dimicandum; obniuit. Mox læva pariter ipſius munitionis facies, muro ſex paſſus nudata; ſed ita coacervatis ruderibus, ut hæc tranſitum ſervatis ordinibus impedirent. Quamobrem vix conſcendere aggreſſi retulere pedem. Demum, furore extrema conſilia miniſtrante,

1683.

Turcæ poſtridie in pugnam redeunt.

Qua pugna forma.

Recedunt Barbari.

Loveli ſiniſtrum latus evertitur.

Eo Turcę potiuntur.

1683. te, cunicularis negotium dedit, ut quàm citiſſime fieri poſſet, penitus utrumque propugnaculum, interjectumque murum ſubverterent. Dicto audiunt; novem locis excavant humum, tardiùs tamen quàm ipſa res poſtulaſſet. Nam oppidani ingentem maximarum igneſcentium ollarum vim ex alto in foſſam projiciunt, quæ pondere ſuo in terram defixæ, cùm, expandente ſe flamma, diſſilirent, longe lateque diſpergebant humum, claudebantque magno foſſorum incommodo cuniculorum ora, illic, ut in propinquo, aperta cuſtoditaque negligenter. Attamen quà ad duo illa propugnacula, quà ad interjacentem loricam novem per ſubterranea loca penetrarunt. Suſpenſa ibi caveis mœnia, cavâtæque vaſto hiatu ſpeluncæ martiali pulveri continendo. Quòd ſi tempus inferendo inflammandoque ſuppeditaſſet, verendum fuerat, ne civitas ſuis oppreſſa ruinis hinc poſtremum vulnus acciperet. Quamquam & iſthuc mentem adverterat Starembergius. Nam, moram aliquam extremum, ſi res ita ferret, ducenti ſpiritum oppido injecturus, concuſſa propugnacula intermedio vallo foſſaque interſepſerat; aditusque viarum, qui ferebant ad oppugnatam oram, operibus, catenis, excubiis circummunierat. Et ſane ultimo jam in diſcrimine verſabatur, laceris munimentis, imminutoque præter modum præſidio non ferro ſolùm, ſed dyſſenteria; qui morbus ſalſamentis, quibus veſcebantur, æſtuque con-

Novem caveis ſuſpendunt duum propugnaculorũ muros.

Quomodo Præſidiarii id opus retardant.

Caveæ perficiuntur, ſed injiciendo pulveri tempus deeſt.

Interiores ad ea propugnacula, & Urbis parte aggeres excitati.

Urbs dyſſenteria laboravit aliquot dies ingenti clade

contractus ad ſexagenos quotidie milites per aliquod tempus abſumpſerat; eoque vel urbis præfectus conflictatus fuerat. Hæc igitur in tantis ærumnis una propemodum ſuſtentabatur armatorum fide, quam & ducum inexſuperabilis virtus, & proxima auxilii ſpes confovebant. Nam per hos dies, eluſis deceptiſque Barbarorum cuſtodiis in urbem regreſſus Georgius Michalovitius, qui Turcarum more tunicatus per medios illos felici auſu ad Lotharingium cum Starembergii mandatis pervenerat (pari ſucceſſu id pridem haud ſemel fecerat Georgius Franciſcus Koſchiniſchius; quorum navatam operam reipublicæ, obitumque audacter periculum aliqua poſteritatis memoria donare ęquum eſt) ejus literas ad iſtum retulerat, quibus & jam coactas in unum copias, & nulla interjecta mora opitulatum obſeſſis venturas pro certo affirmabat. Initio haud levis negotii fuerat Germaniæ regulos in eam voluntatem adducere, ut valido Viennæ exercitu (nam modico nihil profecturos patebat) auxiliatum irent. Siquidem, petendis conditionibus, alii ſibi multùm; alii parum Cæſari timere ſimulabant. Et Sarmatam, quamquam non ſtudium aut animus, pecunia certe colligendis legionibus deducendiſque deficiebat. Verùm cùm in dies graviori Turcarum metu percellerentur Germani, ad hunc repellendum poſitis tantiſper reliquis curis incubuere; cùm præſertim Ludovicum regem intelligerent eximia moderatione animi Chri-

1683.

Ei auxilii ſpes affertur.

Unde colligendis auxiliaribus Copiis injecta mora.

Galliæ Rex ſpondet Pontif. max. nihil adverſus Germanos moturum manente Vienna periculo.

1683. Chriſtianæ potiùs reipublicæ quàm ſibi conſulentem, fidem dediſſe Pontifici maximo, nihil in ejus tanto periculo adversùs Germanos ſe commoturum. Pecuniam quoque in rem militarem Cæſari & Polono Innocentius curaverat, trecenta ſingulis ſcutatorum millia partim ex ærario deprompta, partim a Purpuratis Patribus, aliiſque Proceribus dono data. Quapropter ubique ſolerti ſtudio fervebat Martis opus, totique in eo erant, ut obſeſſis, & periclitanti Germaniæ opem ferrent. Dum verò cogendis expediendiſque militibus tempus datur; iique ad conveniendum in Auſtriam iter faciunt; Lotharingius per exploratores certior redditus, Tehelium Huſſaimumque Paphlagoniæ prætorem cum quatuordecim perduellium, Turcarum ſex millibus, a civibus evocatos, Poſſonium petere (quod unum Hungariæ oppidum in Cæſaris fide adhuc manſerat) cum expedito exercitu illuc movit. Hanc enim Muſtaphus Danubio ſuperſtantem arcem, quacumque poſſet ratione, redigi in poteſtatem juſſerat, ut illinc ſeu cymbis adverſo flumine, ſeu curribus eo trajecto, via commeatibus bellicoque apparatui, quorum haud parum inopia tenebatur, aperiretur. Nam quæ a Buda per ipſum Danubium & per inferiorem Hungariam mittebantur, frequenti excurſione præſidiarii Komaræ, atque Arrabonis arcium intercipiebant. Cùm maximi utrinque momenti foret, Poſſonium tenere; Lotharingius, ne ante-

Innoc. Cæſarem & Sarmatiæ Regem pecunia juvat.

Lotharingius Poſſonium a Turcarũ periculo liberat.

Quomodo res geſta.

te-

teverterent hoſtes, præmiſit Ludovicum Badenſium Principem cum equeſtribus Palfia Sthyrumiaque legionibus & aliquot Sarmatarum equitum, qui Lubomiſchio præfecto ſtipendia Cęſari merebant. Ipſe haud longe cum reliquo exercitu proſequebatur. Vixdum ad oppidum Badenſis pervenerat, cum comperit hoſtes in propinquo eſſe, ac duces inter ſe altercari: Tehelium, ut referret ſigna; Huſſaimum, ut inferret; veritum illum funeſtam pugnam; hunc detrectatæ pudorem atque ignominiam. Vicit Hungari conſilium Prætoris auctoritas. Itaque acies inſtruitur. Primi Sarmatæ adversùs Turcas certamen provocant, quorum cum ferociam non ſuſtinerent, ad Germanos ſe recipiunt, æquatoque agmine pugnam conſerunt. Citò cum perduellibus prælium finitum eſt, qui ubi primùm telis petiti, in fugam ſe conjecerunt. Huſſaimus quamquam a ſociis deſertus, acriter dimicavit haud impar militum numero ac ſtrenuitate. Verùm conſpecto, adventare peditum legiones, quæ a Lotharingio maturato itinere ducebantur, equis dari frænos jubet. Pulſos fugatoſque fæderati inſequuti, ſeptingentos trucidavere; paucos perduellium, qui pedibus cædem præverterant. Capta mille commeatuum plauſtra, incenſa navigia ad pontem conſtruendum parata, oppidum præſidio ſexcentorum militum confirmatum. Tehelius excuſata ſuæ gentis apud Viſirium fuga, culpam in Huſſaimum vertit acceptæ cladis; quòd prælium falſo conſilio & præter militarem ſcientiam commiſiſſet;

1683.

Initur cum Turcis & Perduellibus pugna.

Perduelles ſtatim fugiunt. Turcæ ferociter dimicát.

Et iſti fugantur; quanta ipſorum cæde.

Quantaque præda.

Tehelius in Turcas adverſæ pugnæ culpam confert.

ſet;

Digitized by Google

1683. ſet; ſe verò maluiſſe Hungaros ſuos melioribus Othomanici Imperii uſibus reſervare, quàm Germanorum objicere gladiis & certæ neci. Accepta a Muſtapho excuſatio, non ut vera, ſed quia ſua minime intererat, oppoſita ignavia, ejus a ſe fidem ac voluntatem abalienare. Exercitu enim haud parvam partem ferro, laſſitudine, morbo (nam & ipſi ex inteſtinis laboraverant) conſumpto, ſupplementum ab ipſis Pannoniis & undecumque poſſet accipere conſtituerat. Quin etiam ut ſimulata opinione ſtrenuitatis ejus animum ſibi vehementius obſtringeret, dat ei rurſus expeditionem in ſuperiorem Auſtriam; ratus ad delendam priorem ignominiam, & ne factam ſui ſpem corrumperet (qua una accepti Principatus beneficium innitebatur) illum pudore atque utilitate, ſi non virtute, ſtrenue ſe geſturum. Addidit tamen Varadini Agriæque præfectos cum militum parte, qui hactenus Ibraimo Budenſi prætore duce prope Arrabonem oppidum ad ejus coercendum præſidium ſe continuerant. Quippe explicando Viſirii conſilio valida nec exigua militum manu opus erat. Etenim ſibi ille propoſuerat, vaſtando populandoque provinciam, Lotharingii exercitum ab coeundo cum auxiliaribus illuc adducere; per occaſionem Sarmatas invadere aut remorari, ſi fortè, prout ab exploratoribus acceperat, turmatim irent diviſis copiis. Itaque Tehelius, Turcarumque duces conflato ſexdecim millium agmine, ſuperatoque ad Stri-

Viſirius ſimulat & quare.

Dat ei aliam expeditionem in ſuperiorem Auſtriam.

Illũ firmat Turcarum globo.

Quod ejus expeditionis conſilium Viſirio fuerit.

Provinciam vaſtant.

Strigonium Danubio, Vagum quoque & Moravum tranſgreſſi flumina, imperata faciunt. Lotharingius igne fumoque admonitus adeſſe hoſtem, confeſtim legiones, quibus dudum ad Poſſonium conflixerat, in illum ducit. Circa Biſſembergum haud longe a Danubii ripa tunc prædabatur. Carolus ubi prope in conſpectu fuit, nunc etiam Lubomiſchios equites, nam pernicitate valebant, præire jubet cum duabus equeſtribus Germanorum legionibus, qui & locum & hoſtium numerum explorarent, pugna abſtinerent. At Sarmatæ vix dum Barbaros, qui jam a ſpeculatoribus admoniti aciem direxerant, conſpicati, juſſa negligentes, admittunt equos. Accepti ferociter, multis vulneribus detruduntur. Illinc celeri curſu per latum flectentes gyrum ſe colligunt, junctique Germanis, quibus pro ſociali fœdere haud liberum erat declinare pugnam, quamvis temere ac præter imperium ſuſceptam, ad certamen redeunt. Iterum pulſi (nam longe pauciores erant), iterum circumactis equis ſe inferunt. Non tulere tantam audaciam Turcæ, Perduelleſque. Ira & ignominia, quòd ex præterita fuga penè ludibrio haberentur, ſtimulantibus ad vindictam animos, non modò in eos ruunt, fugantque, ſed tergo inſiſtunt. Lotharingius audito dimicantium ſtrepitu, haud dubius præmiſſum agmen diſſipatum fuiſſe, & illud hoſtes perſequuturos; ád hos repellendos, muniendumque ſuis tutum receptum continet gradum, jubet arma ex-

1683.

Iis Lotharingius occurrit.

Sarmatarum Lubomiſchi turmas præmittit.

Qui in fugam conjiciuntur.

Lotharingius cũ reliquis copiis occurrit.

1683. pediri. Statim contigit, quod opinione præceperat. Adſunt; & quamvis inſtructam paratamque ad decertandum aciem contuerentur, in loricatos equites, qui ſtabant in prima fronte, admotis calcaribus ſe ſe effundunt. Hi equorum impetu ferociaque moti, cum nequirent ordines reſtituere, ad ſecundam aciem ſe recipiunt. Illi cuneo pugnare inſiſtunt, rati, id quod evenit, ipſam quoque inordinato equitum receptu confuſam impeditamque, facilè inclinaturam. Quam ubi laborare Lotharingius vidit; miſit, qui ſagittariis equitibus (hos pedibus & ex equo certantes, Dracones vocant) renuntiaret, ut a latere in hoſtium cuneum ſe immittant; prælii fortunam eſſe in ipſorum manibus ac virtute. Confeſtim effuſis equis elatoque ingenti clamore procurrunt. Ex inopinato incurſu cecidere perduellibus animi; & cum ſagittarii ab una parte fatigarent eos; ab altera continuò ſubſidiarios mitteret Lotharingius, ipſi receptui canunt. Turca laxato cuneo, datoque novis legionibus loco, frontem ab omni parte dirigit adverſùs hoſtes. Diu anceps prælium fuit; ſed cùm, digreſſis perduellibus, Cæſariani jam Thracem numero ſuperarent; factaque ſibi vincendi ſpes augeret corporis animique vires; demum Barbari in pedes ſe conjiciunt. Horum ad tria millia in prælio cæſi, totidem vulnerati, in his Varadini Agriæque prætores, Scytharumque reguli (Kanem appellant) filius, qui prima in acie ſtrenue decertarunt

Initur pugna.

Ejus ordo.

Perduelles fugiunt.

Turcæ obnitŭtur.

Fugantur. Quanta utriuſque partis cædes.

runt. Cæſarianorum quamquam invaluit rumor haud plus trecentos occidiſſe, non ita pauci ex obſtinatione pugnæ reputari poſſunt. Signa capta vigintiduo, tympana ſex, equi ſexcenti. Ad Moravum Danubiumque fugientes eos turmæ equitum inſequutæ, cædem cumulavere; plures etiam in captivitatem adducti. Tranantium haud parvam manum abſorbuere gurgites. Nox & amnium ripæ Germanis perſequendi finem fecerunt. Carolus victoria lætus Corneuburgum primò, Cremiſium deinde ſe retulit, quò undique auxiliares confluebant, & jam Bojoarii cum Franconibus advenerant; Saxones maturato itinere parum diſtabant; & illuc Dunevaldus adduxerat ſex equitum millia, queis hactenus per ſuperiorem Auſtriam Scytharum excurſiones repreſſerat multa prædonum cæde, abſtracta ſæpius ab ipſorum manibus hominum pecorumque præda. Nec longe aberat Joannes Polonorum rex, qui percepto, Viennam dira obſidione concluſam vehementiſſime oppugnari; & a Cæſare frequentibus nuntiis auxilium ex fœderis lege rogatus, ſacro Deiparæ in cælum aſſumptæ die ſolemnibus ceremoniis expiato exercitu, obitiſque humili pompa ad iram Numinis deprecandam Cracovienſibus Templis, poſtridie cum quinque equitum millibus, dum cæteri in viam ſe comparant, iter præceperat. Ad eum ſalutandi cauſa Lotharingius venit cum magno præfectorum tribunorumque militum comitatu. Certatum illic officiis ac

1683.

Undique auxiliares copiæ conveniunt Cremiſiū.

Joannes Poloniæ Rex ad iter cum exercitu ſe comparat.

Lotharingius ad illum venit ſalutandi cauſa.

Digitized by Google

1683.

Certatum inter ipſos officiis.

Facta invicem verba quæ fuerint.

Rex Lotharingium alioſque Duces convivio excepit.

Comitas Regis, ablatæque honoris æmulationes.

Cæſar ad Regem ſalutandum iter ſuſcepit, ſed Lentiæ moratur, & quare.

benignitate, cùm Carolus omnem Regi deferret armorum auctoritatem; ille ſic accepturum diceret, ut ambo agendo & imperando unam adversùs hoſtes gererent voluntatem. Cæterum ſe tanti ejus bellicam virtutem facere ut ipſi in diſciplinam traderet Jacobum, qui præſens aderat, primogenitum ſuum, a quo ſciret militiæ tyrocinium non alibi meljus collocari poſſe. Duces deinde reliquos amplexatus, comiter omnes convivio excepit, quod præcipue ea regis pronunciatio exhilaravit: ſe regno ſuo diſcedentem poſuiſſe regiam majeſtatem, animum retinuiſſe, qui non ſplendet purpura ac diademate, ſed rerum geſtarum gloria. Proinde æquum cenſere, ut quotquot modò clariſſimorum Principum rei gerendæ affuturi ſint, eamdem afferant mentem, ſtudeantque ſe invicem non dignitate, ſed bellica laude ſuperare. Regis dicto Principes annuere ſeu communis odii metu, ſi vanis de honoris prærogativa contentionibus publicam rem perditum irent; ſeu placabili ambitione, ubi communi tantùm bono ceſſiſſe videatur. Ita prudenti regis conſilio ſocialibus diſcordiis, quæ multæ erupturæ prænoſcebantur, cautum eſt. Cæſar quoque ad eas avertendas Lentiæ continuit ſe, quo Paſſavio, iturus ad exercitum, venerat. Eos enim, quos ad intima adhibebat conſilia, timor inceſſerat, ne congredientibus lis aliqua ex reddendo accipiendoque invicem honore oriretur; qui regi negatus benevolentiam, conceſſus

ceſſus

ceſſus Romani Imperii majeſtatem minueret. Nam major præſentium æmulatio, & facilè vel levi cauſa non ſolùm in occulta diſſidia, ſed etiam in apertas diſcordias eruptura. Carolus a Rege profectus, Cremiſium repetit; inde celeriter cum omnibus copiis tranſgreſſus Danubium, ad Caſtra Catulina venit. Illuc, vixdum collectis ſuorum legionibus, quæ magnis itineribus primum agmen ſequutæ fuerant, Rex quoque ſe contulit; & uno interjecto die Saxones advenere. Brandeburgenſes (millibus haud minus duodecim conſtitiſſe vulgatum eſt) cum feciſſent aliquot jam dierum viam, repentè ad Sileſiæ fines conſiſtere, mox gradum referre juſſi. Quippe Octovirum deceperat ſpes, Cæſarem in tanto rerum diſcrimine auxilium quibuſcumque daretur conditionibus, accepturum; & cum ſpe ſententiam mutaverat. Poſtulabat autem ut ſuæ ſectæ hominibus Hungarica & Sileſiana templa reſtituerentur, quæ dolo uſurpata, aut fraude erecta, dimittere jamdudum coacti fuerant. Abnuit Cæſar comparandam ſibi prodita religione infauſtam opem; bene ac ſapienter arbitratus: nihil ad evertendos hoſtes pietate validius eſſe. Recenſito exercitu, ad unum & ſeptuaginta homines millia, quamquam diſſipato rumore habiti longe plures, reperti ſunt. Erant, qui Auſtriaca ſigna proſequebantur, ſexdecim equitum, peditum novem millia. Horum ſeptem millia adduxerant Bojoarii, equitum tria millia & quingentos. Saxonibus

1683.

Ad Caſtra Catulina fit exercitus luſtratio.

Brandeburgenſes in via morati ſunt, & qua de cauſa.

Quo militum numero cōſtaret exercitus.

A quo miſſi quique recenſentur.

1683. nibus par prope numerus. Francones Suevique, peditatus omnis, octo millibus conſtabant; octodecim pariter millibus, quippe qui equis tantùm merebant, Polonorum turmæ. Iis decus ac robur addebat ingens nobilium virorum copia, quos ex omni Germania, Italia, Gallia adversùs communem hoſtem gloriæ & religionis amor ad arma excitaverat. Quodque militibus præter modum faciebat animos, ſua quique ſigna præibant Rex, Octoviri Miſnienſis & Bojoarius, Carolus Lotharingiæ Dux, Valdechii Princeps, qui provincialium, quos Circulos vocant, auxiliares ductabat; quatuor e regnatrice Saxonum Familia, duo e Neoburgica, totidem e Vittembergica Holſatianaque, ex Allobrogum Princeps Eugenius, qui tunc adoleſcens ad eam gloriam ſe comparabat, qua hoc uno & altero Turcico bello, aliiſque debellatis nomen ſuum poſteritati commendavit. Rex nihil moratus, cum iiſdem Regulis præfectiſque militum, tribunis etiam, ut in re tanti momenti, adhibitis, conſilio habito, quà Viennam exercitus traducendus foret, agitare cœpit. Duo erant itinera, planum & æquum alterum, ubi ab dextera Danubii ripa modico ſpatio Ceſii montes recedunt. Arduum alterum & confragoſum, quà ad hibernum ſolis occaſum leniter primùm colles aſſurgunt; mox aſpera & ſaltuoſa juga; eaque deinceps ad ortum æſtivum in colles vinetis conſitos, atque inde in apertam planitiem ſe demittunt. Rex paucis

Maxima nobiliũ virorum copia.

Quot Principes aderant, & qui.

Rex Conſilium advocat.

Proponit, qua via Viennã eundum.

cis præfatus: ſe regionis ignarum de alterutro capeſſendo nihil dicturum; facturum dixit ut, quod ſibi in rem præſentem magis idoneum monſtratum fuerit, militibus tutum, hoſtibus meticuloſum, ſibi non ignotum fuiſſe videatur. Par de ipſa re Lotharingio ſilentium fuit, ne reliqui ex ejus præjudicio minus libere loquerentur. Præfecti, ſententiam rogati, in diverſas abiere. Suadebant alii, ut, admonente ipſa loci natura, per æquatos campos ingrederentur, equiti ſimul ac pediti expeditiſſimos, nec minus convehendis machinis opportunos; cum præſertim ſuppeditandis commeatibus Danubius agmen proſequeretur. Ita verò, ſi nihil aliud, explicato amne, languentem urbem, ſummiſſo identidem milite & victu, recreari poſſe. His omnibus non modò carere montanum iter, ſed ex locorum iniquitate maximas & forſitan inopinatas accedere poſſe difficultates, quibuſcum graviùs quàm cum hoſte pugnandum ſit. At contra Valdechii Princeps montes, quantumvis editos ac ſaltuoſos, peragrandos cenſuit. Nam per planitiem anguſtum, inquiebat, patère aditum, citò ad flumen ſuccedentibus tumulis & ipſo jugo imminente. Quare nec ibi noſtros aciem ad dimicandum explicare poſſe; & Barbaros poſſe copiarum parte, equitatu præcipue, quo maxime pollebat, fauces intercludere; cæteris interea legionibus urbem jam prope intermortuam celeriter oppreſſuris. Nec tamen præſidiariis ſupplendis amnem expeditum iri, Turcis

1683.

Variæ ſententiæ & quales.

Valdechii Principis ſententia.

1683. cis occupantibus utramque ripam. Quamquam & urbis ſalutem in eo non eſſe, ut militem & commeatum accipiat; quippe quæ ab una parte nudata mœnibus laceratiſque propugnaculis, hoſti repellendo, ſi oppugnare pergat, ſuffectura non eſſe videatur. Collatis ſignis, dataque pugna opus eſſe; qua ille victus fugatuſque obſidionem ſolvat. Quòd ſi exercitus montes ſubeat, difficiles quidem, at pervios ut quotidie indigenis, ita & militi nihil ſecum præter arma gerenti & bellicos apparatus; nullo diſcrimine occupari poſſe imminentes Cloſterneuburgo tumulos cæteris editiores, nondum ab hoſtibus aditos, nec, ut ſua fert opinio, adeundos, utpote iiſdem ignotos & longiùs ſitos. Inde liberum fore, copias per continua juga eò circumducere, ubi, nullis obſitus munitionibus, terrenus ac mollior deſcenſus pateat. Commeatuum verò nullam ſane habendam eſſe ſolicitudinem, qui facilè ubique paucorum dierum ſuccurrant; & modò, ni brevi res agatur, deſperandam fore. Plena militaris ſcientiæ viſa Regi & Lotharingiæ Ducis Valdechii ſententia, eaque vicit. Trifariam diviſo exercitu, peditatus omnis, triplici diſtinctus agmine, uno alteri ſubſidiario, mediam aciem conſtituit. Ab læva Cæſariani, mox Saxones, dein Francones, & Bojoarii, quibus omnibus Valdechius duoque Octoviri præficiuntur. Siniſtrum cornu, cui Lotharingius imperabat, Cæſariani equites; dexterum, cui Rex, Sarmatæ claude-

Valdechii ſententia probatur.

Exercitus & progrediendi ordo.

debant. Illis hærebant Saxonum Bojoariorumque turmæ; his aliqui provincialium Germanorum ad utramque æquandam. Hoc ordine ab Caſtris Catulinis profecti campeſtri maxime itinere, ſub collium radicibus primo die caſtra ponunt. Poſtridie erigentibus in clivos agmen; cùm ſępius occurrerent confragoſa præruptaque loca, ad quæ ſuperanda manibus pedibuſque eniti milites debuiſſent; edictum præfectis, ut obliquo monte ac per eos, qui ſuppeterent, flexuoſos calles in altum tenderent. Vix peditum primum agmen cum aliquot Polonorum equitum turmis prope ſolis occaſum diverſis itineribus in Cloſterneuburgo imminentium tumulorum verticem evaſit. Reliqui in propinquis vallibus conſtiterè. Rex cum Lotharingio aliiſque majorum ducum in ſublimiorem collem aſcendit regionem circumquaque ſpeculaturus. Sciſcitanti: quà progrediendum foret, una omnium reſponſio fuit: per Kalembergium, quem vocant, tumulum. Nam alia itinera majoribus obnoxia difficultatibus videbantur; & iſtud vel brevitate commendabatur (Vienna ab eo diſtat ſex paſſuum millia). Prima luce exploratum miſſi, an aliquo Turcarum munimento præſidioque teneretur, vacuum & liberum eſſe renunciarunt; illos autem ubi primùm ſe deprimunt colles, in acie ſtare. Læti nec opinato ſucceſſu (dudum quippe ab iiſdem inſeſſum ſpeculatores attulerant) confeſtim jubent, expeditiores cohortes ad eum præ- occu-

1683.

Itineris difficultates.

Quibus ſuperandis quæ data juſſa.

Itineris proſequutio.

Præmittūtur aliquę legiones ad præoccupanda loca, ubi prior Barbari ſtabant.

1683. occupandum maturare viam ; veriti, ne fortè erroris admoniti repeterent locum, vallo ac machinis impedirent. Illuc tamen non ante meridiem perventum eſt. Nam Cloſterneuburgi mons, quà ad occaſum vergit, plerumque arduus, ac fere præcipitem deſcenſum habet. Igitur per crepidines longo & tortuoſo itinere obeundum fuit ; quin etiam anguſti aliquando ſaltus agmen extenuantes faciebant moram. Peragrata, quæ interjacebat, valle apparuerunt imminentes prope vertici Kalembergii tumuli, adeo ut milites tot jam ſubacti laboribus deſponderent animos, ni tribuni, centurioneſque iis, in mentem revocato auguſtæ urbis & commilitonum periculo, vires hortando refeciſſent. Primæ cacumina tenuere cohortes aliquot Cæſarianæ Saxonicæque. Sed cum diverſæ, ubi cuilibet datum fuerat, iter feciſſent, diviſæ quoque prærupto ſaltu, quò biceps Kalembergum eſt, ſigna ſtatuerunt ; hæ ad Camaldulenſium Cænobium a Turcis dirutum ; illæ ad S. Leopoldi Fanum. Reliquus peditatus equitatuſque monſtratam mollitamque priorum exemplo viam, vix ullo dato ad cibum tempore, per totum continuavere diem, ſecum animo cogitantes : ſi Turcæ eum tumulum tenuiſſent, aut illinc ſibi recedendum fuiſſe, aut magna clade, majori periculo, dubioque Marte præliandum. Sub noctem exercitus omnis accelerato itinere illuc advenit. Juſſi milites curare corpora atque arma expedire, eò ferociùs ad pugnandum

Novæ itineris difficultates victæ.

dum

dum poſtero die ſe comparabant, quò urbs in conſpectu poſita incendebat ad miſericordiam animos, jactiſque frequenter in aerem ex altiori turre igneis tubulis, veluti una omnium voce, orare opem videbatur. Hanc Viſirius ubi intellexit ingentibus copiis allatum iri, nec longe abeſſe quin adventaret, jubet illico, Dacorum regulos, Tehelium, atque Ibraimum Budæ prætorem, qui hactenus circa Arrabonem oppidum excubaverat, cum ſuis legionibus ad ſe convenire. Confeſtim dicto paruere. Tehelius tamen, non plus mille perduellium miſſis, reliquorum & ſuam cunctationem ementitis cauſis excuſavit; re vera averſatus cum Germanis congredi, & ſe, dum pugnatur, in dubiorum eventuum aleam dare. Vocati quoque hiſce poſtremis diebus e Thabore inſula, quotquot ibi Turcarum aderant, eò traductis ad agendas excubias aliquot Dacórum cohortibus, cęterùm inutili prope turba. Muſtaphus concilio prætorum habito ſententias perrogavit; præfatus non ſe commiſſurum, ut præda ſummis laboribus vigiliiſque conquiſita, dente atque unguibus comprehenſa, jam jam enecta, ſibi e faucibus eripiatur; de cęteris, quid ipſi in hoc rerum ſtatu gerendum cenſeant, auditurum. Fuere qui ſuam ad ejus ſententiam accomodantes, ut moris eſt captantibus potentiorum gratiam, dicerent ſimul obſidionem urgendam, ſimul intra vallum opperiendum hôſtem repellendumque, ſi ferre ſuppetias per-

1683.

Vienna dato ſigno celerē opem implorat.

Viſirius ad eam repellendam colligit diſperſas copias.

Tehelius venire timuit.

Viſirius advocato Concilio ſententias ſuorū rogat.

Alii intra vallū manendū dicunt.

Quibus argumentis.

1683. pergat. Sibi validiſſimas ad utrumque vires ſuppetere. Nam tabulis (eæ poſtmodum cum reliqua præda inter Viſirii ſchedas repertæ ſunt) recenſiti nudius tertius exercitus excepta videri ad centies ſexagies armatorum millia; quibus & frangere externorum hoſtium impetum, & non ſolùm ſpirantem urbem, ut nunc res eſt, ſed fortem valentemque citò expugnari poſſe. Tantis circumvallatos copiis non audere, abjecti exiliſque; incertos belli eventus metuere, non cauti, ſed ſuæ ignari fortunæ, eaque abutentis animi eſſe. Placebat aliis, quos, ut fit, præſens periculum ab aſſentando retrahebat, ſoluta obſidione Viennam deſerere atque in tuto exercitum collocare. Nam ſi utrinque a vallo, ab urbe, quæ ſtrenuos habet cives, experientia malorum vitæ prodigos, & frequens adhuc præſidium, ineatur pugna, noſque medios excipiat; verendum, ajebant, ne noſtra clades ad internecionem vergat; quippe qui diuturnis incommodis afflictati cum integris advenientium hoſtium legionibus conſerturi, atque eminus ex altera parte muralium tormentorum, cominus erumpentium oppidanorum procellam ſubituri ſimus. Quòd ſi hominum multitudinem, quæ modò e tabulis nuncupata eſt, feriò, ut arcanum militaris gentis Conſilium decet, ad examen quis revocet, verbo, non re conſtare certum fore. Quî enim relata inibi eſſe quindecim Hungarorum millia, quorum vix decem adſint centuriæ? Quî duo-

Alii ſolvendam obſidionem atque abeundū ſuadent.

Ipſorū argumenta.

Extenuatur Turcarum militum numerus.

duodecim pariter Dacorum millia, gens militiæ inexperta, & a nobis ut religione ita forſitan voluntate aliena? quî Scytharum viginti millia, genus hominum vehemens quidem ac pugnax, ſed ſtatario bello inſuetum? quî denique ad triginta calonum, lixarum, cunicolariorum millia, qui ubi agatur legionarius miles, nullo profectò in numero haberi poſſint? Hi omnes ſi ſubducantur, ut verè ſubduci debent, comperturos haud parum ab nonaginta millibus diſtare ſummam. Neque verò, ubi vita in diſcrimen veniat, de ſiniſtro vulgi rumore, qui relicta Vienna erupturus timeatur, cogitandum. Nam nemo ſapiens, qui non famæ in tempore contemptor ſit; & decoris damna, quæ temere infligantur, dies ſarcit. Hujuſmodi inconſultis vocibus non ſane detentum fuiſſe Solymanum, inclytum Othomanorum Principum decus, quin cum ducentis armatorum millibus ab hac ipſa, quam obſidebat, urbe ſe reciperet, refugeretque cum ſexagenis dumtaxat Germanorum millibus, quos Fratri Carolus Auſtriacus ſuppetias duxerat, conferre ſigna; nec nos profectò detinendos eſſe; niſi fortè, quod maximus Imperatorum noſtrorum gloriæ duxit, probro ipſi nobis ducamus. At mediam Ibraimus Budæ præfectus ſententiam pronuntiavit. Conſtat enim hunc multis ſermonibus agitaſſe, ut abductis ab obſidione, cunctiſque in unum coactis copiis validiſſimum corpus conficeretur; præmiſſiſque

1683.

Solymani exemplum adducitur

Ibraimi Budenſis Prætoris ſententia inter duas alias media.

1683. que illico, qui juga montium, quà tranſitus ad hoſtes erat, præoccuparent, ad ipſorum caſtra cum omni exercitu maturarent ire, cierentque pugnam; quam illi ſi vallo incluſi detrectarent, fame perituri eſſent, impedita circùm ad commeatus via; ſi capeſſerent, ſe non temere ominari, victoriam ſuis non defuturam, qui ſuperiores ſint numero & ſtrenuitate, audacia etiam ob ditiſſimæ cupiditatem prędæ; nec minus diſciplina (quòd omnes ab uno unius Imperatoris juſſu pendeant) longe hoſtibus antecellant. Profligatis auxiliaribus cui dubium ſit, Viennam extemplo ſe dedituram, laceram, exanimem, atque una ſtantem auxilii ſpe? Timere autem ne nobis proficiſcentibus cives, urbanique milites a tergo inſiſtant, ejus eſſe, qui militiæ ignarus non intelligat, longa obſidione contritos eos vix ſpiritum ad reſpirandum habere, nedum ad inſultandum provocandumque. Et ſi habeant, ſe ſe facilè obverſa fronte cum iis dimicaturos, inhærenteſque fugientium veſtigiis (quî enim impari numero ut reliqua ſilentio prætereantur, obniti poſſint?) cum ipſis urbem, tanta jam parte nudatam mœnibus, ingreſſuros. Cęterùm ſi, ut plerique ferociores profeſſi ſunt, copiæ ad vallum ad urbem dividantur, profectò in animum inducant, ita ſibi hoſtes adauctum iri, vires utrobique imminutum. Patuit Ibraimi conſilium prudentia ac magnanimitate, quidquid ab aliis dictum fuerat, poſt ſe relinquere. A Viſirio tamen negle-

Ejuſque rationes.

glectum; verito, ne cum æmulo prætore rei bene gerendæ gloriam, quam ſibi certam ſpondebat, communicaret; cui ob bellicæ virtutis famam, & quia ipſe hominum opinione eo minor reputabatur, metu an invidia, inimicus erat. Itaque, Superis illum ad deteriora ducentibus, obſidionem octodecim armatorum millibus urgere ſtatuit, reliquum exercitum in primos colles extra vallum duci, ac ſe communire ad excipiendos hoſtes, ſi aditum ſibi armis recludere pertentarent. Quod ubi fœderati e Kalembergi tumulis conſpicantur, in quos, ut enarratum eſt, ſub noctem aſcenderant, ſe parant ad pugnam, ad eamque poſtridie pugnandam ſuum quique locum atque ordines repetunt. Deſcenſus ad hoſtes terrenus ac placide acclivis erat, non æquo tamen dorſo, ut frons continenti agmine dilatari poſſet. Sed illud plures profundo alveo torrentes diffindebant. Quocirca per quatuor millia paſſuum diſtentæ legiones, ſervato, quem diximus, ordine catervatim progredi coactæ ſunt. Ducibus imperatum ut, cùm loci natura pateretur, ad alios obliquo monte agmen declinarent, conjugerentque; ſimul ut intenti, quid ubique geratur, circumferant oculos, atque alternis opitulatum ire, quò ſit opus, approperent. Collocatis apud Camaldulenſium Cœnobium tribus æneis tormentis, cùm primùm illuxit, tela jacere ac ſe undique in clivum demittere incipiunt. Turcæ in adverſis collibus legiones partiti, æquabant inſeſſum a federatis ſpatium.

Dextrum

1683.

Viſirius quot copias in vallo relinquit, quot obviã auxilium ferentibus educit.

Fœderati e montibus deſcendunt.

Quo ordine ac via.

Quomodo, ubi, & quibus Ducibus Turcæ ſe collocãt

1683. Dextrum cornu, Cęſarianis oppoſitum, ut in ſuſpecto magis loco, præcipuas habebat Janizerorum copias. Ei Viſirius Ibraimum Budenſem prætorem præfecerat; ſeu in extremo diſcrimine, dum animum tenent majores curæ, æmulationis oblitus, uniuſque ejus memor virtutis; ſeu, ſi prælium adverſum foret, in eum culpam traducturus. Mediam aciem ac lævum cornu inter prætores diviſit. Ipſe intra vallum ſtetit, ut ubique pugnæ præeſſet imperio, atque ex occaſione moderaretur. Primi Cæſariani pedites ad extremum clivum progreſſi, nec ita multò poſt Saxones, haud longe poſiti, e regione Barbaros habuere. Media interjacebat anguſta valles, quæ multam latiſſimi collis partem complexa, ubi Thraces cornu dexterum ſub ſignis inſtruxerant, ab læva in circumpoſitam Viennæ planitiem deſinebat. In eam cohortes aliquot ſe abdiderant bombardarum jaculis declinandis, quibus e ſummo ac declivi monte, dum ſtarent in ipſo colle, fęde lacerabantur. Has Ibraimus, poſteaquam vidit Cæſarianos ponè macerias, ibi fortè dividundis agris conſtructas, aliquot figere tormenta bellica, certiſſimamque ſtragem minitari; jubet a fronte, alias a latere circumacto itinere pugnam dare, ratus, id quod res erat, ni hoſtes eo loco deturbarentur, ſuos vi machinarum ex omni colle depulſum iri. Confeſtim effuſo curſu in adverſos ruunt. Atrox conſeritur prælium, & a fronte neutri impellebantur, Cæſarianos loco adjuvante, Turcas multitudine; quippe

Ubi primùm & quomodo initur pugna.

Locus pugnæ & ipſa pugna deſcribitur.

pe alii ſuper alios inferebant ſe. Verùm illis a latere magni res erat negotii periculique. Quamquam enim interioribus ſubductis cohortibus illuc quoque ordines obvertiſſent; attamen, cùm Barbari recentibus continuò auxiliis accreſcerent, vix jam Cæſariano agmine æquari poterant, ne a tergo circumvenirent. Cùm ibi obſtinatis animis dimicatur, repentè propiores Saxonum legiones, ſtrepitu admonitæ, auxiliatum, ut condictum fuerat, venerunt; nec ita multò poſt citato quàm maxime gradu Cæſarianorum manus, quæ diverſum iter ingreſſa ab aliis diverterat. Tunc ferociùs inſtauratur certamen, & cùm Germani frequentiores ex alto jaculari poſſent, plumbea grandine repreſſus primò Turcarum ardor; mox, fruſtra novis ſubſidiis roborata, inclinavit ipſorum acies; in convallem denique integro adhuc agmine ſe recepit. Torrens eam vallem ſecabat lato alveo, per æſtatem ſicco, ſed hieme collectis undique pluvialibus aquis tumido ac redundanti. Ne erumpens vaſtaret agros, aggeſtæ in ripis materiæ cohibebant. Has pro vallo, e re nata an ex condicto, dum pedem referunt, tenuere Turcæ, tectique in patentes hoſtes intorquebant tela. Quamobrem Germanis haud parva cædes, & major animorum motus; pigebat enim prope inultos occumbere. Lotharingius præſenti commotus periculo, fretus ira ferociaque militum, qui pugnam poſcebant, explorato prius loco, pyrochytrophoros immiſit, qui ma-

1683.

Cæſariani periclitantur.

Saxones illis auxiliantur, aliæque ſubinde Cohortes.

Turcæ ſe referunt in convallem.

Et illinc repelluntur.

1683. nualium igneſcentium ollarum vi dimotum a prima ſaxorum congerie, in ſecundam hoſtem detruſere. Pugna ibi acrior ac diuturna. Nam Thraces nullum inde tutum receptum ſibi fore arbitrati, pro vita ac libertate; Germani aliud nullum ad ſolvendam obſidionem impedimentum, pro ſuorum ſalute pro fine laborum poſtremas exerebant vires. Dum illic neutri quicquam promovent; ab læva circumducta Auſtriacorum manus, ab dextera objectæ Saxonum legiones, utrumque latus adortæ, improviſo tumultu perculſos hoſtes, nec ſatis, dum moliuntur, flectendis ordinibus quoquoverſum intentos impellunt. Ubi motos ſenſere, ſuperata maceria victores undique ſe invehunt, turbatis inhærent, nec ſpatium præbent ſe colligendi; quamquam Ibraimus cedentes obteſtaretur, ut ſaltem compoſiti referrent pedem; ab tergo eſſe collem, tutumque receptum; ut modò irent, in cædem ac perniciem ire. Attamen (nihil præter ſe audiente metu) cùm non reprimerent fugam, prætor ſelectam militum manum, quam in ſubſidiis habebat, citò ex adverſa parte deſcendere, ſtructoque agmine excipere pulſos jubet, iiſque, ni gradum ſiſtant, infeſtos gladios objicere. Ita metu ancipiti in hoſtem verſi, aciem reſtituunt. Tunc novum exoritur prælium; ſed jam, inclinante ſe ad Germanos victoria, brevì conficitur. Duo iſti in ſummum collem adduxerant majora tormenta, quæ frequenter in Thraces laxata, cladem edebant;

In colle pugna inſtauratur.

Turcæ cedunt.

Ibraimus conatur eos retinere.

Renovatur prælium.

bant; & cùm jàm ſiniſtra equitum ala explicato 1683.
ſibi per varios anfractus itinere adventare cæpiſſet, Ludovico Badenſium Principi negotium datur, ut cum Miſnienſibus ſagittariis equitibus pedeſtri pugna hoſtem invadat. Dicto audientes deſiliunt ex equis, provolant ad primos ordines, urgent, inſiſtunt, movent agmen. Ibraimus illud incaſſum retinere conatus, in propinquum vallum reduxit. Ibi aliquot a Viſirio acceptis ſubſidiariis legionibus fortiſſimam inſtaurat aciem, firmat equitatu, quem hactenus in prælium ire prohibuerant loca palis ac vitibus impedita; prætentiſque muralibus machinis, quibus jam antea vallum munitum fuerat, hoſti, ſi audeat ſubire, haud impunè ceſſuram audaciam, ferociter minitatur. Simul ſuos monet, ut præteriti recordatione temporis, præſentis verecundia ſe ad bellicam virtutem exacuant. Non alia ipſos corpora atque arma, quàm quæ pridem; non alia Inimicos gerere. Variatis tantùm animis variaſſe fortunam. Itaque priſcos repetant, nec dubitent victoriam reportaturos. Quid autem turpius, quàm ignavia fallere ſpem ſuam, & vinci, quia velint? Lotharingius, Turcas in vallo ſtare conſpicatus, ſiſtit agmen; jubet militem parumper conquieſcere ac reſpirare. Interea circùm ſe vocatos majores duces interrogat: ſatin rerum hoc die? Reſponſum: nihil morandum; majoris quippe difficultatis eſſe, inchoare victoriam, quàm abſolvere; nec rarò illam, ſi datur hoſtibus conſilii tempus, pe-

Cæſariani equites in hoſtē irruunt.

Turcæ fuga capta intra vallum ſe condunt.

Ibi Ibraimus inſtaurat aciem ac ſe munit.

Suos ad pugnam, ſi hoſtis irruat, adhortatur.

Lotharingius cũ majoribus Ducibus deliberat, an hoſtis intra vallũ petendus ſit.

1683. periiſſe. Et id quidem in animo, ſubdit, ſibi eſſe, at vereri ut legiones tot jam defunctæ laboribus novo prælio ſufficiant. Cùm dicerent, hoc eas alacriter poſtulare; equites illico, qui jam in planum deſcenderant, ad utrumque latus deducit, nec mora dat ſignum, quod ingenti plauſu milites accepere. Sol ad octavam horam proceſſerat, cùm agmen conſurgit, magno incedit greſſu, vallum ſubit. Micabant contra e flammiferis ſcorpionibus catapultiſque tela. At Germanus neglecta paucorum nece, ne ſecundis ictibus ſpatium daret, proſilit confeſtim in aggerem haud ſatis editum. Hinc alii vibrare e baliſtis jacula, alii munitionem ſuffodere, alii in campum ſe projicientes inire pugnam. Æquato vallo utraque ex adverſo apparuit acies, concurritur, dimicatur. Equeſtre prælium haud diu tenuit. Nam cum Germani adverſa fronte denſatiſque ordinibus, non circumactis equis, cum hoſte congrediantur; prævaleant autem eorumdem equorum mole ac ferocitate; Turcæ haudquaquam ferunt ipſorum impetum. Et modò prima deterriti cæde fugam arripuere. At pedites, velut feræ poſt longam inediam e clauſtris eductæ, vix primis emiſſis telis ſigna conferunt, gladiis atrociter ſe diſcerpunt. Stant loco, ordine, pede immoti; manu inſtant & corpore; nulla cadentium cura, maxima ſubeuntium. Ira atque ardor animi, quamquam in extremo tumultu, diſciplinam ſervat. Duces ad omnia intenti arte artem eludunt;

Statuunt urgendam victoriam.

Germani aggere transgrediuntur.

Atrox prælium conſeritur.

Turcarum equitatus citò cedit.

Peditum dira obſtinatio.

&,

&c, ſi quod alter in alterius perniciem conſilium capit, extemplo evertunt. Anceps pugna quem foret exitum habitura non apparebat. Cùm Germani equites, haud longe Barbarorum turmas inſequuti, in prælium redeunt. Sublato ingenti clamore petunt nudata ſuis equitibus barbarici agminis latera, obvios proculcant, telis obruunt. Tum demum turbata hoſtium acies, ac fluctuanti ſimilis viſa eſt. Mox dum primi cæduntur, reliqui terga vertunt. Pulſis fugatiſque hærent Victores, nec vitæ parcunt; adeo iracundia ac laboris tædium animos efferaverat. Levior tamen opinione hominum cędes fuit. Nam Lotharigius, ſubitos veritus belli caſus, non per globos, ut fit, ſed inſtructis ordinibus fugientes eſt perſequutus. Data deinde Ludovico Badenſium Principi valida equitum peditumque manu, qua, unà cum erumpentibus oppidanis, ab aggere obſidionali hoſtem dejiceret, ipſe cum reliquis copiis, præda prohibitis, rectà ire pergit ad ſiniſtrum Turcarum cornu, adhuc incertus quid ibi actum foret. Verùm & illic poſt diuturnam pugnam acceſſerat ad Fœderatos victoria. Rex alam dexteram longiore itinere, ſed ęquo ſolo, ne frontem divideret, ad extremos colles deduxerat; juſſa peditatus parte ſecum ire. Franconum, Bojoariorumque legionibus, cohortibus aliquot Saxonum & Cæſarianorum conſtabat agmen. Ubi eò perventum eſt, Turcæ in Sarmatas permiſerunt equos. Steterunt iſti, retuderuntque vim. At illi,

1683.

Unde Cæſarianis victoria.

Turcæ demum in fugam conjiciuntur.

Germanus eos inſequitur, & quo ordine.

Quanta cædes utriuſque partis.

Ludovicus Badēſis cum militum manu mittitur ad expediendum obſidionalem aggerem.

Lotharingius cũ ſuis copiis pergit ad ſiniſtrũ Tur: cornu.

Dexterum cornu Fœderatorum deſcendit ad hoſtes; quo ordine, & qua viâ.

Ibi Turcarum equitatus prior hoſtem invadit.

1683. li, fræno moderante curſum, per gyrum acti, vehementiùs ſe ſe intulere. Impetu conſternati Polonorum equi, quaſſantes cervicem tenaceſque, equitem in fugam trahunt. Tunc pedites admoti, diſploſis tormentis, moram inſequentibus injiciunt. Cùm ponè agmen, qui fugerant equites ſe recepiſſent, in pedites Barbari convertunt ſigna. Laborabat acies ſtrata equorum incurſu, nec poterat ordines retinere. Quo Rex animadverſo, ab extrema fronte ſubductos velitares equites (Huſſaros vocant) e tranſverſo irruere in hoſtem jubet. Hi citiſſimo feruntur curſu, ſeſeque ordinibus immiſcentes, quà gladiis quà manualibus tormentis ſtragem faciunt, cuncta vulneribus implent. Dirempta pugna, quilibet ad ſuos regreſſi capiunt locum, dirigunt aciem. Ac primò majoribus utrinque tormentis ingenti boatu, quam repercuſſi colles augebant, laceſſunt pugnam; ſtatim deinde æquo Marte concurrunt, ac prælium conſerunt. Magna erat Turcarum ferocia, equitum præſertim, qui collato equo non armis tantùm, ſed ipſa mole corporis decertabant. In eo tumultu Poloni, hoſtium numero atque obſtinatione preſſi, de ſpatio deflectere atque inclinare. Hoc viſo Rex, qui ubique præſens magnum ſuis momentum erat, actus in mediam turbam, ubi confertiſſima vacillabat, aperta caſſide: an igitur Commilitones, vociferatur, tantum iter emenſi huc advenimus, ut in ſociorum oculis, accepta clade, minores, quàm fama adhuc tulerit, ſtrenuitate comperia-

Poloni cedunt.

Turcæ peditatum aggrediuntur.

Rex Huſſaros immittit ad opem ferendam.

Dirimitur pugna.

Equites iterum utrinque concurrunt.

Poloni iterum inclinant.

Rex illuc fertur.

Ejus adhortatio.

periamur? Satius erat domi deſides incertam ignavię opinionem ſubire, quàm certam ignominiam ſuſcepto bello. At non puto tantum in vos dedecus admiſſuros. Novi meæ gentis indolem. Ad prædam, ad gloriam, ad religionis tutelam vos duxi; & prædæ, & gloriæ, & aſſertæ religionis reddam vos compotes, ſi mecum paullum adnitamini, memores virtutis & regis veſtri. Hæc loquutum, exequentemque dicta magnis clamoribus proſequuntur, reſtituunt pugnam, utque populator agrorum turbo, tantam vibratis gladiis procellam inferunt, ut hoſtes, cùm ab impetu reſpirare non poſſent ac paſſim obtruncarentur, primò cedere, mox interſcindi, denique dare terga. Pedites, qui eminus levi adhuc certamine dimicaverant, equeſtri pugna ſuſpenſi, hujus fortunam illico perſenſere. Nam Turcæ trepidi ſuorum equitum fuga, vitæque, ni ſibi conſulant, deſperantes, in pedes ſe conjiciunt. Equitatum peditatumque intra vallum ſe abdituros Fœderati, ſimul cum ipſis tranſgreſſi aggerem, vulneribus conficiunt, nec ſinunt ſe colligere. Pulſis Viſirius cum ingenti armatorum globo, ſublatoque Mehemetis vexillo venerat opitulatum. Ubi palatos videt, ſiſtit agmen, progreditur ante ſigna, ratus voce ac majeſtate ſua fugientes retentum iri. Cùm prope, ut audiri poſſet, eos habuit: quò inulti, indefenſi ruitis? inquit. An Deum aliquem ignavis laturum opem putatis? Dei numen ſegnes odit; nulla ſocordibus ſalus. Hìc ſolùm apud vene-

rabi-

1683.

Qua & ejus exẽplo pugnam inſtaurant.

Turcas in fugam impellunt.

Et Peditatus Turcarum fugam arripit.

Viſirius eos ſiſtere nititur.

1683. rabile ſignum Mehemetes adeſt. Iſtud ſequimini, & quà me tendentem videritis, ite mecum, ferro contendite. Non hìc Viennæ mœnia, non ſubterraneus ignis, non agger præruptus. Armati armatis obſtant, armis ac viribus pares; neceſſitate, quod inexſuperabile telum eſt, validiores eſtis. Hæc dicentem ſurdis excipiunt auribus, turba impellunt. Ille obnitebatur, invocabatque prætorianorum, qui circum ſe erant, fidem. Inſtabant Victores, vitamque occurſantibus adimebant. Simul diſſoni clamores haud longe abeſſe Lotharingium, dextrum cædentem cornu, renuntiabant. Tot anxius curis, inops animi conſiliique, tandem equum in fugam concitat. Fugientem proſequuti qui adhuc ſteterant, effuſo curſu per agros diſſipantur. Germanorum in eo prælio cecidere ad duo millia, Sarmatarum ſeptingenti, Thracum ad decem millia; vulnerati major utrinque numerus. Reliquum erat illorum agmen, qui ad urbem manſerant. Hi obſidionem urgere juſſi, initio pugnæ lacera propugnacula ingenti tormentorum ſtrepitu verberabant; diſtinendiſque oppidanis ne erumperent, acie directa, velut quolibet momento temporis aggreſſuri, minitabantur. Poſteaquam ſubeuntem mœnia Badenſem vident, audiuntque intra vallum hoſtem, & ſuos disjectos; ſe taciti per operum anfractus ſubripuere, præoccupato Staremberġio, qui ab omni parte unà cum Ludovico Badæ Principe, impetum in hoſtes facturus, agmen civium ſimul ac militum intra munitiones inſtruxerat. Pulſos

Sed fruſtra.

Adventante Lotharingi o ipſe, & ejus ſiniſtrũ cornu fugit.

Quæ Chriſtianorum ſtrages in eo prælio quæ Turcarum.

Turcarum ab obſidionali vallo fuga.

ſos fugatoſque haud magna cædes eſt conſequuta. 1683.
Nam Sarmatæ citò ad prædam diſcurrunt; & Germanis, cùm parum ſupereſſet diei, breve inſequendi ſpatium fuit. Poſtridie equitum turmæ longius progreſſæ, complures laſſitudine aut vulneribus debilitatos, viæque impares trucidarunt; ulti Barbarorum ſævitiem, qui captivos remorantes fugam, in his pleraſque lactantes matres, gladio ad necem percuſſerant. Infantibus tamen, ingenti numero pia collectis cura, aliena ſervarunt ubera. Præda longe major ac luculenta, non æqua tamen parte; ditior Polonis, qui primi & diutiùs prædati ſunt. Regi Viſirii tentorium obtigit, amplitudine atque ornamentis magnificum; militari ærario & gaza, ut hujuſmodi potentia viri, opulentiſſimum; & ibi maximi momenti, quæ ad rem præſentem facerent, literarum monumenta. Illa ad invidiam, hæc ad alienandos animos plurimùm valuere. Siquidem negata Cæſari avidiùs petenti, cujus ſummopere intererat illinc pernoſcere Tehelii atque Hungarorum cum civibus, exteriſque conjurationes. At Rex ſeu pacis reſtituendæ ſpe, quam patefacta plurimorum crimina retardare potuiſſent; ſeu, ut alii interpretabantur, ad aliquam ſibi, arcani conſcientia, captandam utilitatem, ſpecie negligentis detinuit ea. Regio quoque Mehemetis vexillo potitus eſt. Addita huic loco fabula, ad ſcenæ pompam inter vulgi acclamationes incerto rumore diſſipata: illud ſcilicet ab ipſo rege ex ſigniferi, vel etiam ex Muſta-

Ingens præda relata, præcipue a Polonis.

Arcanæ Perduellium literæ a Sarmatis intra prædam reperiuntur. Ab Cæſare petitæ ſed fruſtra, & quare.

Rex Mehemetis vexillo potitur.

1683. phi manibus ereptum. Id autem cùm ejus tacuerint literæ, cæſum fugatumque hoſtem Pontifici maximo renuntiantes; ſiluerit nuntius, qui præcipuum iſtud victoriæ monumentum, tanto quoque Innocentii ſtudio ope conſilio partæ, illuſtre futurum poſteris teſtimonium, Romam detulit (quæ duo aptiſſima erant loca pervulgandæ exornandæque rei) non eſt cur ullo pigmento aſpergamus invicti regis gloriam, quæ tum clariſſima fuit, atque omne fortiſſimi ducis decus complexa. Captus & ingens belli apparatus, qui totus in Cæſaris poteſtatem venit; unde viciſſim querelarum ſemina, exprobrante Rege, non ſibi datam tormentorum partem. Fuerunt catapultæ majores centum undecim, ſcorpionum quinque millia, duo ſariſſarum, mille maximæ ollæ pyrophoræ, manualium octodecim millia, par globorum ad bombardarum uſum numerus, ſulfurati pulveris pondo quadrigenties millies, totidem plumbeæ glandis, magna ligonum, palarum, cæterique militaris inſtrumenti vis. Ita memorabili oppugnatione, qua nulla, noſtra ætate, major ac periculoſior, Vienna ſexageſimo poſtquam inceperat die, pridie Idus Septembris ſoluta eſt. Opinio tunc apud multos graves quoque rerum æſtimatores invaluit, Viſirii avaritia ſtetiſſe urbem. Nam cùm intactam vellet a militum præda, non vi eam capere, ſed lenta obſidione in deditionem adducere, ſibique integram, ſpoliandam opibus, reſervare ſtuduiſſe; datum proinde auxilii ferendi tem-

Quot tormenta, quantuſque belli apparatus captus.

Viennæ obſidio ſoluta.

Opinio refutatur potuiſſe urbem in poteſtatē redigi ſi Viſirius prædam militi permittere voluiſſet.

tempus, præteritamque abſolvendæ rei occaſionem. 1683.
Verùm quiſquis animo reputabit, tricies ſepties dilaceratas a Barbaris nitrati vi pulveris, concluſi caveis, munitiones; in eas ſemel ac tricies acie inſtructa illatum impetum; ferro aut morbo abſumptos (ſic enim inita paullo ante poſtremam pugnam ratione inter Viſirii ſchedas repertum eſt) tres provinciarum præfectos, ſexdecim Janizerorum chiliarcos, ſeptem ac viginti militum millia, ſex millia machinalium libratorum; cunicularioram, calonum, foſſorumque ſexdecim millia. Contra verò quindecies facto agmine Germanorum milites erupiſſe; horum ad undecies mille plerumque ferro, dyſſenteria quoque ac morbo cecidiſſe; totidem, qui arma geſtaſſent, oppidanorum; exiſtimabit profectò nec vehementius oppugnari urbem, nec diligentius defendi potuiſſe; eamque opinionem falſi redarguet. Quòd ſi tempus novis conatibus ſuffeciſſet, iis repellendis adhuc urbi vires ſuppetebant. Nam oppidanorum, qui tuendæ patriæ, delectu habito, nomen dediſſent, ad quinquaginta millia ſupererant, militum quatuor millia. Subitariis etiam operibus ad aliquot dies fultæ munitiones. Cùm Turcis interea validiores milites occubuiſſent; reliqui ex inani ſucceſſu demiſiſſent animos, Germani extuliſſent. Cæſar a Lotharingio per Comitem Franciſcum Carolum Averſpergium quàm citiſſime certior factus, Viennam ab hoſtibus gravi depulſis cæde liberatam eſſe, cymba vectus poſtridie Idus ad eam venit. In ri-

Refutandi rationes.

Per totum obſidionis tẽpus quot Turcarum interempti.

Quot Chriſtianorum.

Cæſar accepto diſceſſiſſe Turcas nuncio Viennam illico per danubiũ pergit.

1683. ripam deſcendenti Octoviri, Lotharingius, Starembergius cum præfectis militum, effuſaque civium multitudine obviam fuere. Rei bene geſtæ ſua cuique data laude, Staremberigio vultu atque amantiſſimis verbis ſervatæ vel vitæ diſcrimine, (bis enim dum ſe periculo offerret, leviter telo ictus) urbis gloriam gratulatus, medius inter Octoviros portam ingreditur. Adito majori Templo Deum Opt. Max., qua venerat pompa, ſolemni prece veneratus, actæque publice gratiæ. Poſtridie ſpecie luſtrandi exercitum in equum conſcendit. Peragrato ſuorum, & Germanici nominis ſociorum agmine, celebrataque omnium fide ac ſtrenuitate, ad Polonorum caſtra progreditur. Intranti directam aciem Rex militari inſignis habitu equum admovit. Utrique aperto capite ſe conſalutant, dextramque porrigunt. Prior Leopoldus ſermonem habuit. Nec ſe, inquit, ignarum eſſe, ejus adventum perniciem hoſtibus, Viennæ ſalutem attuliſſe; nec unquam immemorem fore. Tanta verò in ſe merita, quæ dicendo nequeat, orare Superos, ut referenda gratia, ſalvis tamen ejus rebus atque incolumi regno, æquare poſſit. Rex officiis contendere, cumulare cæteros laude, ſibi poſtremas actæ rei partes, primas lætitiæ dare. Poſtmodum jubere, Jacobum filium honoris cauſa Cæſari, diu ac modeſte renuenti, manus exoſculari. Ille adoleſcentem complexus, ornatiſſimiſque verbis proſequutus, non ei tamen (quod Rex ſuæ ſoboli recentibuſque meritis concedi

Quomodo exceptus.

Exercitũ luſtrat honoris cauſa.

Rex ad primos ſuorũ ordines illi occurrit.

Quæ utriuſque oratio.

Jacobum Regis filiũ comiter excipit, ſed ei caput Cæſar non aperit.

cedi poſſe arbitrabatur) detexit caput. Negati honoris diu manſit vulnus exulcerato animo. Adeo vel parvis rebus, ubi Principum majeſtas agitur, magnum momentum eſt; factaque fides, quod ſæpius antea: privatorum congreſſus nectendis amicitiis idoneos eſſe, Principum diſſociandis. Accepto victoriæ nuntio Germania, Italia, Sarmatia, ut recenſeam quarum maxime intererat, omnibus lætitiis inceſſere. Ubique publica auctoritate reſerata Templa, ſupplicationes indictæ; fauſtuſque eventus incredibili plauſu, nulla non exultantis animi ſignificatione celebratus; quippe qui ex præterito metu jucundior.

1683.

Id Regi doluit.

Ingens ubique ob Viennam obſidione liberatá lætitia.

Finis Libri Secundi.

Liber

Digitized by Google

1683.

Liber Tertius.

Cæſar Lentiam regreditur.

CÆſar biduum Viennæ commoratus, ne fœdo ruinarum aſpectu & cæli gravitate ob inſepulta cadavera conflictaretur, Lentiam regreditur. Quatriduum victoribus quies data; in quo plures erratum exiſtimarunt. Nam tergo ſubitò inhærentes omnem prope Turcarum exercitum delere potuiſſe. Et quidem ſeu duces adeo mentem occupaverant liberatæ urbis gaudio, ut illam ad reliqua non adverterint; ſeu (quod a vero minus abeſt) legionibus diuturno labore debilitatis defuerint ad proſequendum vires; hoſtis magnæ cladi ſubductus eſt. Quippe cui ſpatium fuit pontibus, qui cuſtoditi fuerant, Arrabonem ſuperandi; quamquam plures, impellente metu, moræ impatientes tentato vado, gurgite exhauſti ſunt. Viſirius in ulteriorem ripam traductus, ſuis recipiendis, qui continuò per globos ingenti numero ventitabant, tri-

An erratum fuerit, dato Turcis ad fugiendũ tempore.

Viſirius ſuos trãs Arrabonem colligit.

1683.

triduum ſtetit. Copiis ad juſti exercitus ſpeciem recuperatis Neoſelium, nobilem in Imperii finibus arcem, belli apparatu validiſſimoque præſidio firmavit. Deinde ſex Janizerorum, ſeptem equitum millia ſuæ robur militiæ, in oppoſitam Danubii ripam ad hoſtes aditu & ponte prope Strigonium excludendos tranare juſſit. Ipſe cum reliquis legionibus, deductis ex Papa, Veſprimio, Deodato, quà iter progrediebatur, majoribus tormentis, ut reducis non fugati exercitus opinionem in vulgus induceret, Budam petiit. Ibi cum primùm ſe collegit, Ibraimum prætorem capite plectit, cauſatus ignaviam, utpote ab ejus parte initium fugiendi factum; re vera hominis maximæ apud Aulam auctoritatis teſtimonium ac virtutem veritus; ab quorum altero vita ſibi eripi, ab altera magiſtratus poſſet. Eo ſublato, Mehemeti per literas renuntiavit: Viennam ſuis armis prope deletam & vix non captam; ab ea tamen paulisper milites abduxiſſe, ne illos hoſtium deſperationi objiceret, qui collectis undique auxiliis excitoque omni Germanico Polonoque nomine ſic pugnatum veniſſent, ut occumbere in acie, dummodo ingenti Turcarum cæde ſua mors conſtitiſſet, efferatis animis obſirmaverant. Se autem e republica exiſtimaſſe, exigui jactura temporis tot ſtrenuorum militum vitam incruentamque victoriam redimere. Mox, ubi primùm Auxiliares ſe diſſipaverint vel pecuniæ & commeatuum inopia, vel ſententiarum diverſitate, quæ ſem-

Neoſeliū valido præſidio firmat.

Pontem prope Strigonium munit ingenti militum globo.

Budam regreditur.

Ibraimum Budæ prætorem capite plectit.

Mehemeti Regi mollire literis cladem ſtudet.

1683. ſemper inter varias mentes fœderatorum gliſcit; iterum quaſſatis mœnibus ſucceſſurum, daturumque argumentum militaris artis, cùm palam fuerit, hoſtem tutiùs cedendo quàm præliando ſe profligaſſe. Mehemetes, quid actum eſſet, ignarus (Muſtaphus enim metu ac muneribus ſibi jamdudum obſtrinxerat, quibus patebat rex, obſepſeratque ejus aures) conſilium probavit, miſitque duci tunicæ donum, pignus apud eam gentem pacati animi benevolentiſſque. Ille doli ſucceſſu lætus, elatuſque rei occultandæ ſpe, quotquot in exercitu prætorum tribunorumque ab Ibraimi ſententia ſteterant, excellebantque prudentia ac ſtrenuitate, lictori objecit; ratus illos ut pœna, ita & crimine, oneraturum, ſi clades unquam in aperto foret; vel cujuſque animos ad prodendam ſuffocaturum. Fuere viri, barbarici Imperii lumina, unus & quadraginta; magnum adeo Germanis incrementum victoriæ, ut plus fere huic Viſirii crudelitati, quàm propriæ virtuti debuerint. Attamen ex ipſorum haſta ærarium locupletatum; ſed in omni civili ac militari re pluris hominum ingenia ac virtus, quàm pecunia ſunt. Scytharum quoque Regulum, fide belloque egregium, quem neci deſtinaverat, cùm fuga ſe ſubripuiſſet, exauthoravit. Inter hæc Fœderati ſuſceperant in Hungariam iter, præter Saxones domum confeſtim ab Octoviro ſuo dimiſſos, irato, ut fama tenuit, quòd ipſis Viennenſi prælio primas diſcriminis, poſtremas prædæ partes dediſſent. Duobus caſtris prope Altem-

Mehemetes Viſirii factum probat eique dona mittit.

Viſirius ducum plures necat, & quare.

Scytharum Regulum in ordinē cogit, cum fugiētem neci dare non potuiſſet.

Saxones domum redeunt irati, & quamobrem.

temburgum progreſſi, quinque illic Janizerorum millia, lectiſſimum agmen, plauſtris circumvallatum, objectiſque majoribus machinis, quas ſecum advexerant, invenere. Hi enim, dum ob ingenitam virtutis indolem non fuga, ſed militari gradu, pedem referunt, in itinere comprehenſi, ſtatim ac hoſtium agmina conſpexere, ſarcinis in medium collatis, per gyrum plauſtris, ad pugnam ſe compararunt. In deditionem invitati, cum ſe mortem ſervituti prælaturos dicerent, poſt atrox certamen, non incruenta Germanis victoria, ad unum omnes trucidati ſunt. Cæſaris catapultæ, præda militum fuit. Exercitus decem Lithuanorum millibus, quos ad Joannem regem ſupremus illorum præfectus Lubomiſchius adduxerat, & duabus Cæſarianorum peditum legionibus ſuppletus in Cituorum Inſulam proceſſit. Ibi cùm de re gerenda deliberarent, placuit Regis ſententia, ut poſthabito Neoſelio, quod validis munitionibus, novemque armatorum millibus tectum, inexſuperabile jam medio autumno videbatur; ſiniſtra, Peſthum uſque, Danubii ripa ab hoſtibus expediretur; ſibique in ſuperiori provincia munirent hibernis locum, ſimul Neoſelium interclufis commeatibus lenta obſidione domituri. Amnem iniecto ponte milites traducuntur. Sarmatæ negligenter ex hoſtium contemptu præcerpunt viam. Cùm palati longiùs prædarentur, plures ab Neoſelii præſidio intercepti inconſultæ audaciæ pœnas luerunt. Et quamquam

1683. Fœderati Janizerorum in unum trucidant. Quæ ſtrenue pugnavit, nec ſe dedere induxit animum.

Non incruenta Germanis victoria.

Decē Lithuanorum millia, aliquot Germanorū Cohortes Fœderatis junguntur.

Statuitur a Fœderatis Strigonii oppugnatio.

Sarmatæ ab Neoſelii præſidio cæduntur.

1683. Lotharingius moneret eos, ne procul ab reliquo exercitu, neve inexplorato maturarent iter: hoſtes ingenti numero ſe collegiſſe, & nihil non ab eorum timendum fraude, ſi non virtute; illi gloriæ & prædæ avidi greſſum non ſuſtinere; veriti nę utriuſque ſibi comparandæ occaſio præriperetur. Digreſſi trecentos equites obviam habuerunt. Rati ab Neoſelio profectos, invadunt; fugientibus hærent infeſtis mucronibus. Collis erat ſinuoſo flexu prope ripam ſuccedens, ubi quinque barbarorum equitum millia in inſidiis manſerant. Hi vixdum agmen proceſſerat, a latere a tergo inſurgunt. Sarmatæ improviſo incurſu & rei novitate perculſi, ad primum telorum jactum circumactis equis arripiunt fugam. Aderat inter alios Jacobus Regis filius, quem equi pernicitate ſibi conſulentem excepit Pater, cum altera ſuorum acie ad pugnæ ſtrepitum concitatis equis adveniens; ſubmovitque periculo, inſiſtente ejus veſtigiis Turcarum uno. Cæteris ignaviam increpans, intentiſque in jugulum armis, ut fugam ſiſterent, imperabat. Verùm nec primi reſtituebant ordines; & ſubſidiarii, tumultu ablati, ſuos non retinebant. Tunc ipſe impavidus hoſtes gladio retundere, ut ſuo ſaltem diſcrimine excitaret militum animos. At cùm ne ita quidem revocaret eos, magno ſtrenuitatis argumento poſtremus clauſit fugientium agmen, gloriæ, non vitæ cupidus. Germanorum occurſus Polonis finis fugiendi fuit, Turcis perſequendi; facta tamen ſupra mille Sarmatarum cęde. Rex ob ſuæ

Inſidiis excepti, & quomodo.

Iacobus Regis filius diſcrimen adit.

Rex accurrens filium, & agmen periculo eximit; & qua ratione id geſtum.

Magna Regis ren[illegible].

Germani Polonis opem afferunt.

gen-

1683.

gentis ignominiam iræ & pudoris plenus ardebat oculis, fremebat ore; & cum acceptam pati injuriam non poſſet inquietus animus, Lotharingio ſuadere, ſecum illico in pugnam rediret, haud diffiſus Polonorum virtuti, qui tyrones haud mirum ſi dolo ceſſiſſent; cæterùm ita natura bellicoſæ genti comparatum eſſe, ut vindictę ſtimulo adverſis acuatur. Carolus favere dictis; ſed parum, dicere, ſupereſſe diei, & nondum pedites adveniſſe; quare, cibo & ſomno curarent corpora, poſtridie dimicaturi. Luce prima inſtructo agmine, nam hoſtis non longe aberat, viam capiunt; & iſte, in aciem copias eduxerat ad collis radicem, cui impoſitum eſt Parchamum oppidum. Tredecim erant hominum millia, lectiſſimi quique ſuæ gentis, ferociores etiam, quòd pridie viciſſent, quòdque Viſirius, moram illaturus hoſti, eos promiſſis oneraverat, ſi ſtrenue decertarent; & locus quamquam paucioribus faciebat animos. Nam a tergo clivus, a læva Danubius, a dextra palus. Janizeri aciem mediam, cui Halius præerat Budæ prætor in Ibraimi locum ſuffectus, conſtituebant. Utrinque alæ equitum circumductæ. Siliſtriæ prætor dextro lateri; prætor itidem Cholibonis, quem nunc Aleppum dicimus, lævo moderabantur. Fęderati peditatum & ipſi in medium acceperant, præfeceruntque Erneſtum Starembergium legatum. In cornibus, lævo Polonos, dextro Cæſarianos collocaverant. Illos Jablanouſchius ſupremus ejus mili-

Rex cupit iterum ſuos in pugnam reducere.

Lotharingius rē differt.

Turcæ Fęderatis occurrunt.

Locus pugnæ, & ordo.

matæ, cùm æquata fronte ſtare non potuiſſent, per globos, protento corpore atque armis, hoſtem impellere adnitebantur. Sed equi in eo tumultu graviter ab omni parte colliſi, non amplius audiebant frænos, verſique in latera, inſeſſorem objiciebant telis, cogebantque abducere ſe periculo. Jablanouſchius, ubi primùm nutare ſuos vidit, cum duabus levis armaturæ equitum centuriis venerat ad prælii locum, ſtudebatque, retuſis paulisper hoſtibus, pugnam inſtaurare. Verùm & ipſe, quamquam obverſa fronte, adverſo impetu ferebatur. Quod Rex, Lotharingiuſque conſpicati, duas equeſtres Capraræ, Caſtellique legiones ex ſubſidiis eductas illicò ſuppetias mittunt. Stetere diviſis lato intervallo manipulis ad poſtremos turbati agminis ordines; intraque relictum ſpatium nullo excipiebant tumultu incompoſitas prope fugientium turmas. Turcæ ſequebantur; rati, ſemel commotos nullo negotio diſſipatum iri. Poſtquam verò novum agmen, ſibi non ſecus ac pro vallo oppoſitum vident, fluctuavere animo, incerti an ultra tenderent. Vicit tamen ingenita virtus, ſuaſitque pugnam. Pertinaciter dimicabatur; ob ereptam victoriam aliis ira, aliis gaudio ferocientibus. Interim Poloni tutum nacti receptum, ſe reſtituerant, ad ſua quique ſigna regreſſi; implenteſque agmine intermedia ſpatia continuaverant cum Germanis aciem. Integrato certamine non ii, qui dudum, viſi ſunt. Stimulabat eos ad gloriam pudor, ad 1683.

æmu-

1683. æmulationem præſens ſociorum virtus ; ad vindictam odium recenti damno exaſperatum . Turcæ fęderatorum vim , & audaciam mirati , velut prodigio capti (quod in re nec opinata uſuvenire ſolet) torpere primùm ; dein laxatis ordinibus procellam vitare ; mox referre pedem , accelerare gradum ; fugæ denique ſe permittere . Hæc in dextero ipſorum cornu ; in altero durius ambiguumque diu certamen fuit , non minus utriuſque partis virtute quàm obſtinatione . Par erat in fronte militum numerus (nam definiente locum Danubio Cæſariani dilatari non poterant) , par robur ac diſciplina . Cædebantur invicem , ſed immoti ; integri feſſis ſubibant , replebantque morientium locum qui proximi aſtabant . Quo viſo Badenſium Princeps aliquot ex ſubſidiariis turmis ad ſe vocatis : in veſtra , inquit , manu equites victoria eſt . Stant Barbari freti loco , eòque tametſi pauciores inſultant . Perrumpite aciem facto cuneo ; date ſuccedentibus viam ; palàm ſit , nihil uſpiam tutum a vobis eſſe . Ego non voce , non conſilio ſolùm , ſed manu & ferro præibo . Hæc fatus , cuneum citatis equis in prælium ducit . Impetum hoſtes non pertulerunt , quamquam & fractis ordinibus acerrime dimicarent . Facto aditu promptiſſimus quiſque Germanus ſubit ; dividitur in globos pugna ; Barbari circumventi cient primùm inter ſe turbas , hinc turmatim recedunt ; & cùm magis magiſque comprimerentur , ſigna deſerunt , apertam

Pugna exitus in dextro cornu.

Pugna exitus in ſiniſtro cornu.

tam in fugam effunduntur. Seriùs pugna pervenerat ad medias acies. Nam cum Turcarum cornua proceſſiſſent; Cæſariani pedites continuere gradum, veriti ſinum ingredi. At ubi cedentibus illis æquata frons, hi ſigna movent; miſſilibus primùm, mox ſtrictis gladiis, collatoque pede confligunt. Prælium tamen non diu tenuit. Quippe Janizari paullo poſt equitum alis nudati, queſtique: ſe ſe, ut munirent illorum fugam, occupandis hoſtibus oblatos: agmen nihil confuſis ordinibus in cliv de-retrahunt; ſpe ducti hoſtem, telis ſubjectum um territumque loci difficultate, non aſcenſurum; ſe ſe Parchamum, quod duo non amplius millia diſtabat, per otium abituros. At falſa ſpe; quippe Germani haudquaquam morati, ſigna intulerunt, ira vires atque animos ſuggerente; Turcaſque facilè pepulerunt, jam ſuo metu, hoſtiumque audacia trepidos conſternatoſque. Hinc undique cædes & fuga, dum iſti ferociter inſequuntur, & illi Parchamum repetunt. Una erat illuc obverſa oppidi porta, quam dum pro ſe fugientium quiſque præoccupare ſtudet, ipſo obſtruebatur tumultu; conſtipatique Barbari longe majori numero præbebant victoribus jugulum. Dum ita inter ſe luctantur, pars equitum, dimiſſis equis, in proxima vada paludis ſe immergunt, contecti calamis virgultiſque; pars equo tranare Danubium pergit. Hi gurgitibus hauſti; illi ab Cæſarianorum equitatu aquam ingreſſo aut telis confoſſi aut in ſervitutem ad-

1683.

Pugnæ exitus in media acie, & ubique Chriſtianorum victoria.

Turcarum nova clades ad Parchamum.

1683. adducti. Turba in oppidum acervatim per portam effuſa, diverſis itineribus pontem, quo Strigonium Parchamo conjungitur, petit. Ille immenſum non tulit pondus, laxatiſque compagibus medius rumpitur. Plures in aquam prolapſi, nandi rudes, vitam deſeruerunt. Qui pontem hoſtili adnexum ripæ adhuc tenebant, magnis clamoribus Strigonienſium fidem atque opem obteſtabantur. Et Fœderati illuc progreſſi facto impetu urgebant eos; rati, ne in flumen detruderentur, ſe dedituros. Horum unus armis & corpore, ſed magis virtute inſignis, clauſit intento gladio irruentibus aditum. Conſtitit parumper agmen, audaciam veritum an admiratum. Dein aliqui, ſpreta hominis temeritate, vim perſenſere, ſtrati enſe, quem ille, circumferens truces oculos, magnoque pontem occupans gradu, quàcumque ſe offerebat hoſtis, atrociter objiciebat. Pugnanti (nam & hoc traditum eſt) educitur manubrio gladius; ſed impavido, vaginaque ſe contegenti alius ſubjicitur; quo rurſus edita plurium ſtrage tandiu locum obtinuit, quoad ſocii lintribus excepti periculo ſubducti ſunt. Et ipſe conſcendere nitebatur; verùm vulneribus debilitatus, cùm tardis ingrederetur pedibus, occiditur; egregio facinore immortalitatem conſequuturus, ni ejus nomen & genus in occulto forent. Capto Parchamo, Sarmatæ vindictæ avidi ignem ſubdunt, brevì tamen a Germanis extinctum; quorum, integrum ſervare ſibi oppidum, intererat. Arx illicò

Alia Turcarum clades rupto ponte.

Magna unius Barbari ſtrenuitas.

Fœderati Parchamum in poteſtatē recipiunt. Sarmatæ ei ignē injiciunt. Germani extingunt.

illico in deditionem venit, quingentis præſidiariis pro vita ſervitutem pactis. In eos quoque a Polonis ſævitum foret, niſi Germanus intervenisset. Adeo militaribus viris acrior ad vindictam pudor acceptæ cladis, quam ira. Deſiderata in eo conflictu, quà cęſa, quà undis hauſta, ad ſeptem Turcarum millia, in his Halius Budæ prætor. Capti Siliſtriæ & Colibonis prætores, duo pariter gregariorum millia. Fœderatorum occubuere ad duo millia, & ducum nemo. Bis millies equorum, aliquot catapultæ, & militaria ſigna in Germanorum poteſtatem venerunt. Præda militibus conceſſa, & ea quidem opulentiſſima. Victores, ne metu perculſis ſpatium darent ad reſipiſcendum, poſtero die, injecto ponte, Danubium trajiciunt, Strigonium oppugnaturi. Urbs priſco more propugnaculis cincta plus habet nominis, quam munimenti. Sedet ad prærupti collis radices, in quo arx eminet triangularis, tuta loco. Intra teli a majoribus tormentis jactum mons D. Thomæ ſacer, æquato arci jugo, extollitur. Ex altera parte ſuburbia prætexunt ripam. Traductis legionibus & belli apparatu, Scarſembergii Comes cum quinque peditum cohortibus, ac mille equitibus ſagittariis montem ipſum præmittitur occupatum; quem Turcæ ſi vel modico tenuiſſent præſidio, nemini dubium, longiùs proceſſuram & deferendam ab hoſtibus oppugnationem, ſeneſcente jam autumno, humili cęnoſoque ſolo. Sed urgente calamitate perit conſilium. Illinc fre-

1683.

Quot in omni eo conflictu deſiderati Barbari, & aliqui inſignes.

Quot Chriſtianorum.

Quanta præda.

Fęderati Strigonium invaduut.

Urbs deſcribitur.

S. Thomæ mons occupatur a Fęderatis.

1683. frequenti jaculatione ſubjectum oppidum lacerari cęptum; & jam non ſine immenſo labore adductis muralibus machinis, mœnia tribus in locis verberabantur. Aperto aditu legiones ad irrumpendum ſe comparabant; cum oppidani declinantes impetum in arcem ſe retulerunt. Fęderati in urbem recepti catapultas expediunt adversùs arcem, quæ pariter ex adverſo monte proſcindebatur. Quamobrem Turcæ veriti, ne ſi vim expectarent, conditionibus excluderentur, vix octiduo tolerata obſidione, libertatem, & quidquid ſecum humeris ferre poſſent, pacti, Budam traducuntur. Fuere duo armatorum millia, quatuor incolarum, qui ſolum vertere maluerunt. Muſtaphus audita primùm ſuorum cæde, Strigoniique diſcrimine, validam inſtruxerat manum ad coercendos hoſtes, afflictiſque rebus opem aliquam afferendam. Mox percepta urbis deditione, nihil modò cum Fœderatorum proſperitate contendendum arbitratus, ingenti Budæ aliiſque circùm munitionibus præſidio impoſito, cum reliquis copiis Albam Græcam regreditur; & jam ad hiberna vocabat anni tempus. Ad ea Fęderati quoque circumſpectabant, ſed ancipites qua parte conſtitui poſſent, facta longe lateque a Barbaris vaſtitate. Poſt difficiles conſultationes Moravia Germanis ſociis auxiliaribus decreta; ſed hi longo quamvis itinere domum redierunt. Cæſariani, Strigonii relictis decem militum centuriis, circa Vagum amnem locati; Sarmatis ad regni ſui fines intra

Oppidani in arcem ſe recipiunt.

Arcem dedunt, & quibus conditionibus.

Viſirius ad ſpem Strigonio ferendam ſe comparaverat.

Audita ejus deditione, firmat præſidiis Budā aliaque oppida, & Albam græcam pergit.

Fęderati in hiberna diſcedunt.

Ti-

1683.

Tibiſcum & Carpatias alpes, regio populationibus adhuc vacua, ſed aliquot occupata perduellium præſidiis, datur. Ea dejicere, ut facilè ob præſentem metum, ſic utile videbatur haud minus Cæſari recuperatis oppidis, quàm Polonis per otium atque opulentiam hibernaturis. Itaque illuc Rex cum ſuorum equitatu, adjectis ad eum fulciendum quatuor Germanorum peditum legionibus Dunevaldo præfecto, viam carpit. Sed una tantùm Rentzeno arce, dum iret, in poteſtatem redacta, reliqua ſpem feſellerunt. Solicitatis enim Eperiis Caſſovianiſque, cùm ferociter reſpondiſſent, vi abſtinuit, conſilio an voluntate; cùm alii ad inferendam minus potentem crediderint, alii a Tehelio non abhorrentem. Auxit hanc famam cum locus palàm huic datus ad hyemandum, quamquam obtentu, ne in anguſtias actus, vehementius extrema quæreret; tum Sarmatarum, accepta ab Incolis pecunia, in patriam diſceſſus, deſertis non parvi momenti oppidis, quæ partim munita, partim idonea ad proſequendum bellum, extemplo veluti ex compoſito in perduellium poteſtatem conceſſerunt. Hinc obſcuræ invicem querelæ; & muſſitare Cæſar, ita ſibi durius factum perduellionis negotium; Rex, ſuos ſuſpecto in loco hibernorum tempore collocatos expoſitoſque, dum otio perfrui debuiſſent, inimicorum gladiis inſidiiſque. Quæ tamen (quippe nimis utriuſque intererat) ſimulando compreſſa. Quin Cæſar diſcedentem Regem officiis

Poloni prope Carpatios montes.

Caſſoviam Eperiaſque ad deditionem ſolicitant, ſed fruſtra.

Rex ut Tehelio nõ inimicus traducitur.

Cui locum permittit, ubi cum ſuis hiemare poſſit.

Sarmatæ accepta ab Incolis pecunia in patriã redeunt.

Relictis aliquot munitis Oppidis, a Perduellibus ſtatim occupatis.

Querelæ invicem Cæſaris, ac Regis.

Quæ tamen compreſſa.

1683.

Cæſar redeuntem Regem officiis, & donis proſequitur

omnibus eſt proſequutus, dataque eximia dona, documentum obſtricti beneficiis animi, duraturæ pignus benevolentiæ. Cæterùm per hyemis tempus quieverunt arma, ſed maximi rerum atque animorum motus apparuerunt. Jam enim ab diſſoluta Viennæ obſidione profligatiſque Barbaris plures Hungarorum proceres, fidem variante fortuna, in his Chriſtophorus Budianus remigraverant in Cæſaris partes; rati probaturos, neceſſitate ſe rebellaſſe, qui ſtatim ac liberi ſuique potentes ad ſe redierint. Et plerique facinus addiderunt, quo ſi perfidiæ redarguti fuerant, expiarent culpam; ſi mobilitatis & inconſtantiæ, perpetuo vinculo ſuam Cæſari obſtringerent voluntatem. Facta ſiquidem ſuorum manu alii alia caſtella invadunt, trucidatoque Turcarum aut Perduellium præſidio redigunt in Cæſaris poteſtatem. Hos quotidie magis plebeii patriciique ſubſequuti, Tehelio injecerant curam, ſuas partes diſſolutum iri. Nam quis non refugit horretque crimen, cum malè cadit? Et venia, præter paucos turbarum authores, propoſita per eos dies reſipiſcentibus, eò vehementiùs alliciebat, quò liberaliter oblata ſecundis rebus. Novemdecim Comitatus, atque omnis fere ora cis tranſque Danubium, quam dudum ſub imperio habuerat, in jus ac ditionem Cæſaris rediere. Igitur Tehelius anxius animi, quò res evaſura foret, ad ſuas reverſus artes, legatos miſit, alterum ad Poloniæ regem, ut rerum cum Cæſare componendarum author fieret;

Budianus, ac plures Hungarorum Procerum Cæſari reconciliantur.

Aliquot oppida eorum induſtria in Cæſaris poteſtatem veniunt.

Oblata a Cæſare prǽteritorum venia Perduellibus.

Novēdecim Comitatus in Cæſaris ditionem redeunt.

Tehellius legatos ad Poloniæ Regē miſit, ut ipſi cum Cæſare reconciliandæ navet operam.

alterum ad Karam Muſtaphum, qui renuntiaret: ſe ſuoſque ex adverſis rebus nec vires nec animos defeciſſe; quin etiam auxiſſe erga Turcas fidem, erga Germanos odium. Utriſque uteretur ad perſequendum bellum; nec conſilium ex fortuna, quæ facilè mutatur, ſed ex animi ſui magnitudine, ex Imperii majeſtate caperet. Id jampridem Muſtapho deliberatum erat; veritus autem ne Mehemetes ad quieta conſilia pronum in avaritiam animum converteret ob ærarii difficultatem, privato ſuo patrimonio refectum iri ſpoponderat quidquid ſuperiori expeditione conſumptum fuerat; ſpe, ita ejus ad ſe benevolentiam, ſi fortè præteritæ calamitates alienaſſent, revocaturum; & continuato bello nil ſibi ab æmulis pertimeſcendum, vel ſartis aliqua proſperitate prioribus ærumnis vel oſtentata quotidie ſarciendi ſpe. Verùm inclinata ſemel fortuna cuncta in deterius trahit. Jam tota perſonabat Aula gemitu ac luctu querentium, ejus crudelitate ereptos ſibi conjuges, parentes, liberos non alio crimine, quàm quòd ipſe reus; orbatas capite tot familias, rempublicam magiſtratibus, cunctos exanimatos, dum proſpicerent, eximias virtutes vitio verti ac pœnis affici. Atrocior increbreſcebat in dies rumor, miſcebatque tumultus, libera in extremis malis, cum nihil acerbius timeri poteſt, omnium voce. Neque verò ſævitiæ tantùm arguebatur, ſed rapinarum ſordidiſſimæque avaritiæ, quam nec puderet in omnium oculis exhibere

1683.

Simul ad Viſirium, ut animos addat ad bellum proſequendum.

Viſirius Muſtaphus Mehemeti Regi pecuniam ad bellum offert.

Hinc æmuli ejus mortem urgent apud Regem.

Ipſorum querelæ.

1683. bere. Nam quid aliud ſibi velle immenſum auri pondus, quo ſe damna patrati belli diſſoluturum dicat? Unde tantas illi divitias ſeptenni magiſtratu, per infamem luxum omneſque indulgentis fortunæ illecebras acto; niſi malis artibus? Eas propterea Mehemeti non dono ſed pœna repetendas eſſe, piandoque nefario ſceleri vertendum in publicum bonum, quicquid malo publico congeſtum ſit. Cùm minaciter obloquentium ira longiùs progreſſura videretur, Rex, quamquam invitus, decreta Muſtaphi morte delinivit. Miſſum Albam Græcam, qui dirum nuntium afferret, pacato animo excepit; impetratoque brevi ſpatio ad ſe colligendum, ſponte ipſe laqueo collum intulit; leniter obteſtatus: proſperam fortunam in hominum non eſſe poteſtate, ſed ejus ſolùm comparandæ fidem induſtriamque. In his ſi erraſſet, facti conſcientia dolenter mortem oppetiturum; nunc autem cum fortunæ delicto pereat, humanæ memorem viciſſitudinis libenter mori. Eo ſublato Turcicum Imperium damnum fecit. Iis enim vitiis virtutibuſque, quibus Barbarorum viget dominatus, excoluerat ingenium in illa ſagaciſſima Chiuperliorum domo, ubi primùm inter ephebos, mox inter primos rei domeſticæ curatores adſcitus, a duobus ejus gentis ſupremis Viſiriis patre ac filio, qui decus Othomano Imperio reſtituerant, parendi ac dominandi artes didicerat; obſequium ſcilicet & largitionem in Principes, in cœteros ſupercilium ac rapacitatem; time-

Rex quamquam invitus ejus mortem decernit.

Viſirius accepto nuntio quid egerit, & quomodo mortem obierit.

Ejus vitia & virtutes.

Plura de iiſdem, ejuſque vita.

timeri cupidus, haud diligi; & dum bene ſuccedat, æqui honeſtique negligens; bellum paci præferre ſeu occupandis animis, ſeu deterrendis; ipſe gnarus militiæ, patiens laborum. Ita ſeveritatis opinione ac bellicæ ſtrenuitatis fama ſeditiones, quæ diu fœdiſſimeque regnum dilaceraverant, compeſcuit; hoſtes in officio ac metu detinuit; Chiuperliorum æmulator, quorum ſolertiam æquaſſe, proſperitatem viciſſe videretur; & ni poſtremus actus cætera corrupiſſet, patebat eam gloriam conſequutum, ut optimis ſuffectus, ſplendidiſſima comparatione clarior fieret. Hæc ſane multis, ut de privato viro, ad poſteros tranſmittere haud ab re duximus, avide percepturos: cujuſmodi fuerit, quo duce tantum diſcrimen adiit Chriſtiana res, & unde formidabile Imperium non mole ſua, ut aliis contigit, ſed Chriſtianorum impulſu inclinare cœpit. 1683.

Ibraimus in ejus locũ ſuffectus quã quam invitus.

In ejus locum Ibraimus, alter ab Viſiriorum principe curandæ præſes reipublicæ (Caimecamum vocant) cooptatus eſt; vir imbecillis animo & corpore, nec aliter dignus, quàm quòd ſui metuens magiſtratum ingredi recuſabat. Coactus adire, confeſtim appulit mentem ad belli curas, quò communi ſuæ gentis voluntate protrahebatur. Igitur per omnes provincias tributum & delectum juſſit; quæ tum, vindictæ ſpe, facilè tolerata. Tehelio reſcripſit: non eas eſſe Turcarum vires, ut uno ictu proſterni poſſint. Mox validiores eos, quia dudum perculſos, ad rem acriùs agendam, exſtimulante ira.

Ejus in bellum ſtudium.

Tehelium ad arma incitat.

ira.

1683. ira, redituros. Ipſe quoque diligentiùs ſe compararet, cogitaretque: nihil jam ſibi medium inter imperium & ſervitutem. Hæc illum, ne a tumultu diſcederet, confirmarunt. Itaque ad arma intentus, ne pacem petendo ludificatus fuiſſe videretur, eas reconciliandæ gratiæ conditiones propoſuit, quæ certò rejiciendæ bellum darent pacem poſtulanti. Petitum autem, ut ad ſe tredecim Comitatus, quorum antea ſuo & uxoris nomine potiebatur, jure fideque bona redirent; ſocii patrimonia, quæ ſub haſta venierant, recuperarent; res Hungarorum publica, religioque in eum locum reſtituerentur, quo ſtetiſſe, dum Leopoldus Pannoniæ rex inauguraretur, pervulgabat. Quæ quidem iniqua nec hujus temporis, iniquiora Cæſari viſa ſunt, quòd ea Joannes rex detuliſſet, addidiſſetque: Civiles diſcordias, annalium memoriæ ſi repetantur, ſæpius lenitate quàm armis ſedatas eſſe. Hinc autem Germanis ſuſpicio, bene ipſi cum Tehelio eſſe; minutaque exoranti fides. Verùm Rex, ut ut hominem in tutelam tacite recepiſſet, impenſe tamen Turcas oderat, cupiebatque iis faciliùs profligandis Hungarorum ſeditionem, quacumque demum ratione poſſet, extingui, ne ad reliquam belli molem, quæ tanta futura eſſet, accederet. Quod cum vel Cæſar animo verſaretur, multùm in cauſa fuit, cur compreſſa ægritudine, quam ex ea perduellium arrogantia conceperat, hos diu pertentari haud abnuerit, an æquis conditionibus ſecum tandem in gratiam

Itaque Cæſari intolerabiles conditiones conſtabiliēdæ pacis proponit, ut eas reſpuat.

Quæ ipſa fuerint.

Cæſar dolet, ea ſibi Sarmatiæ Rege internuntio, delata.

Tentat an Perduelles æquioribus conditionibus quieſcere velint.

tiam

tiam redire vellent. Comperto, fruſtra re agitanda tempus teri, & morbum medicina, ut in affectis corporibus, ingraveſcere, totum ſe ad belli curas convertit. Igitur novas conſcribi legiones, veteres ſuppleri juſſit; actumque cum Auxiliaribus, ut accepta pecunia frequentiores vere primo ad exercitum veniant. His omnibus magnum momentum acceſſit fędus per eos dies cum Venetis conjunctum tanto animorum conſenſu, ut ſponte prope ſua coaluiſſe viſum fuerit. Bellum a Turcis indictum Cæſari, priuſquam exiiſſent induciæ, adeo noſtrarum gentium nullo fere diſcrimine irritaverat animos, ut una eſſet omnium vox: implacabilem hoſtem conſociatis viribus contundendum. Exceperat illam Pontifex maximus, detuleratque ad omnes Chriſtianæ Religionis Principes, obteſtatus, Dei numen ſequerentur. Hanc enim cunctorum hominum voluntatem nonniſi divinitus inditam videri poſſe. Poloni, ut retulimus, dicto audientes fuerant; reliqui in diverſa diſtracti conſilia, pudori conſulentes, ſpem ſaltem, cui tamen nemo crederet, oſtentaverant. Una Venetorum Reſpublica, ut prudentis multitudinis natura eſt, ab re oculos haudquaquam demittens, conſilium ex occaſione captura eſſe videbatur. Hæc modò aderat. Nam Barbari poſt Viennenſem cladem adeo viribus animoque defecerant, ut veteribus Inimicis, cùm præſenti opportunitate tum præteritorum memoria, vindictæ deſiderium exacuerent. Quamobrem in Senatu de Tur-

1683.

Cum fruſtra id fieret, bellicos apparatus urget.

Fædus inter Venetos ac Cæſarem Sarmatiæque Regem iſtum.

Cur Veneti illud uſque adhuc diſtulerint.

1683. Turcico bello, ineundoque cum Cæſare, Poloniſque fędere agitari cęptum. Duæ dicebantur ſententiæ. Placebat aliis, inſtaurandas otio Reipublicæ vires Cretico bello debilitatas; aliis, quæ ſupererant, periclitandas, ne novis in dies injuriis labefactatæ aliquando prorſus conciderent. Erant, quos a bello retraheret repetita longiùs memoria fęderis cum ſecundo Philippo Hiſpaniarum rege percuſſi, quod quamvis clariſſima ad Echinadas victoria nobilitatum, attamen Venetis male ceſſit, coactis pacem aliquot etiam jactura urbium a Selymo redimere. Plures arbitrabantur: anguſti nec longe proſpicientis animi eſſe, nova conſilia veteribus exemplis dirigere. Nam ex præteritis conſultatio; judicium ex præſentibus. Et olim prudentis Senatus fuiſſe, ajebant, armorum ſocietatem disjungere ad finiendum bellum ob ſuſpectum ſibi Auriam Hiſpanæ claſſis præfectum, remiſſamque a ſociis jam metu vacuis pugnandi curam; & nunc ad ſuſcipiendum conjungere, haud minus fore. Si enim ex pari periculo fœdera conciliantur, ſi vigent communi odio, ſi communi ſervantur utilitate; neminem dubitare poſſe, iſtud perpetuò manſurum, quod modò cum Cæſare, Sarmatiſque ineatur; ac finem bello proſperis Fęderatorum rebus, fractis ac devictis hoſtibus imponendum. Nam ſi de periculo agatur; cui trium majus impendeat, difficile dictu eſſe; reputantibus aliis dudum obitam Viennenſem obſidionem, aliis apertam per Camenæcum Sar-

In Senatu alii otium ſuadent, & quare.

Plures bellum, eorumque rationes.

Sarmatiam Scytharum incurſionibus, aliis per Cretam inimicis claſſibus Adriaticum ſinum. Hinc ex pari diſcrimine haud diſpar odium. Et armorum fructum nemini defuturum, ſuperabili ubique Thrace poſt tantam cladem. Hæc ſatis per ſe comperta atque explicata eſſe. Sed utcumque difficultatibus involverentur; an Venetis liberum eſſe, utrum velint, deliberare; cum tacito, ſed æque ac ſi indictum foret, atrociſſimo jampridem bello abſumantur? Quid enim ab hoc diſtat pax, quam modò gerimus? Bello occupantur oppida, eripitur ager. Quid horum poſt Cretenſem pacem non abſtulit nobis Turca; in eas anguſtias redactis Dalmatiæ urbibus, ut jam convecto vivere debeant? Bello prædæ ex hoſtibus aguntur. Quæ non hiſce poſtremis annis, & quàm luctuoſæ de nobis exactæ ſunt; frequenter Barbaro ærarium noſtrum ſimulatis querelis depopulato? Ita ne verò inultam Rempublicam ſenſim ſpoliari pecuniis & imperio, ut modico inquietoque otio perfruatur; mox illorum ope, quorum nunc fœdus abnuat, deſtituta, diriſſimo implicanda bello? Non enim reputandum, Turcas, tametſi paullum conterantur, diu quieturos adverſus nos, quos & idoneos ad prædam, & impares, quacumque ipſi fortuna ſint, ſibi credant. Tunc, otioſis vice ſua Germanis Poloniſque, bellum nobis gerendum erit nulla vincendi ſpe; quæ nunc maxima, ſi conjungamus arma, ſe offert. Quin & illud vehementer animo cogitandum: nobis hactenus fuiſ- 1683.

1683. ſe remotas Inſulas, quibus hoſtis immaniſſimi voracitatem ſaturaremus. Nunc autem quid reliquum eſſet, niſi de vivo reſecaretur? Quòd ſi ærarium in mentem veniat; pro certo quidem exiſtimandum, hanc unam tutiſſimamque ejus augendi rationem eſſe, ſi penitus paranda claſſe delectuque habendo exhauriatur. Sic enim ingenti ſtatim exercitu comparato, Græciam, Illiriumque implebimus terrore nominis noſtri, unde certa nobis victoria, & ex victoria quantum pecuniæ ſit opus; ſuppletur is ærarium vel hoſtium manubiis vel civium liberalitate, quæ lętitiâ rerum ſecundarum, exploratāque ſpe facilè provocatur. Hæc cum e republica dicerentur, fœdus ac bellum juſſit ſenatus frequens. Illud his conditionibus compactum, inſequenti Februario apud Innocentium Pontificem maximum juratum eſt: ut ſcilicet Cæſar Polonique terra, Veneti mari, quantis poſſent viribus, Turcas adorirentur; ſibi invicem in maximis periculis præſto eſſent; quicquid ſibi olim a Barbaro ereptum fuerat, unuſquiſque recuperandum curaret retineretque; pax nonniſi ſalvis omnium rebus, & altero invito ne fieret. Quæ dum in Germania, Hungariaque geruntur, ingentes iterum in Regem ejuſque fratrem conjurationes ultima exerta vi Britanniam conturbarunt. Shafisburius in libertatem eductus, tantoque, ut retulimus, exceptus Londinenſium plauſu, poſito idcirco metu, ad ingenium rediit. Quocirca cum Monumethio aliiſque proceribus per occultos ſermo-

Senatus bellum decernit, ac fœdus init.

Fœderis conditiones.

Britannia novis in regem atque Eboracensē conjurationibus perturbatur.

Monumetius ac Shafsburius illas moliuntur, & quo pacto.

mones egit, ut, nullo Sectarum diſcrimine, in diu meditati a ſe facinoris ſocietatem adſcriberent, quotquot (qualiſcumque cuilibet foret cauſa) rerum novarum cupido inceſſeret. Re conſtituta, acceptiſque invicem partibus ſimul veteres in Scotia tumultus renovandi, ſimul ubique tentandi animos; incredibile videri poſſit, quot quantique ex omni conditione patrando ſceleri nomen dederint, ſeu in Romanam religionem odio, ſeu privatis in regnatricem domum ſimultatibus, ſeu æris alieni præſentiſque fortunæ tædio. Quare nec eadem omnium erat, quò res perducenda foret, ſententia. Alii Stuardorum familiam inflicta nece, inductaque republica regiam auctoritatem delendam; alii hanc retinendam, Carolum ſolùm regem, Eboracenſemque fratrem in ordinem cogendos arbitrabantur. Shafsburius dicere: unum modò inter omnes conveniat, ne Catholica religione prædito imperium unquam in Anglia ſit (quod periculum nunc impendeat a Stuardorum gente); id unuſquiſque ex ingenio curet; de reliquis, cùm tempus & occaſio ferat, conſulendum. Cuncti annuerunt, ſumptumque moliendæ ſeditioni ſpatium. Quod cum longiùs, ut in ſuſpectis rebus, procederet; ille moram inimicam taciturnitati, qua res arduæ ſceleratæque nimis indigent, averſatus, orare ſocios atque obteſtari, omnem abrumperent; maxima facinora audendo potius quàm conſultando geri; ſemel inchoata ſuum ipſa exitum expedire; torpentibus animis, ne impediant

1683.

Maxima Conjuratorum turba, & quibus quæ conjurandi cauſa, & finis.

Conveniunt omnes in Catholico rege excludendo.

Shafsburius rem urget.

diant

1683. diant, ad rei novitatem; &, quò magis temeraria res agitur, eò conſiliis bene ſubactam reputantibus. In hujuſmodi negotiis aliqua providenda; pro cæteris ſpondere ingenium atque audaciam. Adeſſe diem, quo Londinenſes nuntium, Eliſabetha duce, a Britannis remiſſum Romanæ ſuperſtitioni tripudiis celebrant; quo die nullum magis idoneum ad commovendam plebem memoria exoſæ religionis, opprimendamque Aulam, intentis ad ſpectacula prætorianis. Tenerent occaſionem, nec dubitarent, quin urbe regni capite tumultuante non ubique ad arma conclamaretur; vulgus enim majorum plerumque trahitur exemplis, raró conſiliis capitur. Monumethius & Regiam ſtipatam cuſtodiis, & rem adhuc immaturam dictitans, ſententiam repudiavit. Quæ cum paullo poſt iterata, rurſus negligeretur; Shafstburius ſibi, & rei haud proſpere gerendæ metuens, ſolum vertit, Amſtelodamum progreſſus, ubi poſt paucos dies ira & dolore abſumptus fato ceſſit. Ejus morte factioſis haud parum conſilii, nihil ardoris periit ad rem patrandam. Sex moderandæ multitudini inter ipſos creati, quibus tanta moles incumberet. Dum quiſque ſuas partes agit & fervet opus, Ramboldus quidam pyrochytrophorus, ſociis ſecum undequadraginta adductis, pari robore ac temeritate, ad occidendum cum ejus Germano Regem, dum condicta die Neomarchia, quò ruſticandi cauſa ſeceſſerant, Londinum regrederentur, ſe comparat. Hu-

Præſentem eſſe occaſionem oſtendit, & quam.

Monumethius rē amplius cōcoquēdam putat.

Shafsburius in Hollandiam ſecedit, ibique moritur.

Conjurati ſex Viros moderādo ſceleri creant.

Quomodo & ubi patrandum.

1683.

Hujus ædes, quà Rex iter facturus erat, viæ imminebant prope Hudeſdonum. Illic concluſi ſtatuerant, alii pyrobaliſtis aurigam jugaleſque confodere, alii Eboracenſem ac Regem. Si falleret ictus, haud longè alii adeſſe, ruſticano habitu plauſtrum, quo rhedæ viam interſæpirent, præ ſe agentes, certiùs utrumque ſecundis telis interempturos. Interea ſexvirûm aliqui Londini ſtarent, populum, accepto paricidii nuntio, ad arma concitaturi religionis obtentu, ſpe libertatis. Fortè per eos dies Neomarchiæ regiæ pars domus conflagravit, præbuitque accelerandi reditus opportunitatem, præventis ſicariis. Hi amiſſam infandæ rei occaſionem dum alibi atque alibi integrare ſtudent, & ſæpius eluduntur, ad Regem tandem cum cæteris conjuratis delati ſunt; indicio ab uno ipſorum facto, territo, ut fit, (nihil enim ſcelere meticuloſius) conſcientiâ criminis aut magnitudine. Plures, qui in noxa erant, comprehenſi; pars major ſubripuit ſe fuga. Quæſtione habita nemo, ne dum lictori quidem cervices daret, conjurationem eſt inficiatus. Aliqui, non tamen procerum, de ſuprema extinguenda Familia ſe conſpiraſſe confirmarunt. Nocentiores poenas morte luerunt, in his Vilhielmus Ruſſelus, Sydneuſque tribunus militum ex optimatibus. Arturus Eſſexiæ Comes iniectis ſibi manibus ſupplicium antevertit. Plurimis aqua & igni interdictum. Reliquis data venia, inter quos Monumethio, qui abjectus ad parentis pedes, crimenque faſſus.

Rex atque Eboracenſis caſu Londinum redire antevertunt.

Deinde Conjuratio Regi renuntiatur.

Conjuratorum alii fugiunt alii capti, faſſique ſcelus, morte ac diverſis pœnis plectuntur.

Qui inter ipſos nobiliores.

Monumethio Eboracenſe interprete data venia.

1683. ſus magna cum doloris ſignificatione, ejus clementiam Eboracenſe interprete facilè exoravit; incertum, patria lenitate, an quia timeretur; inauſpicatò quidem; nam paullo poſt, cùm factio recrudeſceret, atque irritare ſeditioſis ſermonibus plebem niteretur, veluti ſimulata conjuratione ſævitum foret, nequivit ab eo Rex obtinere, ut ad inſanas voces comprimendas, de qua privatim ordinem ac teſtimonium dixerat, eamdem conjurationem palam proferret, obſtrueretque hominum ora. Quod ratus, ingenii perfidia, non levitate, fieri, penitus exauthoratum in exilium miſit. Hic ſtatus rerum Britanniæ erat. Quo tempore majores curæ Hiſpanos exagitabant. Dimiſerat, ut dictum eſt, ſuperiore anno Galliæ rex Ludovicus quicquid in Belgio occupaverat poſt Noviomagenſem pacem; & in Germania retentis Argentorato urbe, aliiſque oppidis, quæ ſibi ſuæ gentis judicio data, in poteſtatem redegerat; de reliquis, quæ petebantur, nonnihil ſilere juſſerat Metenſe ac Briſacenſe forum; ſed itaut dirimendis litibus arbitrium foret Angliæ regi. Id Hiſpani, Germanique abnuebant; rati, illum propter domeſticos tumultus ſuſpectoſque Batavos, ad omnem rerum eventum gallicæ indigentem opis ſecundùm Gallos judicaturum. Dum conſulitur, magniſque res contentionibus agitatur, moritur principio æſtatis Maria Thereſia, Caroli Hiſpaniarum regis germana, Ludovici uxor; quæ ob egregias virtutes conjugi, vel cum alienis amoribus im-

Sed quia ſeditioſis faveret, in exilium mittitur.

Hiſpani Germanique arbitrium Britanniæ Regis ſe ſe inter & Gallos rejiciunt, & quare.

Galliarum Regina moritur.

implicaretur, chariſſima ſummoque in honore habita, haud parum repreſſerat ejus adversùs Hiſpanos ardorem animi, continueratque meditantem armis eripere, quæ ſua eſſe contenderet, ac diſputando negarentur. Rex itaque liber officio, iratuſque tergiverſantibus Hiſpanis, nullamque dirimendæ rei viam ſuſcipientibus, Humiereſum legatum (Galli Mareſchallum dicunt) ſigna in Belgium inferre juſſit. Primùm inducto exercitu ora circumquaque vaſtata, incenſi vici atque direpti, remotioribus Incolis ingenti pretio ærumnas redimentibus. Dein Corteriacum oppugnari cœptum. Urbs parum tenuit; arx nonniſi biduo tormentis quaſſata, dimiſſo honeſtis conditionibus præſidio, in deditionem venit. Huic Dixmuda, clarum ſed immunitum oppidum, adjecta. Nec per hyemem, glacie duratis amnibus, quo facilè in ulteriorem provinciam aditus aperiebatur, ab incendiis, & populationibus ceſſatum. Atrox injuria, tot tantiſque referta damnis, gravior Hiſpanis viſa eſt, quòd impunè & prope ad ludibrium inurebatur. Satius igitur illam repellendo augere, quippe non æquis viribus, quàm minuere diſſimulando; & potius inſito natura ſuæ genti decori, quàm utilitati conſulere decreverunt. Granæ Marchio Belgii prætor, præſidiis per eos dies auctis ad Galliæ fines, edixit, parem quòcumque poſſent, inferrent cladem; & acerbiſſima quidem illata. Quod ægre ferens Humiereſus, ſuperbeque, jactans potentiorem non in-

1683.

Rex Ludovicus cur iterum in Hiſpanos Copias immittit.

Humiereſus Belgium populatur.

Corteriacū, Dixmudam in poteſtatem redigit.

Hiſpani ob acceptas injurias iracundia efferuntur.

Granæ Marchio Belgii Prætor Gallicas regiones invicem vaſtari jubet.

1683.

Humiereſus atrocius vicem rependit.

citandum; quaſi patientia (intolerabili magnanimis viris piaculo) placari vellet; tanta ſævitia damnum perniciemque renovavit, ut Hiſpanos intempeſtivæ ſtrenuitatis pœnitere debuiſſet. Adhuc tamen ad apertas inimicitias deerat belli nomen. Quocirca finitimos aliqua manebat ſpes, poſſe tandem, priuſquam in altum evaderet, ignem comprimi. Id ſummo ſtudio Britanni curabant. Verùm Hiſpani,

De componendis inter eos rebus agitur.

Galli quas conditiones petunt.

Eæ ab Hiſpanis rejiciuntur.

quæ proponebantur, conditiones reſpuere; Galli ne punctum quidem ab iis recedere. Non enim aliter ſe quieturos ajebant, quàm ſibi vel quicquid per eos dies in Belgio ſubegerant armis; vel hujus loco aut Luxemburgum; aut in Hiſpania ea Ceretaniæ pars, quæ ſua nondum eſſet; aut Pompejopolis, Fonſûe rapidus, ſanctique Sebaſtiani Fanum, ſi non perpetuò, ſaltem per tricennales inducias concederetur. Interim Belgium fœdis populationibus con-

Qui auxilia ab Sociis orant, nec impetrant.

terebatur; quibus refrænandis cum a Sociis auxilia ex fœdere obteſtarentur Hiſpani, nec impetrarent; arbitrati ſpem reconciliandæ pacis in mora eſſe, ne

Nihilominus Gallis bellum indicunt.

mitterentur, extemplo Gallis bellum indicunt. Et ſane hinc maxima Cæſari, Batavis, propioribuſque Germanis injecta cura, veritis ne Belgium, quo tegebantur, cuique tuendo aberant ab Hiſpanis vires, Gallorum fieret. Igitur fœderatorum Ordinum Se-

Batavi ſe communium delectu militum bactito, & opem ferre Hiſpanis decernunt.

natus omni diſcuſſa mora ſupplendis Hiſpanienſium arcium præſidiis militum octo millia cum bellico apparatu ſuppetias mittit, promulgatque ſexdecim millium delectum augendis ſuis copiis ſe ſe habiturum.

Et

Digitized by Google

1683.

Germani quoque in id mentem adjiciunt.

Sed inter ſe ſententiis diſſidentes nihil movent.

Aliquæ Batavorum Urbium delectum impediunt & quam ob rem.

Suadentque ſervandam cum Gallis pacem.

Et iſtud pariter Colonienſis & Brandeburgenſis Octoviri aliique Reguli.

Quibus argumentis, & qua de cauſa.

Et in Germania Cæſar, quique propinquiori metu percellebantur, in Gallos intenderant oculos, atque arma cogitabant. Batavos tamen, ne majori numero; Germanos, ne quidpiam opitulatum irent, domeſticæ inter ſe diſcordiæ diverſiſſimæque ſententiæ, haud parum Ludovici ſolertia excitatæ, detinuerunt. Amſtelodami, cujus in Hollandorum Conventu potiores partes ſunt; Friſiorum & aliquot Zelandicarum urbium Magiſtratus, quorum ille opera ſuperiori bello a ſociis abſtraxerat fœderatos Ordines; nunc etiam ſeu capti regis amicitia, ſeu priſtino & nunquam extincto in Arauſionenſem odio; quem exercitu inſtructum fieri potentiorem, moleſtum erat; delectum impediebant, ſuadebantque ut ne pax, vixdum coalita, Hiſpanorum cauſa diſcinderetur. Eos otium levi jactura, ſi velint, ſervare poſſe; at ſi malint exitium, ipſi capiant, nec ſtudeant in malorum ſocietatem reliquos advocare. Quòd ad ſe attinet, ſatis reipublicæ viribus, & regis moderatione, cujus fidem daturum ſpondeat, tutos eſſe. Nec minus per Germaniam Colonienſis & Brandeburgenſis Octoviri, nonnullique Regulorum (quos tanti Imperii majeſtate illectos Rex traduxerat in ſuas partes) quà minis quà obteſtationibus contendebant, ne turbandis rebus arma decernerentur. Unum ſuæ genti barbaricum bellum ſufficere; alterum ſi addatur, ſuccubituram. Quòd ſi alterutrum ſit declinandum, quis Gallicum non arbitretur? quod paucorum oppidorum diſpendio,

gere lorica triangulari forma ad excipiendos milites contuendumque latus. Præerat oppido Chimæi Princeps cum valido præſidio; ſed collecto ex omni hominum colluvione ei parum fidebat; veritus ne cum hoſte extra ſeptum congreſſi, ad eum transfugerent. Tuendæ urbis fiducia in aliquot cohortibus turmiſque Hiſpanorum ſita erat. Crequius, nequaquam exercitu circumvallato, haud longe a munitionibus militem caſtra locare jubet. Hinc duplici aggere ad duo caſtella, ex utraque parte propiora flumini, iter munit. Oppidani, priuſquam hoſtes vallo ſe contegerent, ingenti jaculorum vi, factaque omnium prope equitum eruptione, deturbare eos conati, ad primum incurſum conjectumque telorum averſi, intra vallorum loricam compelluntur. Quatriduo Galli ad prioris foſſæ labrum tecti aggere pervenerunt. Illic repentè orribili ſtrepitu, ſubtus igneſcente nitrato pulvere, quem præſidiarii intra caveam concluſerant, terra diſcerpitur, majori tamen hoſtium metu, quàm damno. Quin & ignis e tranſverſo loricæ erumpens, aditum in viam tectam aperuit, quà Galli ſe ſe immittentes duo ſimul caſtella aggrediuntur. Nullo prope impedimento in foſſam deſcenderant; quippe illinc dudum ſe ſubduxerant oppidani, moniti, flammam tunc erupturam. At in adverſum aggerem, qui nondum apertus fuerat, enixi Galli multa truduntur cæde. Eo deinde majoribus tormentis lacerato, factoque ad conſcendendum itinere, biduo poſt ibi

1684.

Ejus Præfectus Chimæi Princeps cum valido præſidio, ſed incertæ fidei.

Oppugnatio, & defenſio deſcribitur.

pu-

1684. pugnam inſtaurant. Accurrunt Hiſpani; parum ſed acriter dimicatur; hinc addente animos ſuperiori loco, illinc multitudine. Gallis tandem in altum egreſſis, prçſidiarii ad interiora munimenta ſe recipiunt; nec ita multò poſt, ne interciperentur, duo reliquà intermedia caſtella deſerunt. Ibi diſpoſitis muralibus machinis, frequenti ab hoſtibus verberatione ſemilunares triquetræque munitiones propius diſcinduntur. In medio jacebat cornutum opus, quo in poteſtatem redacto urbs peritura illico videbatur; quippe quod ad intima propugnacula daret iter. Eò vires ac ſtudium converterant Galli; quamquam, avertendis hoſtium animis, in alteram partem ingenti fragore jacularentur ac viam pararent. Huc autem per cuniculos ſubeunt, duaſque ſuffodiunt caveas ad utrumque operis cornu, ſulphurato pulveri continendo. Et hic quidem, ſtatim ac ejus inflammandi ſignum apparuit, concepit ignem, excuſſitque apices munitiunculæ, mollito ſimul ad aſcenſum tumulo. Oppidani, dum Galli agmen inſtruunt, periculo admoniti, & quia in tanti momenti loco ſumma res agebatur, robur illic legionum ſiſtunt, magnoque animo ſe ſe objiciunt. Iniere certamen pyrochytrophori, jactiſque invicem incendiariis ollis tumultum excitarunt, immotis tamen ordinibus; ſiquidem veterani milites huic telo aſſueti. Dein repentè diſtrictis gladiis concurrunt. Atrox ibi certamen ac diuturnum, cum irritaret animos vetuſta gentis æmulatio, ſibique ambo propoſuiſſent,

agi

agi potius in ea pugna de gloria & nominis fama, quàm de ipſa munitione acquirenda retinendave. Vivida Gallorum ingenia vincendi moram vix tolerabant; movebantque præcipiti jactatione frequenterque vibratis gladiis, in certamen corpora. Hiſpanis contra ſedata quædam gravitas, nec ictum fallente ira, addebat robur ac diſciplinam. Cædebantur utrinque magna clade dubiaque victoria; cùm Hiſpani velut impetu abrepti ſenſim referre pedem, & Galli eò magis urgere ac vim acuere. Vixdum medium areæ ſpatium inſequentes hoſtes acceperat; cùm erupit, ſecum ferens egeſtam humum, ignis vapor, ex duobus ſuppoſitis cuniculis militaris furore pulveris excitatus, corripuitque ingentem Gallorum numerum. Reliqui attoniti ſuorum ſtrage, ſibique haud minora metuentes, effuſo curſu ad oram munimenti ſe recipiunt. Nec fugam retinuiſſent, niſi majores duces, illuc progreſſi, ſuo periculo timorem gregariis eripuiſſent. Confeſtim inſtauratis ordinibus (quod nonniſi veteranum militem uſus docet) cum ipſis ducibus integrant pugnam; recentibus manipulis ſuppleto agmine, cæco impetu irrumpunt; prætentiſque gladiis viam ad recuperandum locum ſibi faciunt. Tum dèmum victa Hiſpanorum vis; depulſiſque propugnatoribus munimentum captum. Tres horas tenuit dimicatio, utrique parti multo funeſta ſanguine; quamquam longe plures Gallorum occubuerunt. Cumulavit iſtorum ſtragem disjectum illic ingenti ruina, 1684.

ſa-

1684. ſaxiſque longe lateque projectis, armamentarium, quod majoribus minoribuſque incendiariis ollis ſulphuratoque refertum pulvere hoſtes, dum recederent, flammæ ac ruinis dederant. Ex altera parte tentatum ſemilunare opus citò ceſſit; & aliud vacuum ab oppidanis relictum in hoſtium poteſtatem venit. Proſpero ſucceſſu creſcere, ut fit, Gallis animi, expugnandæque urbis moram propemodum ponere damni loco. Igitur, vix ſumpto bidui ſpatio ad reſpirandum, pleno agmine tripartitò in interiorem foſſam deſcendunt. Aderat ibi tumultuariis contectum operibus, quicquid reliquum Hiſpanorum erat. Cum iis pugna cœpta adeò pertinaciter, ut quamquam ex propugnaculis exterioribusque munitionibus bellica utrinque tormenta minutis glandibus jacularentur; nemo tamen gradu moveretur, occuparetque moriendo locum, quem certando tenuerat. Verùm ſubeuntibus continuò Gallorum copiis; cùm pugna Hiſpanorum internecione finienda videretur; eos Chimæi Princeps, dato receptui ſigno, ſtrenue laudatos intra mœnia recepit. Hic finis pugnandi fuit. Nam cùm fruſtra Valſaſſinæ Comes cum quadringentis pyrochytrophoris, trecentiſque emerito ſtipendio militibus, in oppidum penetrare conatus fuiſſet; & Auraſionenſium Princeps, re cum Hiſpanienſi prætore deliberata, de ferenda obſeſſis ſpe cum iis, quas propere collegerat, Batavorum copiis, funditus deſperaſſet, retuliſſetque gradum; Chimæus re cognita urbem

Arauſionēſis veluti impar abſtinet ab ope obſeſſis ferenda.

Luxemburgum Gallis deditur.

Deditionis conditiones.

bem honeſtis conditionibus, adductiſque ſecum præſidiariis (fuere mille octingenti) Crequio dimiſit. At non ita proſpere a Gallis in Hiſpania res geſtæ. Humiercſus intra Navarræ fines adductis legionibus, arces valido præſidio firmatas, Hiſpanos tuto idoneoque loco ad repellendas agrorum populationes caſtra metatos reperit. Et cum per eos dies Pyrenæos montes, quà ſibi ex Gallia commeatus ſuppetebant, alta obruiſſet nix; veritus ne ſi, ut erat anni tempus, extemplò liqueſceret, via jumentis impediretur; celeriter per Galliam traductis legionibus in maritimam Catalauniæ oram contendit, ſe ſe cum Bellefontæo conjuncturus, ut quidpiam juſto exercitu pertentarent. Conſilio habito, Gerundam oppugnare ſtatuunt. Iter illuc ingreſſi, non longe ab oppido ad Sambrocam amnem Hiſpanos vident, pontem ulterioremque ripam occupantes, tranſitum intercluſuros. Ubi ſigna in conſpectu fuere, acies utrinque dirigitur intermedio amne, crebraque jaculatione ſe proſcindebant. Durius autem ad pontis aditum, quippe collato pede, certamen erat. Inde repulſi trecentorum cęde, in oppidum Hiſpani ſe recipiunt. Galli fluvium tranſgreſſi, prope ſub ipſis moenibus conſtituunt caſtra; nec ita multò poſt majoribus tormentis urbem lacerant. Brevi duo propugnacula interjacenſque lorica aliqua ex parte ruunt; muri enim interiori aggere non fulciebantur. In patentes ruinas Galli triplex inducunt agmen. Superſtabant

1684.

Res ab Gallis in Hiſpania impreſpere geſtæ.

Galli Gerundam obſident.

1684\. bant maceriæ Hiſpani intentis pyrobaliſtis; quibus invicem laxatis, inclinatiſque haſtis cominus urgent prælium. Gravior accidebat Gallorum cædes; nam plures erant, & aperto corpore. Primùm pulſi ad ruinarum radices; mox recenti ubique agmine ſubeunte, redeunt ferociores ad pugnam. Ad duo propugnacula ægre oppidani ſe ſuſtinebant; quia, continuò impellentibus hoſtibus, cùm hi novi feſſis ſuccederent, illi arcto in loco vix dare ſubeuntibus viam poſſent; nec ita multò poſt detruduntur. In urbem tamen ſe demittere Galli haudquaquam auſi, difficili deſcenſu, deſtinatoque ex propinquis domibus ad certum ictum. Contra verò, quà ex interiacente propugnaculi muro tranſitum ruinæ patefecerant, Mars præſidiariis favebat; quorum impetu pulſi dejectique hoſtes confuſis ordinibus extra baliſtarum jactum deceſſerant. Quod ubi cognitum ab Hiſpanis, adeo ad victoriæ ſpem animos extulere, ut alii ad recuperanda propugnacula raptim accedere, alii undecumque poſſent, miſſilibus petere conſtipatos Gallos; hique mortem declinaturi, loco cedere. In Caſtra ab legatis reducti, eadem nocte ſilentio abiere, trecentis ſuorum deſideratis. Non enim tutum erat, paucis feſſiſque legionibus obſidionem ſtrenue repreſſam urgere, cùm præſertim circumquaque ad arma conclamatum foret. Deliberantibus quò iter faciendum, placuit maritima ſubire loca ad Ruſcinonenſis Comitatus fines; claſſem, quæ ſupplemen-

Ruinas aggrediuntur.

Sæpius inſtaurãt pugnam.

Detrudunt intra mœnia oppidanos.

Sed nequeunt in Urbem deſcendere, & qua re impediti.

Alibi repelluntur.

Ab oppido diſcedunt.

Ad mare verſus Ruſcinonenſem oram pergunt.

mentum allatura erat, præſtolaturis. Itaque prope Rhodas ſtativa collocant. Claſſem expeditio per eos dies adversùs Genuam ſuſcepta morabatur. Ludovicus enim infenſum huic Reipublicæ gerebat animum, cauſatus ejus nimis propenſam in Hiſpaniæ regem voluntatem, quæſitamque ab illo tutelam, qua ſibi nihil ab Gallorum armis timendum arbitrabatur. Objiciebat quoque auctam ſuperiori anno quatuor quinqueremibus, datamque mari ſuam claſſem; quaſi vires oſtentare, Gallicæque potentiæ illudere voluiſſet. Altiùs tamen hærebat menti cogitatio, poſſe urbem opulentiſſimam, ni ab æmulo rege abduceretur, illum pecuniâ, qua tum maxime indigebat, juvare, idoneumque reddere ad gerendum bellum. Igitur queſtus negatam novarum quinqueremium dimiſſionem, & Gallorum aliquos ea in urbe injuriis affectos, quos tectos Imperii ſui majeſtate, inviolatos ubique vellet; Queſnæum præfectum illuc claſſem, valida inſtructam militum manu, ducere juſſit. Prætoriam Segnalæi Marchio conſcenderat, cui ſupremum rei gerendæ imperium erat. Hic in urbis conſpectu jactis anchoris, Senatui miſit, qui renuntiaret alienatum ab ea republica regis animum, nec aliam reconciliandæ amicitiæ rationem eſſe, quàm ſi in ejus poteſtàtem dimitteret quatuor recenter additas claſſi quinqueremes, unam inſtructam, reliquas inermes, nec novas conſtrueret; quatuor præterea Senatores ad eum legaret oratum, quæ in ipſum adhuc

1684.

Prope Rhodas ſtativa locant.

Ludovicus Rex cur Genuenſibus iratus.

Queſnæus infeſtâ Claſſe Genuæ admovet.

Segnalæi Marchio quid ab Senatu poſtulaverit.

1684. huc peccaſſet, veniam. Tacite deinde poſtulatum, ut, cum ſatis pateret, quid ab Gallis timere poſſet, quid ab Hiſpanis non poſſet, potentioris

Senatus reſponsū.

patrocinio uti vellet. Cum Senatus, nihil a ſe ſuiſque civibus erratum, reſpondiſſet; nec ſuæ potentiſſimique regis dignitatis fore: ſi veniam petendo aliquid in eum peccaſſe fateretur; cætera ſilentio prætermitteret;

Galli urbem incendiariis ollis verberant.

Segnalæjus pyrolmophoras decem biremes (Palandras dicunt) propius ſuccedere, majoribuſque incendiariis ollis urbem ferociter verberare juſſit.

Quo ſucceſſu.

Biduo ad ſex millia tanta ædium Templorumque clade conjectæ ſunt, ut qua parte civitas ad litus deprimitur, nihil non quidpiam ruinarum fecerit; Civium tamen nulla cęde, qui interius ſe retulerant, ubi illa ſenſim in collem extra telorum conjectum erigitur. Dein, paullum

Intermiſſa verberatione duriores cōditiones poſtulantur.

intermiſſa jaculatione, oblata iterum Senatui pax, dummodo ad cæteras conditiones adjiceret alteram quinqueremem inſtructam, trecentaque talenta argenti; quibus abſumpta in eam expeditionem pecunia regi integraſceret. Additum: ſi renuat, damnum duplicatum iri. Ei, qui mandata pertulerat, magnanimum a Senatu reſponſum datum:

Senatus negat; ejuſque reſponsū.

Rempublicam non ita ſibi meritam videri, ut in urbem innocuam tanta ſeveritatis exempla ederentur. Cæterùm minoris ſe ducere domorum jacturam, quàm libertatis; hanc verò deperditum iri, ſi ſua conſilia, agendique rationes moderari ex aliena voluntate debeat. Obſequio erga maximum regem.

gem ſe nec defuiſſe adhuc, nec defuturum; cujus ille 1684.
ſi ſatis habeat, ſpondere ultro, nec eſſe cur armis petat. Si majora velit, quæratque inflictis ærumnis; videat, ne plus ſuæ gloriæ, quàm urbi noceat. Se modò portum ac mœnia tutaturum; reliqua Superis curæ fore. Segnalæjus audito, Senatum nec damno nec metu quidpiam moveri, experturus an ille aucta clade minueret animos, urbem iterum e pyrolmophoris lacerari edixit. Immiſſa decem igniferarum ollarum millia. Parum tamen ad priſtinas ruinas additum. Biremes enim ad longiùs ejaculandum propius urbem accedere vetabantur muralium tormentorum jaculis; quin &, ubi in anchoris ſtabant, inquietam ſtationem reddebat una & altera quinqueremium, ad eas jaculis ſubmovendas identidem e portu emiſſa. Interea prædandis inflammandiſque ſuburbanis ædificiis, quæ magnifica & ſumptuoſa litus prætexunt, factus ad utramque urbis partem militum deſcenſus. Ad lævam, quà Feritor amnis mare intrat, citò naves repetiere, incolarum, qui ad repellendum cojerant, vi pulſi. Durius erat negotium ad alteram partem. Decem ibi peditum centuriæ nobiliorum domorum fores moliebantur; cùm aliquot ex oppido milites illuc per poſticum ſubmiſſi, conjectis undecumque poſſent telis, periculum ſubmoverunt. Is tamen cives ex inopinato deſcenſu timor inceſſit, ut ipſo tumultu ad agendum impedirentur; & fama fuit, urbem Gallos ingredi potuiſſe, ſi ſtatim ad molien-

Urbs iterum laceratur.

Galli in litus deſcendunt.

Uno in loco ab incolis repelluntur.

In altero obnituntur.

Et ſi portam tentaſſent, fama fuit ingredi potuiſſe.

dam.

1684. dam proximam portam, negligentiùs cuſtoditam, ſe convertiſſent. Nunc undique ex obliquis domibus & ex laternæ munitione telis appetiti, ad naves rediere. Claſſis conſumptis miſſilibus decimo poſtquam advenerat die, in Catalauniam diſcedens, Aphrodiſium promontorium tenuit. Plures cohortes cum bellico apparatu in terram expoſitæ ad Bellefontæi copias, quæ in propinquo ſtabant, ſe adjunxerunt. Ille auctum exercitum ad promontorii oppidum admovit, quod illicò, dum coronam invadere maturaret, in deditionem accepit. Inde Rhodam petiit, arcem operibus validoque præſidio circummunitam. Lente procedebat militaris agger, deturbatis militibus frequenti oppidanorum eruptione, telorumque vi. Quare legatus, cùm rem geri multo ſanguine, & quamquam bene cœptis ſuccederet, nullam inde ſuo regi utilitatem fore conſpiceret, oppugnationem dimiſit; gnarus, de induciis propediem conventum iri. Has Hiſpani hactenus repudiaverant, ſocios obteſtati: rem ſecum averſarentur, utilem hoſti, ſibi ultraquam dici poſſet infauſtam ac deteſtabilem. Sic enim in Gallorum poteſtatem plura dari, quàm poſtulaſſent. Quin (ut eſt effrænata ſecundis rebus cupiditas) ipſorum deſiderium ad reliqua nanciſcenda exacutum iri; ſe contra non modò viribus ſed animo debilitari; quem vigentem rerum præteritarum gloria difficile ſit adverſis impellere; facilè, impulſum præcipitare. Capto Luxemburgo, harum momenta ratio-

Tandem in naves detruduntur.

Claſſis in Catalauniam navigat.

Militem exponit, qui aliis Copiis jungitur.

Iis Aphrodiſium portas aperit. Rhodam obſidet.

Obſidionem ſolvunt, ne fruſtra imminuerent ſuas Copias bellando, cum pax immineret, aut induciæ.

Inducias Hiſpani deteſtabantur.

Idque Fœderatis ſuadere nituntur.

rationum eò vehementius urgebant, quò erant ex hujus oppidi munitione opportunitateque validiora. Nihilo tamen ſecius Batavi, ſententiarum inter ſe animorumque varietate diſtracti, præſens otium, præcavendamque, dum quies ab externis foret, imminentem reipublicæ Arauſicani Principis potentiam præ incerto in poſterum bello dubiiſque periculis habuere. Quare cum Ludovico rege de accipiendis induciis agunt. Ab iis Cæſar quoque non abhorrebat. Nam cùm altiùs hæreret infixum animo Viennæ ipſiuſque Imperii diſcrimen dudum obitum; ſatiùs ducebat, longiùs illud continuato barbarico bello dimovere; & cùm ad iſtud profligandum benigne ſe daret, quæ modò eſſet, temporis ratio, partiſque victoriis eblandiretur; hanc potius vocantem ſequi, quàm cum Thracibus reconciliata pace totum ſe ad Gallicanum alterum (nam duo ſimul capeſſere arduum & periculoſum) convertere. Adversùs Turcas conſentiebat Germania, ſpondebatque ſuas vires; arma in illum communi Chriſtianæ gentis deſiderio ac plauſu poſcebantur. Et palàm ab Gallico bello Octoviri Brandeburgenſis, & Colonienſis, aliique ipſius Germaniæ Reguli diſſentiebant; quorum ob oculos verſabatur aut armorum incendium ſuas primùm regiones populaturum; aut mutuis comparata officiis clariſſimi regis neceſſitudo, haudquaquam ſibi ex aliorum utilitate leviter diſſolvenda. Rex quoque inducias, tametſi faſtidientis in ſpeciem, avide

1684.

Illas tamen Batavi cupiunt, & quibus inducti rationibus.

Cæſar itidem, & quare.

Germania Turcicum bellū optat.

Germanorm plures otium cum Gallis.

Galliæ Rex induciis favet, & qua de cauſa.

1684. avide concupiebat. Nam cùm duas urbes Argentoratum, & Luxemburgum, alteram ad occludendum Belgio, alteram ad aperiendum ſibi Germaniæ aditum, ſtudiis omnibus deperiſſet; nunc facto ipſarum compoti incerta belli diſplicebant; rato ex communi motu magnam in ſe procellam concitari poſſe, cui ſubeundæ multum laboris, nihil emolumenti (quippe neminem dilatari longius Gallici Imperii fines toleraturum), non parum fortaſſe damni referendum ſibi foret. Æque verò tacito deſiderio huc ferebatur. Jam tum enim in animum induxerat, Calvinianam Sectam ex omni ſuo Imperio dimittere; nec niſi, parta ab externis bellis ubique pace, tantam domi ciere tempeſtatem, quanta exoritura videbatur, tutum erat. Cum una eſſet reliquorum ſententia; quin hæc vinceret, nil potuere Hiſpanorum queſtus. Primùm Batavi de vicennalibus induciis conveniunt, quas ſpondent Hiſpanos non repudiaturos. Leges fuerunt: ut Ludovicus per induciarum tempus Luxemburgum, Bellomontium, Boviniacum, Chimæum ſibi habeat; Corteriacum, Dixmudam, ſuis utramque nudatam propugnaculis, & quidquid ampliùs hoc tumultu in Belgio cœperit, reſtituat; exercitum intra fines reducat; ab Hiſpania diſcedat; arma ponantur. Dein Cæſar Hiſpanorum nomine, iis, quas Batavi pepigerant, quibuſque ipſi denique aſtipulati ſunt, conditionibus, inducias accipit. Ipſe & Germanorum Imperium paciſcuntur: ut Rex per eoſdem vicenos annos

Batavi priores de vicennalibus induciis cōveniūt & ſpondent, eas Hiſpanos non repudiaturos.

Ipſarum leges.

Hiſpani aſſentiūtur.

Germani cū Cæſare induciis adhærent.

Argen-

Argentoratum cum finitimis ad Rhenum munitionibus, & quæ hactenus oppida ab Metenſi Briſiacenſique Foris data judicio ſibi fuerant, obtineat. Interim arma ſileant; & ſi quid Germanis, Hiſpaniſque ob ea, quæ nunc aguntur, cum Gallis in controverſiam veniat, Britannici Regis arbitrio dirimatur. Unum præter cætera Hiſpanos ex ſociali fide retardaverat ad complectendas inducias, quòd iiſdem Genuenſium Rempublicam contineri cuperent. Et iſtuc Britannus officiis omnibus adnitebatur; ſed inaniter. Ludovicus enim Innocentio Pontifici maximo data fide, ſe nihil ex eorum Imperio in ſuam ditionem adducturum, rem cæterùm ex ſua voluntate pendere voluit. Quod ubi Genuenſibus cognitum, & nihil in duorum regum auctoritate præſidii ſibi eſſe; ad Sacrorum Principis opem ſe converterunt, illum rati apud magnanimum regem plus religionis, quàm cæteros Imperii ſui majeſtate, valiturum. Nec ſpes defecit; quippe ejus officiis delinitus pacem petentibus dedit, pactus ſupremi ad ſe Magiſtratus legationem, quæ amicitiam veniamque deprecaretur; & claſſem ad priſtinum quinqueremium numerum redigendam. Itaque principio inſequentis anni Dux ipſe caput Reipublicæ, eique adſidentes quatuor Senatores illum Verſalias adiere. In Aulam admiſſis, Dux Regem, ita ut convenerat, his prope verbis eſt alloquutus. Genuenſium Senatus, Rex ampliſſime, nihil unquam acerbius habuit, quàm quid-

1684.

Quibus conditionibus.

Hiſpaniæ, Britanniæque Reges ſtudent iiſdem induciis Genuenſes cōtinere.

Ludovicus abnuit.

Innocentius Genuenſes in regis gratiam reducit.

Quibus conditionibus.

Ducis Reipublicæ, & quatuor Senatorum ſolemnis legatio ad regem.

Ducis oratio.

1684. piam culpæ adverſùs amicum potentiſſimumque Regem in ſe admiſiſſe, reputari; nihil jucundius, quàm hunc dari ſibi locum funeſtæ opinionis officiis omnibus obliterandæ. Id te in animum inducere, adeo e re ſua eſſe putat, ut ſibi non moleſtum (quod aliqui fortaſſe arbitrentur) ſed plane gratiſſimum fuerit, te voluiſſe per Reipublicæ Principem tibi, hoc ſe animò eſſe, renuntiari. Non enim tanta res, in qua plurimum ſuæ collocat felicitatis, cuicumque credenda erat; ſed cui, utpote ſuæ gentis Duci, omnium voluntatis apprime gnaro, fides a te maxime habenda foret. Hoc nunc ego defungor munere, teſtorque, ut a ſuo capite divelli nequit Reſpublica, hìc ipſam ſtare mecum, te præſentem intueri, tantique facere in tuam rediiſſe gratiam, ut ſibi convaleſcere ex præteritis ærumnis, quaſi reddita valetudine, videatur. Unum orat; ut perpetuum ſit beneficium; & perpetuum fore ominatur, ſi uti partum obſequio eſt, ita obſequio liceat retinere. Reſponſum a Rege: bene ac prudenter Rempublicam feciſſe, quòd tam illuſtri legatione propenſam erga ſe voluntatem, quam antea dubiam reddiderat, patefecerit. Ex hac, non ex iis, quæ acciderunt, ſe velle argumentum capere, gratum ei eſſe, amicitia ſecum conjungi. Quare amicam ultro appellare; cupere ſimul, ut iſtud nomen, cultum fide, officiiſque, jucundum ſibi, utile illi perpetuò ſit. Dein comiter Ducem, Legatoſque omni honoris bene-

Regis reſponſum.

Munifice accepti donatique, & comiter dimiſſi.

ne-

nèvolentiæque ſignificatione complexus, liberaliter munificeque donatos dimiſit. Per id prope tempus, quo ſuperiora illa geſta ſunt, Cæſariani educto ex hibernis milite, de urgendo adverſus Turcas bello deliberabant. Erant qui Neoſelium ad oppugnandum proponerent, quod per hyemis tempus commeatibus intercluſum languere omnium rerum inopia facilè arbitrabantur. Ad iſtud præ cæteris occupandum faciebat militaris ars, cujus præcepto arx a tergo relinquenda non erat in finibus validiſſima, unde crebris eruptionibus intercipi ad exercitum via poſſet. Satis ſuperiori anno experientiâ compertum, quot inde mala Strigonium euntibus obveniſſent. Prudentis eſſe, incognitas ærumnas præcavere; miſeri, in eas incurrere; at quid niſi ſtulti, monſtratas patenteſque obire? Erant qui ad Budam regni caput periclitandas vires contenderent. Ea capta, univerſam Hungariam ſe dedituram, exemplo aut metu victam; prout unumquodque oppidum ejus auctoritatem aut vires æſtimet. Et captum iri, ex depreſſis Viennenſi clade Barbarorum animis, ſuorum elatis in ſpem rerum maximarum, facilè ſibi ſpondere poſſe. Tanto facinori adeſſe parem exercitum. Nec aliquid a Neoſelio timendum, ſi convehendis militaribus inſtrumentis commeatibuſque Danubius (quod levi negotio fieri poſſit) expediatur. Audendum propterea, ac reputandum: arridente fortuna, uti nunc ſibi res eſt, audaciora conſilia ſalubriora eſſe. Cæſar in hanc

1684.

Cæſariani de belli ratione delibe-rant.

Alii Neoſelii obſidionẽ proponũt, & quibus argumentis.

Alii Budam petẽdam infeſtis armis; eorumque rationes.

Cæſari, Lotharingii auctoritate moto, hæc placuit ſententia.

1684. hanc ſententiam, Lotharingii maxime auctoritate, & rei aggrediendæ plauſu, inclinavit. Igitur trifariam diviſo exercitu, robur legionum (conſtabat agmen viginti peditum, duodecim equitum Germanorum, quatuor Sarmatarum Lubomiſchio duce, totidem Hungarorum millibus) ad Budam oppugnandam Lotharingio; decem armatorum millia, magna ex parte Croati nominis, Leslæo legato ad hoſtem circa Danubium retinendum; Capraræ itidem legato validam manum ad Perduelles in ſuperiori provincia coercendos conterendoſque aſſignavit. Lotharingius adulto vere caſtra movit. Datis Mercio Inſtructori exercitus equitum duobus millibus, qui occupatis circa Neoſelium itineribus præſidium intra munitionem retineret, prohiberetque accipiendo militum ſupplemento & commeatibus; ipſe cum exercitu Danubium tranſvectus, relictis prope Strigonium impedimentis cum tenui præſidio, Viſſegradiam, quæ amni ſuperſtat, progreſſus, primo impetu cępit. Arcem antiqui operis Bechium tribunum cum ſua legione tentare juſſit. Hæc in edita ſatis rupe cuſtodiebat olim, utpote tum temporis munitiſſima, regium diadema, quod ab ipſo ſui nominis auctore S. Stephano poſteris tranſmiſſum Hungarici Reges ſumma diligentia ut Imperii pignus tuentur. Nunc tuta loco eludebat aggredientium vim, qui nec ſaxum aſcendere, nec ſupponendo nitrato pulveri cavare poſſent. Semel atque iterum repulſi, quatuor

Quo erant numero Cæſarianorum Copiæ.

Quomodo in tres partes diviſæ, & quibus Ducibus attributæ.

Datus Mercio militum globus ad Neoſelii præſidiũ coercendum.

Viſſegradiæ arx oppugnatur.

Oppugnatio deſcribitur.

1684.

tuor in adverſo proximoque jugo mortaria conſtituunt; rati igneſcentes globos in confertiſſimum præ loci anguſtiis præſidium (ſeptingenti & quinquaginta milites erant) conjectos, facturos ſtragem ac metum. Nec vana ſpe. Nam cum denique libratores, fallente prius ictu, collineaſſent, inde verò certiſſima infligerentur vulnera; Præſidiarii ſibi a flamma teloque metuentes, cum biduo ſe tenuiſſent, portas aperuerunt; permiſſi abire cum armis ac re domeſtica. Quæ dum aguntur, transfugæ Mehemeti Budæ prætori attulerunt, exercitus impedimenta prope Strigonium levi præſidio, quia nullus in propinquo hoſtium metus, ac negligenter ſervari. In ſpem adductus aut ſibi aut igni ea prædæ futura, quinque Turcarum Scytharumque equitum millia per occulta viarum miſit, qui ſilentio inſequentis noctis remotiorem a Viſſegradia ſaltum (regio ibi plurimùm ſaltuoſa eſt) ſuperantes, prima luce ſarcinas bellicumque apparatum derepente invaderent. Profecti ac vix montium fauces egreſſi, ab excubitoribus deteguntur. Dato adeſſe hoſtem ſigno, Hallevillus Inſtructor exercitus, qui præerat impedimentorum præſidio, præmiſſo cum quingentis equitibus Norchermæ Barone, ut collem in via haud longe poſitum occuparet, moramque advenientibus faceret; ipſe ad convocandas inſtruendaſque copias tubâ claſſicum cani juſſit. Facto promptiorum turmarum agmine, imperatoque, ut reliquæ vix dum col-

Præſidium diſcedit & quibus cōditionibus.

Mehemetes Budæ Prætor clam ad ſubripienda Cæſarianorum impedimēta, quæ prope Strigonium erant, mittit.

Iis Cæſarianorū globus occurrit.

1684. collectæ ſubſequerentur, inexploratò proceſſit; ratus cum prædatoribus, qui rari negligenteſque diſcurrerent, rem ſibi fore. Barbari citatis equis, ſervatiſque ordinibus iter accelerabant; quorum ubi tantam multitudinem Norchermius longe conſpexit, extemplo ad Hallevillum miſit, qui ſibi ſuiſque peterent recedendi veniam. Stare & obniti juſſos paullo poſt Thraces adorti, illico pepulere. Inſequentibus Hallevillus cum exigua circùm ſe conglobatorum ala ſtrenue occurrit. Turcæ dilatato agmine a fronte a latere irrumpunt; & Germani quamquam longe pauciores acerrime decertabant; ſed cùm undique cæderentur, in fugam ſe conjicere coacti ſunt. Hallevillus adverſum femur lancea transfixus paullo poſt moritur. Nec ſuorum quiſquam ſuperfuiſſet, niſi cum equeſtri Rabattæ legione Carolus Paces pro tribuno militum pulſis opem in tempore attuliſſet. Is enim ad auxilii ſpeciem augendam magno tubarum tympanorumque ſtrepitu legionem concrepare, extenuatoque latere latiſſima diductam fronte eminenti in loco ſiſtere gradum jubet. Thraces ea deterriti ſpecie, ſuſpicatique ingentem ſuperveniſſe militum globum, quibuſcum ſibi feſſis manus conſerendas eſſe, ſuſtinuere curſum. Facta perſequendi mora, qui inordinati fugiebant, converſis equis ad ordines rediere. Simul ſtructa cum reliquis acie, vice ſua Barbaros referentes pedem telis confodiunt. Saltus fugientibus tutum receptum dedit. In eo tumultu re-

Fugatur.

Hallevillus cum altero globo ſuppetias fert, & funditur.

Ipſe vulneratur & moritur.

Carolus Paces rem militari ſagacitate reſtituit.

Turcæ recedunt.

recuperati captivorum aliquot, in his Rabatta adoleſcens, prima capti pugna conſternatique. Lotharingius, quàm citiſſimè poterat, de impedimentorum præſidiique diſcrimine certior factus, Ludovico Badenſium Principi cum ſagittariis equitibus ſuppetias eundi negotium dederat. Verùm, dum ſe in viam comparant, renuntiato: rem ſalvam eſſe, & hoſtes paucis utrinque deſideratis ſe recepiſſe: reſtitere. Viſſegradia in deditionem accepta, explicatoque illic Danubii curſu, Vaccia e regione ſe ſe objiciebat, ſiniſtro hærens brachio fluminis, ubi ad inſulam D. Andreæ nomine celebratam dividitur. Eò confeſtim, injecto ponte, legiones traducuntur. Quod ubi prætori Budæ compertum eſt, ex Germanorum occupandi oppidi ſtudio rationem ducens, quanti ſua intereſſet illud retinere, quindecim' armatorum millia (quot licuit ex omni parte colligere) illuc adduxit. Moenia nec munitionibus nec loci natura ſpem dabant, diu multumque hoſtem remoratura. Quare iter potius obſidendum ſtatuit; & collis admonebat ab urbe remotus haud amplius quingentos paſſus, arduus aſcenſu, difficilis aditu ob oppoſitam non longe paludem, Danubiumque ad lævam interfluentem. Ibi in ſummo clivo caſtra locat, & quinque majores machinas in editiori tumulo ad eminus jaculandum. Lotharingius conſpecta ſuperandæ paludis colliſque difficultate parumper ſubſtitit, ſecum ipſe perpendens, an temerarium foret, exercitum in eas

1684.

Exercitus Vacciam petit.

Turcæ illuc accurrunt.

Ubi ſe locant ad impediendum hoſtibus iter.

1684. eas anguſtias conjicere, unde non facilè expediri poſſet. Sed, cum magnum in bello momentum habeat præoccupata quædam ſtrenuitatis fama; & ſæpe cauta conſilia timiditatis arguantur; militum alacritatam magnanimo incœpto confirmare voluit. In rem incumbens, cohortes lignatum ire, ſingulosque pedites faſcem ſibi parare jubet. Ipſe, explorato loco, in hunc modum iter muniendum conficiendumque ſtatuit. Ad oram paludis majora tormenta in hoſtem intendit, ſi, quod erat maxime pertimeſcendum, ad obſepiendam viam in adverſum limen procederet. Bipartitò exercitum dividit. Dextro agmini Ludovicum Badenſium Principem, lævo Neoburgenſem Ludovicum alterum præficit. Duo paludem itinera perſecabant, nonnumquam anguſto peditibus tramite; nondum alicubi recedentibus hyemalibus aquis, quæ & interdum viam intercipiebant. Sagittarios equites præmittit denſatis ordinibus, &, quantum vada permitterent, explicata fronte hoſtem aggreſſuros, ſi vim pararet; ſi quieſceret, locum ſuccedentibus munituros. Dein loricatos ſubſequi; hos pèditatum, qui ubi ſuperſtaret aqua, faſcibus ſiccaret ſolum, firmaretque machinis ſuſtinendis; paucæ demum turmæ agmen clauderent. Prima luce hoc ordine viæ ſe committunt. Cernunt hoſtem ad ſigna concurrere, inſtruere aciem, arma expedire. Cogitantibus, eos deſcenſuros, prodigii ſimile videbatur, quòd cùm ad pugnam ſe comparaſſent, immobiles ſtarent. Et quidem

Quomodo Lotharingius rem diſponat ad exercitum illuc traducendum.

Quomodo Turcæ ſe ad pugnã comparant.

dem, nemine prohibente, in ſubjectam colli planitiem accelerato greſſu tranſmittunt. Id non Turcarum incuria factum, ſed Budæ prætorem Mehemetem, qui ſummo cum imperio præerat, haud vana inceſſerat cogitatio: ſe, ubi pateret in collis dorſo hoſtium acies, facilè repulſurum eam, minutis jaculis, quæ tum declinari non poſſent, acerrime laceratam. Quod ad paludis marginem non licuiſſet, aperiente ibi ſe agmine anguſta fronte; cæteris, ſi agmen progredi impediretur, ad primam anteſignanorum cædem impune ſe recepturis. Læti proſpero ſucceſſu, eòque ferociores, Germani confeſtim e duplici agmine in unum cocunt, ſe ſeque, peditatu in medium accepto firmatoque alis equitum, in clivum erigunt; citò ſubducturi ſe miſſilibus, quæ ab alto murales machinæ jaculabantur. Plus prope Turcas hoſtium animi tam prompte ſuccedentium, quàm arma terruere; nec ſe loco tenuiſſent, ni Mehemetes cum aliis decem urbium militiæque præfectis, qui omnes ad rem tanti momenti accurrerant, hac illac diſcurrens quà minis quà precibus Gregarios ad pugnam exacuiſſet. Nam quid vobis, vociferabatur, terrorem infert? quid ingenitam virtutem in animis veſtris reſtinguit? Alacritas hoſtium? Hæc enimvero pari alacritate retundenda eſt. Numerus? Hic profectò non vires ſed impedimentum affert anguſtum, ut modò eſt, aſperrimumque locum ſubituris. An Mars communis incertaque dimicandi alea? & iſtud, militiæ rudium eſſet, in

1684.

Oritur pugna, eaque deſcribitur.

Mehemetes Prætor milites ad prælium inflammat.

1684. præſens cogitare. Pugnat pro vobis ingenium loci, quem vix expeditum, nedum inſeſſum machinis militibuſque, viator gravem labore animam reciprocando, ſuperaret. Saxa ſi pro telis hìc fœminæ contorquerent, tutum ab aſcenſu redderent, & tanti non erunt arma, non erunt viri, non erunt milites? Hoſtes, credo, ſuis male Superis litaſſe, cùm hanc ab iis, ut huc venirent, accepere mentem; niſi fortè vindici noſtræ gentis Mehemeti tribuendum ſit, qui tandem eos ſcelerum, vos voti damnare velit. Ite, percutite aciem ferro; nec de victoria timendum eſt, tantùm ut vobis eam certam animo proponatis. Hæc ubi dicta, Budæ prætor juſſit eos inſtructo agmine ad medium clivum decurrere ſtatim, ac illuc aſcendiſſe hoſtem contuerentur; ratus eo curſu motum quoque lætitiamque animorum facilè, ut in re nova, excitatum iri; nec factum ex alto impetum Cæſarianos ſuſtinere poſſe. Hi tardo greſſu progrediebantur; cùm repentè Barbari citato pede in clivum ſe demittunt. Verùm priuſquam ad medium, quò tendebant, pervenirent, obruti telis & multa cæde, ſe tenuere. Incitati ducum ſtimulis paullo poſt rurſus irrumpunt; & rurſus e regione laxatis pyrobaliſtis confodiuntur. Strages morabatur eos; nec ipſi, imperite ſua vibrantes jacula, parem faciebant. Adhuc tamen prætorum, qui primis ordinibus ſe immiſcuerant, conſpectu territi, obſirmatis animis inceptum intendunt iter. At cùm tertia ingruiſſet procella, nec in-

Digitized by Google

intermitteret, (quippe Germani per vices armabant alii ſcorpiones, alii diſcutiebant) victa metu verecundia eſt. Primi equites terga vertunt, mox pedites in ſummum recedunt clivum. Hoſtis intra vallum ingreſſos conſequitur. Ibi cædes potius quàm pugna. Interea pedites, qui longiùs diſtabant, explicata fuga (nam equites effuſo curſu Peſthum contenderant) pars Vacciam repetunt, clauduntque portas; pars per Danubii ripas diſtracti, quàcumque datum fuit, Budam retrogrediuntur. Nox enim & diururnus labor Germanos ab inſequendi ſtudio revocaverat. Caſtra capta ac direpta. Plura militaria ſigna, quina majora tormenta in ipſorum poteſtatem venerunt. Cæſa Turcarum ad duo millia; Cæſarianorum, quod ſane admirationi fuit, vix centum. Poſtridie Vaccia, adducto exercitu, victoribus ceſſit; mille & quingenti pedites in deditionem accepti. Illi, biduo curandis corporibus dato, binis Caſtris Peſthum perveniunt. Oppidum a Turcis deſertum conflagrare vident. Rati, uſui ſibi fore, flammam comprimunt, quæ unum jam diem graſſata vix quidpiam reliquiarum fecerat. Etenim Mehemetes prætor ſtatim ac iſthuc advenerat, deductis majoribus tormentis, igni ædes quàm celeriter tradi juſſerat. Ipſe cum militibus, qui ſecum ex prælio fugerant, Budam, quæ trans flumen e regione ſurgit, tranſgreſſus, pontem rupit. Lotharingius tamdiu ibi commoratus, quoad ripæ, adductis ſecum lintribus, conjugerentur, exercitum primò

1684.

Turcæ terga vertunt.

Quæ in utraque parte cædes.

Vaccia in Germanorum poteſtatē venit.

Turcæ Peſthum incendunt. Flamma a Germanis extinguitur.

1684. mò in D. Andreæ inſulam, quæ in Budæ conſpectu jacet; mox otioſe in dexteram Danubii ripam, cùm nemo ſe opponeret, traduxit. Paullum hinc abeſt tumulus, fluvio, poſtquam in unum confluxit alveum, ſuperbe imminens. Eum haud longo intervallo mitiſſimi circumdant colles. Ab ortu mons D. Gherardo ſacer anguſta valle ab arce dividitur, æquato jugo. Hinc, & ex oppoſita parte aſcenſum præbet; ab Auſtro Boreaque prohibet, abrupta rupe. In ſummitate planitiem habet triangulari forma, lateribus nonnihil in arcum flexis. Occupat illam Hungarici regni caput Buda, circumducto per crepidinem muro, tantùm ut cedat foſſæ locum, ſeptemdecim latæ paſſus, vallorum ſepe circummunitæ. Is priſci operis, mole ſtructuraque firmiſſimus, interno aggere ad machinarum uſum innititur, diſtinctus rotundis propugnaculis, quæ in lateribus exiliora, in angulis ad reliquorum tutelam ſatis ampla. Quà vergit ad occidentem ſolem, ubi faciliori aſcenſu pervius eſt, duplici murorum lorica cingitur; interior ab exteriori brevi ſpatio diſtinguitur; utraque propugnaculis, aggere, foſſa, valliſque tuta. Ex adverſo, ubi tumulus in angulum extenuatur, haud diſſimili munimento arcem habet, exigua utrinque portendentem brachia ad aream penitus complectendam. Tenet eam æquatque propemodum, regia olim, nunc prætoria domus; quæ contra veterum machinas ſua mole firmabat locum, modò impedit. Il-

Lotharingius exercitum Budæ admovet.

Budæ ſitus & munitio.

Illinc murus orbiculatis turribus interſectus ad ripam deſcendit; qui brevi circuitu ad ſuperiora mœnia reflexus, ambit aliquam rupis partem, eo loci non adeo confragroſam; ſimul ſuburbia, ad collis radices poſita, ab ea parte claudit. Hæc tanta ſunt latitudine, ut uſurpent urbium appellationem. Quæ ad fluvii marginem pertingunt, ab aqua nomen obtinent. Quæ ad occaſum ſpectant (nam alibi deſunt) ex humilis natura loci inferior civitas nuncupatur. Utraque concludit murus ab ripa fere in gyrum ductus ad ſuperioris urbis meridianum latus, nullo aggere aut foſſa, quadratis ſolùm per intervalla turribus interjectus. Præerat civibus militiæque prætoria dignitate Mehemetes, ut jam retulimus, Purpuratorum unus; vicariamque gerebat auctoritatem Saytanus; ambo rerum militarium uſu ſpectatiſſimi inter ſuos; quippe arduum munus ingenio, ſtrenuitate fidem æquabant. Machinarum, omniſque bellici apparatus, commeatuum quoque tanta aderat copia, quantam ipſi adeſſe exoptaverant. Præſidium fama fuit, quindecim armatorum millia ſuperaſſe. Nam comparandis, quæ opus erant, non defuerat tempus, non facultas, non cura. Patebat enim, in ea urbe tuenda belli prope ſummam, potentiſſimique Imperii exiſtimationem verti. Præſidiariis Ibraimus ſupremus militiæ dux (Seraſcherium Turcæ vocant) augebat animos, locato in proximis collibus triginta hominum millium exercitu, factoque ferendæ opis promiſſo, cùm poſtu-

Mehemetes Budæ Prætor.

Saytanus proprætore qui qualeſque eſſent.

Quantum in urbe præſidium, quantique apparatus.

Ibraimus Seraſcherius quê exercitum in proximo haberet.

1684. laſſent. Quæ dum ad Budæ propugnationem parata forent, Lotharingius caſtra movit. Progredienti ab ſpeculatoribus renuntiatur, Ibraimum adventare citato agmine, & mox affuturum. Hic enim haud imperite, ut aliqui exiſtimabant, occaſionem dimiſerat Germanos ab Danubii tranſitu prohibendi; ſed opinatus (ut uno aliquo ſe opponeret loco) Viſſegradiam, quæ in proximo erat, haudquaquam vetari poſſe; maluerat propius urbem ſe continere, certiorem hoſtibus ex locorum notitia & collium anfractibus perniciem illaturus. Ibat in duas partes, unam prope alteri continentem, diviſo exercitu, mixtis equitum peditumque legionibus, prout inæquales colles aditum aperiebant. Quo viſo, duplicem & Lotharingius aciem conſtituit; alteram præbet Æneæ Capraræ legato, quem ex ſuperiori Hungaria, Schultio in ejus locum ſuffecto, ad ſe revocaverat; ſumit ſibi alteram dirigendam. In editiori tumulo machinas cum impedimentis, quaſi expeditus pugnare vellet, ſed in hoſtem directas, relinquit. Prima Capraræ acies, quæ compoſitò longiùs proceſſerat, ad manus venit, ingruentibus in eam Barbaris ingenti æque ſtrepitu ac vi. Ipſa, velut impetu non ſuſtineret, ſenſim cedebat, & Turcæ ſequebantur, incurioſe bombardarum jaculis ſe ſubjicientes. Quę, ubi tempus fuit, atrociter jaculatæ ſtragem ediderunt. Hinc primò nutare hoſtium ſigna, mox acies turbari viſa. Germani ſucceſſu alacres, laxatis illico manualibus tormentis cædem cumulantes, gladiis

Cur Ibraimus tranſgredièntibus, Danubium Germanis non ſe oppoſuerit.

Exercitū adverſus Cæſarianos ducit.

Lotharingius exadverſum movet & quo ordine. Ipſe dextrū cornu, Caprara ſiniſtrum ducit.

Capraræ acies prælium init.

Simulat cedere.

Turcæ inſequunti ſe ſe machinarū ictibus ſubjiciunt magna ſuorum cæde.

diis deinde eductis vice ſua impetum faciunt. Thraces ea tempeſtate abrepti diſſipabantur. Verùm Ibraimus cum ſiniſtro agmine accurrens, ordines reſtituit; & dubiam feciſſet pugnam, niſi catapultæ, ingenti laceratione frequentiſſima vibrantes jacula, eos loco nimis infeſto excedere coegiſſent. Inſtructi recedebant, quum veriti Lotharingii aciem, quæ a latere propinquabat, vix non fugam capeſſunt. Fanum erat in edito colle haud longe ſitum, & circa ipſum murus ad tutandam loci religionem. Ibi pedites majora tormenta, quæ ſecum, referentes pedem, adduxerant, conſtituunt; & equites templo ſe circumfundunt. Magnis utrinque animis quamquam inclinato jam die inſtauratur prælium, quod incerta victoria nox diremit. Turcæ tamen ſilentio noctis continuato itinere cedentes loco, longiùs ſe ſubduxerunt, cùm octingentos milites amiſiſſent, Germani dimidiam partem. Ubi illuxit, & hoſtem diſceſſiſſe Lotharingius cognovit; haudquaquam in rem eſſe arbitratus, iis perſequendis tempus terere, Budam rectà iter aggreditur; & cùm parum abeſſet, eodem, quo moverat die (is fuit poſtridie Idus Quintiles) in ejus conſpectu caſtra poſuit. Legionibus circùm ipſam diſpoſitis, aliquot in gyrum caſtella excitari juſſit, quæ foſſa & aggere inter ſe conjuncta arcerent ab moenibus nova ſubſidia, atque adversùs externos hoſtes caſtra munirent. Aggere demum vallari urbem, nec mora vineas admo-

1684.

Inclinant.

Ibraimus eos impugnare reſtituit. Sed iterum cedũt ac ſe muniunt.

Inſtauratũ prælium nox diremit.

Turcæ nocte recedunt.

Quanta utrinque cædes.

Lotharingius Budã obſidione cingit.

mo-

1684. moveri. His cœteriſque operibus, moderandæque oppugnationi Erneſtum Rogerium Starembergium legatum præfecit, qui ſuperiori anno Viennam defenderat. Non enim aliter vulgi opinioni ſatisfieri poterat, portendentis æque illum tuendarum expugnandarumque arcium potentem ac peritum eſſe. Ducitur ad utrumque angulum inferioris oppidi vallum, & mœnium lorica majoribus tormentis die ac nocte verberabatur, quæ non ſatis mole & compage firma haud difficulter ruinam dedit. Sed ut ipſa facilè decuſſa, ita inexpugnabiles erant oppidanorum animi, qui & vallis armare disjecta murorum & quotidie magno numero, majori audacia erumpentes e munitionibus, deturbare ab operibus hoſtem, nec ſinere ſtare loco. Hujus tamen obſtinatione procedebat agger. Interea Ibraimus infeſtam facturus Germanis oppugnationem, & ſi res tuliſſet, ſoluturus, ſuas iterum legiones propius hoſtem admovit. Quo per exploratores comperto, Lotharingius omni fere equitatu ac mille peditibus ſecum eductis obviam proceſſit. Parum progreſſus, Turcas in conſpectu habuit, qui ſtatim ad arma conclamantes, ſub ipſis caſtris aciem inſtruxere, non pugnandi ſtudio, ſed in ſe ſe avertendi Cæſarianorum animos, quoad ſubmiſſa clam militum manus objectum arci obſidionalem aggerem, ac ſimul Budenſes (quod condictum fuerat) vineas, ex oppoſito ad inferiorem vrbem adductas, convellendas aggrederentur. In id Ibraimus per occulta vallium mi-

Erneſtus Starẽbergius moderãdæ oppugnationis curã accipit.

Oppugnatio deſcribitur.

Ibraimus iterum exercitum admovet.

Lotharingius extra vallum ei obviam procedit.

1684.

Dŭ acies exadverſo ſtāt Ibraimus ſubmittit aliquas legiones quo ſuperato vallo urbem ingrediatur.

miſerat duo millia equitum; qui non ante, quàm ad montis D. Gherardo ſacri fauces perveniſſent, nudato agmine; repentino incurſu adorti Germanos, cuncta metu & tumultu implerunt. Acriùs tamen ex adverſa parte res agebatur. Nam præſidiarii e portis effuſi non ſtationarios modò cęde ac vulneribus affectos in fugam conſternaverant; ſed duobus, quæ in primo medioque aggere erant, munitionibus occupatis, interiorem alteram pertentabant. In tanto rerum diſcrimine Starembergius, facto quotquot potuit armatorum globo, illam ingreſſus, haſtis pyroſcorpionibuſque Turcas detrudere, ipſorumque plures jam in altum progreſſos, præcipites dare. Deinde ubi primùm fractus eorum impetus, datumque a periculo ſpatium, ille paucis milites cohortatus, ut Viennæ, egregia ſecum virtute propugnatæ, meminiſſent; e caſtello egreſſus, hoſtem ſtrage multiſque plagis debilitatum intra mœnia conjecit. Ex alia quoque parte poſt longam dimicationem equites a vallo depulſi in caſtra ad Ibraimum rediere. Stetit Germanis ea pugna trecentis militibus, vicenis minorum ducum; multum quoque aggeris ſolo æquatum, corruptæque munitiones. Turcæ minori clade præliati ſunt. Lotharingius poſtquam a ſuis proſpero ſucceſſu hoſtem a vallo propulſatum cognovit, ea non amplius ſuſpenſus cura, quæ inter ferendam opem conſerendaſque cum Ibraimi exercitu manus medium tenuerat, hunc poſtridie (nam tum

Simul oppidani erumpunt.

Et ipſi, & qui auxiliatŭ advenerant, repellŭtur.

1684. nox propinquabat) aggredi ſtatuit. Verùm Turcę haudquaquam e re ſua rati eſſe, univerſi certaminis aleam jacere, prima vigilia taciti longius ſe receperunt. Germani intra vallum regreſſi, præſidiariis ſolicitatis, ut, cum nihil armis potuiſſent, honeſtis conditionibus ab occidione ſe redimerent, extremaque expectare ac pati nollent; accepto feroci reſponſo vim parant. Jam Catapultæ duplici in loco dejecerant lato aditu muros inferioris urbis non arduo aſcenſu, quippe aggere deſtitutos. Igitur quadrato agmine illuc irrumpunt. Turcæ quadrato pariter agmine obnituntur; commiſſaque campeſtri ſimilis dimicatio. Nam ex æquo pugnabant; & moenia majoribus propugnaculis tormentiſque nudata nullam irruentibus objiciebant moram. Vtrique immobiles inferebant accipiebantque cladem; nec qui loco conceſſuri forent, apparebat. Quum invicta ducentorum, qui uno gloriæ ſtipendio merebant, adoleſcentium cohors ad dexterum pugnæ latus ante alios progreſſa palam fecit, corporum robur animi viribus par non eſſe. Etenim ſic obfirmati prætentiſque gladiis per lapidum ſtragem continuavere iter, ut Barbari vi & audacia moti dederint locum, agmen ſuccedentibus aperuerint. Tunc undique Germani ſublato clamore, exprobranteſque ſibi moram, præcipiti incurſu fluctuantem hoſtem ſecum abripiunt. Ille vacillante gradu retruſus, incertuſque unde ſibi conſuleret, præbebat jugulum. Plures vicinas domos ingreſſi,

Ibraimus cum exercitu longius recedit pugnam detrectans.

Germani inferiorem urbē aggrediuntur, eaque potiuntur.

ſi, ignem, ſaxa, tela e tectis feneſtriſque proji- 1684.
cientes, impediebant hoſtes, ne in penitiora oppidi penetrarent. Quocirca conſilium e re nata a Germanis captum incenſis ædibus eos depellendi. Flamma citò ſerpens, (nam lignea ibi plerumque ædificia ſunt,) paucis abſumptis reliquos in apertum traxit. Hi cùm per contiguam Danubio urbem in arcem ſe reducerent, a ſuis excluſi, veritis hoſtem, qui veſtigiis hærebat, ſimul admiſſum iri, cervices aut manus dederunt. Turcarum eo die ceciderunt ad duo millia quingenti; Cæſarianorum plus mille; major utrinque vulneratorum numerus; ſuburbia in poteſtatem redacta. Nec ex aduerſa Budæ parte Germanis vacua præmio victoria fuit, deſerentibus oppidanis caſtellum in D. Gherardi tumulo, vixdum illuc adduci ſigna conſpexerant. Læti Germani quòd bene cęptis ſuccederet, hinc ad arcem, illinc ad oppidi latus in occaſum vergens per tortuoſos calles vineas extemplo agere incipiunt; conſtitutæque murales machinæ ad evertenda tria majora propugnacula in angulis ſita; quibus dejectis, ſatis conſtabat parum in reliquis, utpote exiguæ molis, præſidii eſſe. At quamquam inibi declive collis, ut retulimus, terrenum eſſet, aperique facile; vallum tamen ægre protendebatur, crebris eruptionibus impeditum. Augebat enim oppidanorum ferociam Ibraimi exercitus, quem ab urbis conſpectu non diſcedentem, ſuppetias, cum tempus foret, venturum non dubitabant. Interim ille tuto lo-

Præſidium, quod ibi erat capitur aut trucidatur.

Ducendi aggeris difficultas.

1684. co ſtativis habitis haud parum cis Danubium Germanos pabulatione prohibebat, coegeratque injecto ad D. Margheritæ inſulam ponte, trans fluvium incommodo & longo circuitu victum jumentis quærere. Lotharingius expediendæ pabulationi, & quia, ſublata auxilii ſpe, Budenſes illico ſe dedituros arbitrabatur, omnem prope, ut antea, equitatum, unamque peditum legionem rurſus in hoſtem ducit; omni ſtudio, ut prælio confligeret, provocaturus. Cum his copiis duo millia paſſuum profectus, in aperta latiſſimi collis planitie eum inſtructo agmine occurrentem vidit. Nam Ibraimo Viſiriorum princeps, ejus exercitu aliquot Janizerorum cohortibus ſuppleto, mandaverat, ut procul mora urbi, cui tot jam dies oppugnatæ vehementer timebat, opitulatum iret. Quare ubi Lotharingium contra ſe moviſſe, & cum parte copiarum æquo loco, non ad valli munitiones cum univerſo exercitu, decertandum ſibi eſſe cognovit; ferox oblata occaſione certaque victoriæ ſpe, quippe qui numero ſuperaret, adversùs illum maturabat iter. Sexdecim erant equitum millia, peditum quatuor. Hos in medium accepit, illos in cornua diduxit. Rem quoque novam ad incutiendum terrorem excogitavit. Bis centum Camelos longo ordine digerit ante ſigna, qui ab agaſonibus, ſariſſa, qua ex alto ferire poſſent, armatis regebantur; & addebant ſpeciem verſicolores lemniſci haſtis præfixi; ratus hac illuſione & inſolito bruti aſpectu

Germanorum incommodo, & unde.

Lotharingius tertio milites in Ibraimi exercitû e vallo educit.

Ei Ibraimus obviam procedit.

Quam rem ad incutiendum terrorem excogitaverit.

pectu tetroque odore equos Cæſarianorum facilè conſternatum iri. Quod ubi Lotharingio patuit, ſiſtit agmen. Deinde & ipſe peditibus in medio locatis alas Germanorum equitum circumducit. In prima acie ſagittarios, quia longiùs jaculantur; in ſubſidiis Lubomiſchios equites, quingentoſque Hungaros ſtatuit; juſſis omnibus, hoſtium impetum telis tantùm retundere, nec antea irruere quàm accepto ſigno. Camelis tardo greſſu adventantibus ſagittarios admovit, qui eminus certoque ictu inſeſſorem belluaſque transfigerent; ſimul periculum facerent, an equus ad inſuetam ſpeciem præſtigiaſque illas tumultuaretur. Hi, poſtquam intra miſſilium jactum perventum eſt, laxatis pyrobaliſtis dromadas rectoreſque eorum tanta procella inceſſere, ut pars ſtrati ſolo, pars vulneribus in fugam conjecti terrorem in Turcas verterint; quamquam iſti data, quà Cameli fugerent, via facilè agmen reſtituerunt. Nec facta mora permittunt equos. Stabant denſatis ordinibus Germani, excipiebantque telis hoſtem ferociter obverſantem. Ille circum equitans, ſumpto ſpatio rurſus præcipiti curſu aciem impegit, ſi fortè diſtraheretur. At immobilis contorquens jacula, ipſorum vim ludificabatur. Turcarum enim ſi primos incurſus fregeris, certa victoria eſt. Tertiò ad pugnam per ſuorum ſtragem rediere, equis tamen tardius laſſitudine pedes glomerantibus. Tunc Lotharingio vice ſua invadendi tempus viſum eſt. Dato ſigno ab utroque cornu equi-

1684.

Sed facilè eluditur.

Prælium committitur, atque enarratur.

1684. tes immiſſi adverſas turmas ineluctabili vi adoriuntur. Nam nec feſſi recentium equorum ferociam, nec Thrax Germanum equitem, frequentius certiuſque manualibus tormentis jaculantem, ſuſtinere poterat. Verumtamen pedites victoriam retardabant; qui, cùm tantò eſſent plures, Cæſarianos circumvenerant; non ſine ingenti periculo, hos tandem oppreſſum iri, ſi equites, longiùs urgentes hoſtem, ab ipſorum conſpectu diſceſſiſſent. Dum ita in ancipiti prælium eſt, Lotharingius Hungaros Sarmataſque e ſubſidiis advocat, jubetque, datis frænis impetum a latere in equeſtre Turcarum agmen facere. Res proſpero ſucceſſu evenit. Jam enim iſtud a fronte motum nec ſervans ordines, nunc e tranſverſo telis primùm, mox gladiis percuſſum, cùm nulla eſſet a procella quies, fugam arripuit. Levis armatura & pars loricatorum, fugientes perſequuta cladem auxit. Loricati, haud plus mille paſſus progreſſi, ad peditum pugnam rediere, quid illic ageretur, ſoliciti. Ea ingenti ſtrenuitate pugnata fuerat. Quippe Janizeros a tergo a latere turbo equeſter circumvenerat. Igitur quaquaverſum intercluſi, cùm mortem aut ſervitutem ſubeundam ſibi eſſe conſpicarentur, magno pretio vitam profundere, inter ſe conſtituto, obverſa per gyrum fronte atrociter dimicaverant. Nondum cum iis penitus debellatum fuerat; cùm altera equitum pars, ab inſequendo regreſſa, conficiendis reliquiis ſupervenit. Pauci Janizerorum per tumultum deviis cal-

Turcarum equitatus in fugam conjicitur.

Peditatus egregie dimicat.

Sed tandem pellitur.

callibus elapſi ſunt; equitum plus mille interfe-ꝍ 1684.
cti. Reliqui Murſam magnis itineribus cum Ibraimo ſe retulere. Cæſariani quingentos deſideraverunt. Caſtra capta ac direpta; octo murales machinæ in poteſtatem redactæ. Præda omnis opulentiſſima, in eaque ſex jumentorum millia, militi data. Miſſa Cæſari, inſignis victoriæ documentum, Ibraimi tabernaculum, amplitudine ornamentiſque magnificum ac ſumptuoſum; conſularis quoque exercitus ſignum, equinæ tres caudæ. Hæc ubi geſta, Lotharingius in vallum rediit. Duos captivorum ad Budæ prætorem jubet, quid actum foret, renunciatum ire. Adderent: ſe de conditionibus auditurum, ſi ſtatim oppido abire velint; renuentibus, ope jam penitus deſperata, nullum fore amplius clementiæ locum. Reſponſum: Prætorem majoreſque duces inter ſe conjuraſſe, non priuſquam vitam, oppidum deſerturos. Id ſuam in Regem fidem, id anteactæ vitæ militare decus, quod tot laboribus partum nulla unquam ignaviæ nota obſcurari ſinent, a ſe poſtulare. Præterea nihil non ſibi ad tutandum locum ſuppetere, copias, arma, commeatus; quæ ſi deficerent, veterano militi arte ac ſtrenuitate ſupplenda forent; modò cum affluant, quid non ſibi ſperandum, non hoſtibus metuendum eſſe? Ipſi potius temerario oppugnandæ fortiſſimæ urbis incepto deſiſtant, ac meminerint: plaudente fortuna facilè in rerum maximarum ſpem animos erigi; æque tamen, vix-

dum

Turcæ Murſam redeunt.

Oppidani ad deditionem invitantur, ſed fruſtra.

1684. dum obſtat ſolida & vera virtus, ingenti ruina ſpe cadere. Hinc ad belli opus audacter diſceſſum.

Oppugnatio urgetur.

Tria confeſtim in angulis propugnacula verberari cępta; ſed cùm partim rotunditate, partim muri compage ictus eluderent, Germani ad promovendum aggerem adnitebantur; quo tecti in foſſam evaderent, atque illinc injecto nitrato pulvere murum ſubverterent. Quamquam enim ab ipſa collis radice cuniculos inducere conarentur; ingentium ſaxorum occurſu, foſſorumque imperitia, qua tunc maxima Germani laborarunt, raro e ſententia res ſuccedebat.

Sed infelici conatu.

Id oppidanis augebat animos, tantaque acceſſerat audacia, ut quotidie erumpentes nunquam intra męnia redirent, niſi quidpiam obſidionalis aggeris deletum foret. Multa quoque Germani cæde afficiebantur non tam hoſtium incurſu, quàm quòd vineæ incaute ductæ nonnunquam miſſilibus ſe ſe aperiebant; & Turcæ, quamquam jaculandi haud leviter inexperti, adhibitis Gallis Belgiſque libratoribus, quos ingenti pecunia conduxerant, hoc etiam armorum genere valebant plurimùm. Vicit tamen Cæſarianorum pertinacia, ſummiſque demum laboribus trigeſimo die in foſſam deſcendentes, mœnia, quà ſolem occidentem reſpiciunt, ſubiere.

Germani tandem in foſſam ab una parte deſcendunt.

Illic biduum, crebris quamquam eruptionibus tentati, ſe tenuere. Quo tempore cavata humo ſubtus proprioris Danubio anguli munitionem inductus nitratus pulvis exarſit, abſtulitque ſecum viginti paſ-

ſuum

ſuum loricam. Magnum hinc urbi diſcrimen aderat. Quare Mehemeti prætori dignum ſe facinus viſum, illinc hoſtes dejicere. Mille delecti Janizeri ex omni numero, bifariamque diviſi, a dextra lævaque e portis ſe ſe effudere. Ipſe ductor unius agminis, alterius ſupremus prætorianorum præfectus. Germani ut in ſuſpecto loco frequentes excubabant; quocirca pares viribus prælium ingreſſi conſerebant manus. Nullus ibi telorum uſus erat, Turcis illico tumultuaria exiliaque opera tranſgreſſi, collatoque pede; ſtrictis gladiis hoſtis hoſtem retundebat, & quaſi corporibus adnitebantur. Promiſcua mors, promiſcuuſque gemitus efferaverat pugnam, & quiſque vindictæ non vitæ avidus. Diu res in ancipiti manſerat; & Barbari ipſa difficultate fracti jam animos remittebant. Quod ubi Mehemetes animadvertit, elata voce: Budæ, inquit, fortuna & Turcici decus nominis hoc uno prælio agitur, Commilitones. Id cogitantibus mors aut victoria nobis quærenda eſt. Accipio verborum omen. Mortem inferamus hoſtibus; ſtabit a nobis victoria. Agite dum mecum, & qua conſueſtis virtute, ſequimini Imperatorem veſtrum. Dixit, in mediumque ſe projiciens Germanorum agmen, digladiabatur. Turcæ partim prætori ſuo metuentes (charus enim jucunduſque militibus erat) partim pudore capti, cæco impetu irruerunt. Hæc procella turbavit primùm, mox inclinavit Germanorum aciem; & diſſipaſſet, ni duces a tergo inſiſtentes du-

1684.

Strenua oppidanorū eruptio, atque atrox præliū.

Mehemetes Prætor ſuos ad pugnā incendit.

Germani impelluntur.

1684. dubiam, intentis gladiis feciſſent trepidantium vitam. Reintegrantes pugnam nova atrociorque tempeſtas inceſſit. Thraces e mœnibus ingentem majorum, manualiumque pyrogloborum vim in eos demittunt; quo telo, dum rupta compage vulnera & ſtragem facit, vehementer concuſſos nulla vox, nullum amplius imperium Germanos retinere potuit, quin in pedes illico ſe conjicerent. Hos Barbari ad collis radices inſequuti cladem cumularunt, operibus eò uſque dejectis; & longius penetraſſent, niſi cum ſtrenua recentium militum manu in tempore occurſum foret. Magnus ex eo conflictu metus Cæſarianis acceſſit, Turcis alacritas. Minuit tamen iſtorum gaudium Mehemetis mors; qui dum ferociter dimicat, adverſam faciem graviter ictus, duos poſt dies occubuit. Luctus inde oppidanis, non damnum fuit, Seytano imperium adepto, cui par Mehemeti bellica virtus; ſedulitas, ſeu indole ſeu præſenti occaſione, fortè major. Nullum enim decedere diem tulit, quo non ſemel, ac bis quandoque præſidiarios in hoſtem immitteret vario ſucceſſu, ſæpius tamen infauſto Cæſarianis, ignaviter ad primum Turcarum incurſum terga vertentibus. Et his anguſtæ ad aggerem munitiones, quæ non tantum militum continere poſſent, quantum ad arcendos hoſtes ſatis foret, minuebant animos. Quocirca Sextili nondum exacto jam ferrum abſumpſerat Germani exercitus peditum novem millia, equitum quinque. Stragem deinde auxere mor-

Magna ſuorum clade.

In ea pugna Prætor occiditur.

Seytanus ei ſuccedit.

Qui Germanos nunquã ſinit quieſcere, ac plerumque damno cumulat.

Obſidionalis aggeris vitia.

Ingruentes morbi Germanos labefactant.

morbi, æſtu primùm contracti, mox ineunte autumno magnis imbribus. Et annona defecerat, non minus præfectorum incuria, quam ærarii difficultate; graviremque reddebant eam Agriæ Caniſiæque præſidia, viam cis tranſque Danubium convehendis terra commeatibus intercipientia. Ad reliquas ærumnas accedebat Lotharingius, febris vi a belli curis diſtractus; unde in militarem diſciplinam, qua una Mars viget, licentia irrepſerat, præcipue inter duces, qui non obſcure abnuebant, Starembergio oppugnationis moderatori, æmulatione aut meritis, morem gerere. Alea quoque conviviaque, ingenti pecunia perpetuò celebrata, a bellico ſtudio auferebant ipſorum animos; militum, fame atque inopia laborantium, non ſine liberis querelis dejiciebant. De ſolvenda igitur obſidione agitari cęptum. Sed cùm in mentem veniret externus hoſtis pulſus fugatuſque, præſidium (quod & transfugę renuntiabant) tot cladibus imminutum, anguſta huic pariter res frumentaria, ſublataque auxilii ſpes; nemo liberandæ urbis author fieri audebat. Quin aliqui ſtrenuitatis in ſpeciem audaciora ferre conſilia: Quod arduum erat, dicere, militum virtute jam ſuperatum, deletas ſcilicet auxiliares copias; reliquum eſſe, mœnia tranſilire, exiguis propugnaculis & modico nunc præſidio parum tuta. Quæ qui neget ab ea parte penetrari poſſe, qua per ruinas patet aditus; negabit ſimul paucis multos potiores eſſe. Nam, utcumque noſtrorum mili-

1684.

Inſuper annonæ anguſtia; hujus quæ cauſa.

Lotharingius in febrim incidit.

Militaris licentia, quæ in Germanos irrepſerat damna.

De ſolvenda obſidione deliberatur.

Quæ utrinque rationes afferantur.

rioribus etiam conditionibus acceptæ fuerant, ne illuc a Turcico bello vires abſtraherentur. Parum proinde Cæſari de retinenda Budæ obſidione deliberandum fuit. Quies enim ad Rhenum parta proſequendæ admonebat; cùm præſertim Maximilianus Octovir, Bojoariæ Dux, gloriæ demerendique Cæſaris appetens, octo ſuorum militum millia eò ſe adducturum fidem dediſſet. Hæc ſubſidia cum aliquot Cæſarianis legionibus ineunte Septembri exercitum ſupplevere. Siquidem Leslæo legato, qui ad inferioris Pannoniæ fines commorabatur; & nuper Brebim, munitum prope dextram Dravi ripam in Sclavonia oppidum, armis ſubegerat; ut Budam cum quotquot ſecum haberet copiis iret, mandatum fuerat. Quod conſilium (ut omnia quando adverſis impellimur,) male ceſſit. Nam frequentes apud ipſum, huic genti gratiſſimum, Croati convenerant; junctique paucis Germanorum cohortibus juſti exercitus ſpeciem exhibebant, poteranteque nunc levioribus præliis, nunc oppugnationem vicinis oppidis minitando, Ibraimum retinere ne iterum carperet ad Budam iter, quod cogitabat. Huic Viſirius in ſupplementum miſerat octo Scytharum, duo Janizerorum millia, quibus inſtructum adversùs Polonos exercitum extenuaverat, certior redditus, ſerò illos & cum nihil ab ipſis amplius metuendum eſſet, moturos. Igitur Leslæum Croati vixdum ab Dravo profectum deſeruere. Quippe gens ſtrenua quidem, ſed impatiens

1684.

Qui, jam conſtitutis cum Galliæ Rege induciis, Budæ oppugnationem proſequēdam ſtatuit.

Bojoarius cum octo armatorum millibus Budam pergit.

Leslæus quoque cum aliquot Cæſarianis Legionibus.

Sed infauſto conſilio, & quare.

1684.

tiens diſciplinæ militaris, & prædæ non gloriæ avida, oppugnanda Buda nihil ſibi ex hujuſmodi

Ibraimus exercitum Budam reducit.

ingenio affore arbitrabatur. Illuc proinde omni ſolutus hoſtium cura Ibraimus percommodum pacatumque iter habuit. Ubi in proximis collium, quà

Ejus adventu Budenſes edunt lætitiæ ſigna.

in urbem patet aſpectus, poſuit caſtra, oppidani clamore & plauſu ejus adventus dedere ſignum. Germani quid hoc rei eſſet mirati; nam primos tantùm Barbarorum ordines conſpiciebant, quorum parvam aliquam manum prædatum ſpeculatumve progreſſam exiſtimabant; nondum enim ſuppleti Ibraimi exerci-

Inde Germani, quid iſtud rei eſſet certiores facti.

tus quidpiam ad eos pervenerat; miſſis exploratoribus audierunt, illic Turcas majoribus quàm antea copiis (millia quinque & viginti ſub ſignis erant) caſtra metatos. Opportune paullo ante advenerant cum Octoviro ſuo Bojoarii Cæſarianique, quos antea diximus. Viſum proinde, ſatis adeſſe militum ad obſidionalia opera retinenda, ſimul ad externum hoſtem prælio laceſſendum. Re conſtituta Lotharin-

Lotharingius cũ valida manu quartò Turcis obviã e vallo procedit.

gius, qui tum fortè convaluerat, ſecum educto quindecim millium agmine ſigna conferre ſtatuit. Nam præterquamquod non alia erat difficultatis expediendæ ratio, fidebat equeſtribus copiis, quamquam paucioribus, adversùs fugaciſſimas Scytharum turmas. Paullum Ibraimus proceſſerat, perituſque loci occupaverat tumulum ab ea parte confragoſum, qua non ita multò longe arcem ſpecta-

Utrinque inſtruitur acies.

bat. Adventantibus Germanis aciem inſtruit; ac veluti ad pugnam ſe compararet, ipſorum in ſe

ocu-

Digitized by Google

oculos menteſque avertit. Dum uterque exercitus levi armatura proludebat; duo equitum millia, quos in interiori valle continuerat, ponè D. Gherardi montem ſubire Danubii ripam, atque illinc in urbem penetrare, jubet. Per infrequentes ſtationes primum transgreſſi vallum, effuſo curſu accelerabant iter; cùm ex vicinis munitionibus Cæſariani agmine facto a tergo a latere eos invadunt. Nihilo tamen ſecius plus mille, qui viam præceperant lætis clamoribus ab oppidanis recepti ſunt. Reliqui paucis deſideratis, quà venerant, ſe retulere. Ibraimus ſucceſſu alacer, cùm cęterùm ſe in pugnæ aleam dare nollet, militibus in caſtra receptui canit. Illinc per inſequentes dies infeſtis procurſationibus pabulatores lignatoreſque, quin & commeatuum tranſvectiones adortus, hoſtem crebris incommodis divexabat. Interea Cæſariani muros iterum ſubire aggreſſi, datoque Bojoariis ſuperandæ arcis negotio, ipſi ex adverſo latere moliebantur. Magnis utrique animis inſiſtebant operi; & vires nonnihil Germanis inſtauraverat laxata paullum annona, frumento per id tempus tranſvecto ab Croatia, eique finitima Hungariæ parte, protecta Haislero duce cum valido præſidio ab Turcarum incurſionibus vehiculatione. Et cuniculis aperiebatur humus ſubtus tria in angulis majora propugnacula. Etenim conſilium erat, caveas ibi fodere ea magnitudine, ut non minus caperent ſulphurati pulveris, quàm qui ad ipſum prope oppidum ſubvertendum ſatis foret

1684.

Clam Turcæ auxiliatum pergunt & quomodo.

Partim a Cæſarianis repelluntur, partim in urbem penetrant.

Ibraimus in caſtra redit, unde frequentes procurſationes.

Oppugnationem urgent Cæſariani. Turcæ ſtrenue ſe defendunt.

Digitized by Google

1684. ret. Verùm, caſu an imperitia, collis indoles reſiſtebat operi, objecto modò ſilice, modò ſalientibus aquis; ut parum inde ad rei ſummam profectum fuerit. Aliò tamen inducti cuniculi, ex iiſque erumpens ignitus pulvis quidpiam demum ruinarum fecit. Sed non in eo deditionis occupandæve urbis ſpes maxime verſabatur. Perdomanda erat oppidanorum ferocia, qui continuò prodeuntes, opera & ſtationarios milites proſternebant. Tentatum an, cùm armis parum e ſententia ſuccederet, id conſilio obtineri poſſet. Nam ut ut Germanorum quotidie plures obtruncarentur, hoc non impunè præſidiariis contingebat; & iſtos recentibus copiis ſuppletum iri, exigua manebat ſpes, diligentiùs cuſtodito obſidionali aggere. Illis identidem nova auxilia undecunque collecta, Hungarorum præſertim cohortes ſubmittebantur. Igitur Octovir ad Saytanum miſit, qui adductas nuper ab ſe legiones oſtentaret, prædicaretque funeſtam civium præſidiique occidionem, niſi vim deditione anteverteret. Admoneret quoque: ſatis milites virtuti ſuæ, ſatis gloriæ fideique adhuc feciſſe; & Saytano, cæteros ut imperio ſic ſtrenuitate ſolertiaque antegreſſo, cùm nihil addere ad ſplendidam famam poſſet, videndum, ne ſe, milites, innocuos cives devovendo, nominis decus crudelitatis opinione, bellicæ fructum laudis morte perderet. Prætor comiter acceptum auditumque legatum Imperatori ſuo renunciare juſſit: ſe nec ſpernere ejus monita, nec modò

Budenſes iterum ad deditionem ſolicitantur.

Sed Fruſtra, & quod ab Prætore redditum reſponſum.

fa-

facere. Tametſi Turcæ non ament literas, ac ſolùm armorum ſtudiis excolantur; ſcire tamen, æque ignaviam ac temeritatem militari homini vitio verti. Cùm ab utralibet vereatur, amice familiariterque ab eo petere, utra ille obſoleſceret, qui hac, quæ modò eſt, urbis conditione ipſam hoſtibus in poteſtatem traderet. Ne verò incomperta re judicium faceret, velle, ut ab ipſo legato ſuo, quæ præſens viderit, commonefieret. Itaque datis cuſtodibus illum per forum, ſtationeſque circumduci jubet; horrea, bellique apparatus circumſpectare. Dimiſſo, rènuntiataque legatione, magnam Germanis injecit curam non tam apparata res militaris & frumentaria, quàm prætoris animus, cui non fruſtra tantam ineſſe fiduciam ſuſpicabantur. Et ſane id, quod mente præceperant, re didicere. Nam inſtantibus oppidanis agger vixdum promotus dejiciebatur; nec ſtationariis tutus in propinquas munitiones receptus erat. In hoc rerum ſtatu Lotharingius, quem iterum ab re militari febris abſtraxerat, Octoviro mandavit, ut de reducendo exercitu cogitaret. Is fervens floridis annis gloriæque cupiditate, dictum averſabatur. Sed nimiùm proſperis eventis creverat Budenſibus ſui fiducia, hoſtium contemptus; & jam per ludibrium majora opera adoriebantur, vix tuentibus ea Germanis. Id vulgò dabatur non labentibus metu animis, ſed munitionum vitio; culpaque in Starembergium conferebatur; incertum meritò an prona 1684.

1684.

Starembergius indignatus jactas in ſe querelas ab obſidione diſcedit.

ad accuſandum æmulatione. Quod ille ægre ferens, queſtuſque hominum malignitatem, obliteratamque ſervatæ Viennæ memoriam, cum Vidone fratre, accepto commeatu, rumori & invidiæ ceſſit. Hæc negotium Cæſari faceſſebant, anxio, quò belli fortuna in tanta rerum perturbatione inclinatura eſſet. Quare auctoritate ſua, ne illa in Turcas

Cæſar ad exercitum mittit Ermannum Badenſem, ut afflictis rebus conſulat.

penderet, providendum ratus, ad exercitum miſit Ermannum e regnatrice Badenſium Principum Domo, bellicis negotiis præfectum; qui, ex ipſo magiſtratu cenſor caſtrenſium morum, metu aut ſpe reſtitueret militum animos, ducum diſciplinam. Simul habito cum Octoviro, Lotharingioque conſilio, ex eorum ſententia, quid e præſenti re foret, pronuntiaret. Statim ut in caſtra pervenit, omnium primum (quod erat ſui muneris) promulgavit, in utraque Pannonia exercitum, quò locorum fertilitas invita-

Abalienati Hungarorum, qui circa Budam erant, animi, & quare.

ret, hybernaturum; ſic arbitratus, illum quicquid reliquum circa Budam laboris ferendum eſſet, æquiori laturum animo, quòd quies commodaque hyematio in proximo habenda foret. Verùm id feſſis rebus non levamentum, ſed perniciem attulit.

Ab obſidione diſcedunt.

Nam Hungari, quorum ingentes in diem globi in ſupplementum venerant, & nunc debilitatis Germanorum legionibus ad omnia oppugnationis munera adhibebantur, indignati hanc ſibi ſocialis fidei mercedem reddi, clam ſine commeatu abiere; Turcæ transfugarum monitu quotidie edocti, quibus hoſtes difficultatibus obruerentur, ſuarum

im-

immemores,aut patientes invicto robore & nihil ſibi parcentes,continuis eruptionibus hoſtem fatigabant. Parum igitur, quid in rem foret, Germanis deliberandum fuit; nec amplius Turcarum deſertores, urbem prope interitum eſſe affirmantes, audiebantur. Aderat hyems, ingraveſcebat annona, nec erat unde vitam jumenta retinerent. Quocirca poſtridie Kal. Novembres poſt centum ac decem dies ſubductis muralibus machinis, incenſis Peſtho, ſuburbiiſque, vaſa colligunt; Danubiumque ponte tranſvecti nullo Turcarum impedimento, & nemine agmen carpente diſceſſere; oppidanis quoque ad extrema redactis, & verito Ibraimo irritare hoſtem, tædio atque infortuniis exaſperatum. Magna tamen acceſſit clades Germanis ab ipſa plurimarum rerum neceſſitate. Lintrium & vehiculorum inopia quamplurimi ægroti pedibus iter ingreſſi ad quatuor millia miſerandum in modum occubuere. Alii biſcentum, deſerti hoſtium crudelitati in D. Margheritæ inſula, ab iiſdem illico interempti. Stetit Germanis obſidio quà ferro quà morbo ærumnaque ſublatis, ſexdecim millibus peditum, octo equitum, equis cum bellatoribus tum clitellariis vectariiſque quadraginta fere millibus. Budæ præſidium ex tanto numero ad mille quingentos redactum. Principio æſtatis, quo hæc geſta ſunt Tehelius, diſtrahendis a Budæ obſidione in plures partes Germanis, cum decem perduellium millibus Ungariam munitum oppidum aggreſſus, ſeptimo die, dedentibus ſe-

1684.

Obſidio Budæ ſolvitur.

Magna abeuntiũ Germanorũ clades, non a Turcis illata, ſed ipſorũ incuria.

Quantum utrinque abſumptũ hominum, aliarũque rerum in ea obſidione.

Tehelius Ungariam capit.

1684. præſidiariis in poteſtate habuit. Pactis vitam & libertatem, ſervata Polonis, Germanis fides violata; quos omnes vallis transſigi juſſit. Illinc in propinquum ſemlynienſem Comitatum profectus prope Puthanochum oppidum caſtra poſuit. Oppidani rerum ſuarum trepidi legatos mittunt, qui Emerico nunciarent: ei ſe ſuaque omnia permiſſuros, dummodo integris corporibus & ſalvis rebus. Data fide, portas aperuerunt. Urbs tamen, nulla promiſſi verecundia, militibus diripienda traditur; eademque perfidia plura circùm oppida fędis populationibus vaſtata. Sed inops tumultuariuſque exercitus nonniſi præda retineri poterat. Dilatatis in ea ſuperioris Pannonię parte ad Carpathios montes, ubi ſedes rebellionis erat, imperii finibus, turmas aliquot variis itineribus terrorem ac vaſtitatem, quò longius poſſent, Hungaris, qui nondum fidem mutaverant, inferre juſſit. Ipſe cum ſeptem equitum millibus ſtativa ad Eperias habuit, dum interim de Germanorum exercitu exploratum mitteret. Palfius ab una parte, facta duum millium Auſtriacorum Hungarorum manu, populatores ex improviſo aggreſſus, trecentos ſolo ſtravit, reliquis diſſipatis. Ab alia quinque Rabatiæ legionis equitum centuriæ globum alterum pari pęna multarunt. Dum ita regio a prædatoribus vendicatur, Schultius pro legato adversùs Tehelium per Sepuſienſem Comitatum exercitum duxit. Ab Ezcheno cum parum abeſſet, præmiſit, qui Adamo Raiſo, magnæ

Ejus erga Germanos præſidiarios ſævitia, & violata fides.

Puthanochum in poteſtatē redigit.

Et rupta fide diripit.

Superiorem Pannoniā depopulatur.

Germani in populatores irruunt, contrucidantque.

Scultius adverſus Teheliū movet.

gnæ

gnæ inter perduelles auctoritatis, præſidii præfecto, veniam polliceretur, ſi extemplò arcem dederet. Cùm nihil pacati reſponderet, Schultius milites cohortatus, ne moram in ea capienda facerent, corona cinctam ſubegit; Adamo, pluribuſque præſidiariis, dum ſtrenue præliantur, occiſis; cæteri quamquam abiectis armis omnes ad unum obtruncati ſunt. Caſtrum direptum incenſumque. Tehelius audito Germanorum adventu ac ſuorum clade, ſub ipſis Eperiarum mœnibus caſtra locat, imminens occaſioni, ſi qua carpendi conterendique hoſtis daret ſe. Schultius certior ab exploratoribus factus, rebelles, ut in tuto loco, cibo ſomnoque indulgentes noctu vallum negligenter cuſtodire; clam eos invadere conſilium capit. Signa ſub occaſum ſolis efferri jubet; ſecunda vigilia tacito itinere (ſeptem diſtabant paſſuum millia) ad hoſtes perventum. Simul ingens tubarum tympanorumque clangor ipſorum aures, corpora ſimul ferrum percuſſit. Nam cęſis excubiis, ſuperatoque aggere, confeſtim Germani per tabernacula diſcurrentes partim ſopitos, partim ſemiſomnes transfodiunt. Tehelius quid rei eſſet incertus, ubi adeſſe Germanos cognovit, primis tantùm indutus veſtibus ac ſemiermis præcipiti curſu periculo ſe ſubripuit. Nox tumultum, clamor inter cędem & vulnera metum augebant. Hæc oppidanos, ne ſociis intra mœnia tutum receptum darent, detinebant. Portas denique victi precibus aperuerunt. Sed illi ruentes alii

ſuper

1684.

Ezchenum in itinere armis obtinet.

Tehelius ſub Eperiarum mœnibus caſtra locat.

Ejus Copias clam Schultius invadit.

Improviſò oppreſſi cæduntur magna clade.

Tehelius ſemiundus fugit.

1684. ſuper alios obſtruebant eas, impediebantque ſe invicem; & periculum erat, ne ſuperveniens hoſtis urgeret ac ſimul ingrederetur. Quare paucis acceptis valvæ iterum objectæ, occluſuſque aditus. Jam reliqui ſumptis armis equos conſcenderant, conglobatique, prout turma, hoſtium an ſuorum eſſet, occurrebat (nox enim viſum ademerat) conſerebant manus. Pugna diu tenuit, quouſque per diverſa erumpentes loca, ſibi, quà licuit, conſuluerunt. Horum quingenti necati non incruentis Germanis. Sex captæ murales machinæ, ſigna triginta, tympana quatuor, omniaque impedimenta; quodque Tehelio præter cætera moleſtiam fecit, caſtrenſe tabularium, ubi ſuæ & conjuratorum arcanæ literæ aſſervabantur; cùm perfidia, ſi pateat, parum velut infractis viribus nocere poſſit. Schultius victor Eperiarum præſidium, ſi fortè metu vacillaret, ad deditionem ſolicitavit. Cùm ferociter reſponderent, & ipſe oppugnando non eſſet, retro ad Carpathios montes adductis legionibus collegit haud modicum victoriæ fructum; recuperatis, paucorum dierum obſidione, Marchovitia non ignobili munitione, unde in Sarmatiam iter, Barafaldo, Stropho, Donavetio, aliiſque caſtellis. Inde Eperias regreſſus, oppidum incendiariis ollis atrociter laceravit. Et cùm jam hiberna cogitaret adulta hyeme, audito, Tehelium quatuor Hungarorum, ſex Turcarum equitum millium agmen collegiſſe; veritus ne vix illinc deductis Germanis recepta dudum

Quæ deinde ſtrages.

Arcanum Tehelii Tabularium a Germanis capitur.

Schultius Eperias ad deditionẽ vocat, ſed fruſtra.

Plura ad Carpathios montes oppida recuperat.

Eperias redit, verberatque incendiariis ollis.

Iterum ad Tehelium pergit, qui novas Copias collegerat.

dum in fidem oppida invaderet, ad eum profectus prope Neodorfum invenit. Instructa acie (erant Germanæ, Pannoniæque gentis equitum octo millia) pugnam non detrectantem adoritur. Turcæ diu, perduelles vix reſtitere, omnes demum quadringentis humi relictis pulſi fugatique in proxima ſuorum loca ſe retulerunt. Hæc ſecundo ſacri belli anno in Hungaria geſta. Sarmatas haud diverſa manſit fortuna. Rex quamquam nihil, quo mature convenirent milites, prætermiſiſſet; tamen ut ea gens ad exequendum imperium tarda eſt, vix medio Sextili cum quadraginta armatorum millibus, equitatu fere omni, exercitum in hoſtem movit. Ad Naparim amnem accedens, Camenæcum arcem validiſſimam, probe ornatam præſidio ac machinamentis, tentare, quia peditatu majoribuſque tormentis carebat, non eſt auſus. Ripam legens, Zialvechum oppidum tenuit; juſſiſque Coſacis equo, in id aſſueto, tranare flumen, Coccinum e regione, dimiſſo, quod inerat, paucorum præſidio, in deditionem perpulit. Ibi ponte ripas conjungere aggreditur. Verùm Fabrûm ignorantia primùm nec rates tabulatis nectendi, nec in ordinem digerendi uſus erat. Dein labore ſupplente ingenium, moles nonnihil provecta; quam tamen flumen abſtulit, pluvialibus aquis per eos dies auctum. Rex moræ impatiens, deſcendere cymbas, & pontem, ubi amnis placidius flueret, injici jubet. Quippe inſtabat autumnus, & prope erat, quin tempus deficeret

1684.

Prœliũ init, illũque vincit ac fugat.

Sarmatæ ſerò ad ſigna cõveniunt.

Rex cum exercitu Naparim trãſgredi ſtatuit.

Coccinũ occupat.

Pontem ibi amni injicere ſtudet, inani ſucceſſu.

Sed alibi tandem imponit.

ad

1684.

Quod Regi conſilium erat.

ad perficienda, quæ ſecum mente volutabat. Conſtituerat autem longo quamvis itinere ad Naparis oſtium ſuccedere, captiſque Bialogroda aliiſque ad utramque ripam oppidis, aditum Coſacis recludere; quo in Beſſarabiam irrumpentes, Scytham Polonis adeo infeſtum contererent; Moldaviam Turcis intercluderent; ſibi vere primo cum exercitu redeunti viam ad Byzantium ſternerent. Hujus enim Regis animum nunquam niſi magnanima extremaque facinora implevere, quæ continuò, non impar belli ſcientia ſed viribus, meditabatur; ſimul autem exitioſa quadam incuria minora, quæ poſſet aſſequi, negligebat. In hujuſmodi expeditionem ab inito in

Coſachos Rex ad arma ſecum jungēda vocaverat.

Turcas bello Coſacos ad arma conciverat; iique dicto audientes cum finitima Scytharum gente jam non ſemel prælio conflixerant, eximia iſtorum cæde, ut

An Coſachi Scythas profligaverint tanto ſucceſſu quantum fama vulgavit.

per hominum ora vulgabatur; Fama, ubi redargui nequit, facilè ad captandam admirationem facinus augente. Nam non ita multò poſt tanta multitudine Scythæ in militiam profecti ſunt, ut vix eorum

Coſachi qui, ubi degant, quibus pareant, eorum mores, aliaque.

quiſpiam defuiſſe videretur. Coſaci Uchraniam, quæ ponto alluitur Euxino, cis tranſque Boriſtenem incolunt. Portendunt Ruthena voce, quæ vagum militem ſonat, militiæ genus, quod amant ac proſequuntur. Siquidem Scytharum more prædabundi quaquaverſum diſcurrunt, inutiles ſtatariæ pugnæ, patientes laborum non diſciplinæ. Principem habent ab Polonorum Rege ſponte potius acceptum, quàm imperio datum. Nam vix in Regis po-

Digitized by Google

poteſtate ſunt; ſeu quòd neglecti ob rerum omnium inopiam, ſeu quòd indomiti; quippe qui perniciſſimis utentes equis, ad certamen, ni velint, cogi nequeant. Olim Sarmatas, quos tantùm colebant; nunc etiam Moſchos, quorum omnes religionem ſequuntur, ad bellum juvant; diſtincto populorum ſtudio, prout alterutris adjacent. Æque verò ab utriſque ex ingenio deficiunt, plerumque non rebellandi occaſione, ſed utilitate; qua una, haudquaquam legibus, obſtringuntur. Solymanus, ut ad propoſitum redeam, per ea loca ſupremus copiarum ductor cum decem Turcarum millibus, Scytharum viginti advenit ad coercendos Sarmatas. Miſſi ſtatim, qui ad expediendam citeriorem ripam Coccinum infeſtis armis tentarent, non ſine cæde repulſi ſunt. Deinde ſtativis poſitis adversùs hoſtes intermedio flumine, quaſi tranſgreſſuros impedire vellet; ſubductis decem Scytharum millibus, qui clam longiùs progreſſi, nantibus equis amnem trajicerent; ipſe ubi accepit rem e ſententia ſucceſſiſſe, reliquum eorumdem agmen tranare, & quantum liceret moleſtiam Sarmatis inferre juſſit. Ea res ancipitem Regi curam injecit, reputanti: ſi exercitum, perfecto ponte, Naparim traduceret, commeatus a tergo interclusum iri; nec eſſe, unde aliunde ſuppeterent in hoſtili ſolo, & Turca veſtigiis inhærente. Si maneret, quid iis optatius poſſe, quid ſibi turpius contingere, quàm ſe levi negotio probe ludificatum omni ſuſceptæ expeditionis excidiſſe ſpe, omnique

1684.

Solymanus Seraſcherius adverſus Sarmatas exercitum ducit.

Coccinum aggreditur & repellitur.

Naparim trajicere ſcythas jubet & quo conſilio.

Rex Naparim non amplius tranare ſtatuit, & quo conſilio.

1684. tanti exercitus fructu penitus caruiſſe? Hæc ſecum agitans, conſilium capit fallendi hoſtem cogendique ad pugnam; certus victoriæ, ſi acie, confligeret, nullamque ſibi amplius fore moram, quin pergeret, quò ſtatuiſſet. Quocirca abductum a ripa exercitum Camenæcum admovit; ratus, urbis periculo, Turcas Naparim trajecturos ad opem ferendam. Nec ſua eum fefellit opinio, quamquam infelici eventu. Tranſgreſſi enim, haud longe a Sarmatis vallo ſe munierunt. Inde tutius alia dimiſſa Scytharum agmina ad procul intercipiendos commeatus; alia noctu hoſtium ſtationem negligenter carris concluſam, hac illac continuò divexabant non ſine cæde; quam ſibi, vixdum Sarmatæ infrænaverant equos, effuſiſſimis habenis facilè prævertebant. Arx interim ingenti tormentorum boatu multaque ſuccedentium ſtrage, quid in ſe virium contineret, non ſinebat hoſtes latère. Quare poſt aliquot dies, cùm nullo proventu jaculis objicerentur, caſtra illinc dimota. Quin & redire viam coacti ſunt. Nam & plus nimio ingraveſcebat annona, Sarmatis ad rei frumentariæ apparatum non raró improvidis; & gregarii milites ex victus inopia injuriiſque cœli, quas ſub dio agentes excipiebant, affecta valetudine conflictabantur. Nec minus equi, frequentibus excurſionibus impedita pabulatione, plurimùm laſſeſcebant. Nulla quoque ſpes erat, extra munitiones Turcas elicere. Suſcepto itinere, Scythæ infeſtis ſignis agmini hærebant, leviaque præ-

Studet hoſtem ad pugnam cogere.

Quocirca exercitũ Camæneco admovet.

Scythæ nocturnis incurſionibus fatigant Sarmatarum exercitum.

Poloni a Camæneco diſcedunt.

Maxima incomoda Sarmatas affligunt, & cujus generis.

Se recipientibus Polonis Scythæ infeſti.

prælia committebantur; quę non minimum negotium Sarmatis faceſſebant, non armorum periculo, quod ab inſtabili hoſte nullum erat; ſed quia longius vagari ad laxandam annonam vetabantur. Sępius autem ſiſtere gradum coacti, tardiùs incedebant. Hac mora conſumptis frugibus, equina carne plures veſci dies opus habuere; tantaque equos equiteſque laſſitudo inceſſerat, ut Barbari, qui, tametſi aucti Camenæci præſidio, caute agmen proſequebantur, nec niſi tuto loco metatis caſtris nocte quietem ſumebant; nunc propiùs accederent, inſtructaque acie auderent ad pugnam provocare. Sobieſchus militaris artis apprime gnarus nihil hanc vanam jactantiam fecit, clauſoque agmine iter continuavit; bene ac ſapienter arbitratus, in eo ſtrenuitatem bellicamque laudem verſari, ſi geras, quod hoſtis nolit. Sarmatis intra regni fines adductis, Turcæ receſſerunt. Eos tamen hominum & jumentorum clades, parta plerumque fame ac laboribus, afflictavit; proditumque documentum, quod, a Cyro Perſarum maximo Rege datum, adeo veteres commendarunt: prius Imperatoribus de tuenda exercitus valetudine curandaque annona quàm de profligandis hoſtibus cogitandum. Rex improſperam expeditionem doluit adeo, ut frequenter de ipſo auditum fuerit: utinam me Vienna redeuntem mors oppreſſiſſet, ne quis unquam caſus ullaque adverſitas comparatam mihi eo facinore gloriam potuiſſet corrumpere. Magnificum ſane dictum, clariſſimo-

1684.

Polonorũ damno, & quare.

Atque ingenti clade.

Rex iter nullo metu progreditur.

Illis inter Regni ſui fines ingreſſis, Turcæ recedunt.

Rex ob improſperam expeditionẽ æger animo.

1684. moque rege dignum ; quod tamen poſteritas elatura foret majori laude, ſi æque deinceps egregiis factis (ut potis erat) & priſtinum retinere decus & præſentem obliterare ærumnam voluiſſet. Quæ dum in Sarmatia Hungariaque geruntur, principio æſtatis Franciſcus Maurocenus Venetæ claſſis præfectus cum ingenti navium apparatu Venetiis ſolvens, Corcyram petit, quò claſſem omnem convenire juſſerat; eòque dudum appulerant ſeptem Melitenſes quinqueremes, quinquæ Romanæ, quatuor Hætruſcæ, ſtudio Innocentii Pontificis Maximi adversùs communem hoſtem collectæ. Illic recenſita claſſe atque exercitu, ſeptem & triginta quinqueremes, hexeris una, hepteres ſex, illam quinqueremem notham, has Galeatias dicunt (nam bellicarum majorum navium claſſis, cui Alexander Molinus præerat, vela jam antea in Ægæum dederat) ornatæ inſtructæqne numeratæ ſunt; cymbarum vis ingens. Armatorum fuere ſub ſignis præter navigiorum cuſtodias ad decem millia. Horum Italici nominis ſex millia peditum, Græci mille quingenti, equites centum & quinquaginta Venetis merebant; Romana claſſis ductabat trecentos pedites, Hętruſca ſexcentos, Meliteníis mille, quibus robur ac decus addebant Equites centum alba ſignati Cruce. Habito conſilio, cùm alii alia proferrent, placuit Mauroceni ſententia, qui tertiùm Venetam maris præfecturam gerebat, inſignis Cretico bello quamquam funeſto. Hic difficilem expe-

Ejus magnanimum dictum.

Franciſcus Maurocenus cú Claſſe Corcyram petit.

Auxiliares ei junguntur, & quo numero.

Navium & militum numerus.

pe-

peditionem haudquaquam tentandam ſuaſit; quæ adulta jam æſtate recentique milite, verendum, ne male cederet, demitteretque in poſterum animos; cùm plerumque belli initia in omen cadant. Satis in præſens eſſe, nautas militeſque armis armamentiſque aſſueſcere; & parto qualiſcumque victoriæ fructu majora deinceps mente ac deſiderio præcipere. Quippe arma tractando unuſquiſque tantùm poteſt, quantùm ſe poſſe credit. In id conſilii opportunam Leucadem inſulam ſe offerre, non longe a Venetis inſulis; undè & commode oppugnari, & levi negocio retineri poſſit. Oppidum, ejus & circumpoſitæ regionis caput, tenui muro, priſcis propugnaculis circumvallatum illicere ad invadendum. Hinc prædam militibus; non modicum Reipublicæ imperium in circumjacentem oram; ducibus ingens & immortale decus, ea infami piratarum arce in ditionem redacta, unde hactenus Italis infeſtum litus; navigantibus mare. Re deliberata claſſis e portu in altum provecta explicuit aciem, ut in id aſſueſceret, ſuumque digeſta in ordinem progrederetur. Media hexeris, Imperatoria navis, excipiebat a dextro latere Melitenſem prætoriam, cui ſuccedebat prima Romanæ claſſis cæteræque auxiliares, & Venetorum aliquot claudebant cornu; ab ſiniſtro hærebat hexeri quæſtoria quinqueremis, ac plures deinde Venetæ æquato agmine. Hætruſcæ modico intervallo præibant, ne Melitenſibus honore cederent. Cunctis præſidio erant hepteres

ve-

1684.

Mauroceni de qua ſuſcipienda expeditione ſermo, & quibus innixus rationibus.

Leucadem expugnandam ſuadet, & quare.

Quo ordine Claſſis navigaret.

1684. veluti majora propugnacula, ex acie prominentes. Hoc ordine Demadæ portum tria non longius ab oppido paſſuum millia, poſtridie tenuerunt. Leucadem ab Acarnania dividit anguſtum fretum, quo in medio eſt inſula, ubi olim cænobium D. Mauræ ſacrum; nunc, quod diximus, oppidum ejusdem nominis. Iſtud diverſæ habet magnitudinis quinque latera, totidem in angulis turres, orbiculata forma; duæque aliæ, duo majora latera protegentes, interiacent. Foſſa duodecim pedum circumit. Extra foſſam duplex ſuburbium, Græcorum ſedes. Alterum ponti jungitur priſci & ſumptuoſi operis, eaque latitudine ut peditibus iter præbeat; quo per trecentos ſexagenoſque fornices a Leucade in oppidum aqua fluit. Alterum lingulæ, canalibus interſectæ, quæ per duo paſſuum millia, quà ſpectat ad Cæſiam, procurrens continenti jungitur. Præerat arci Bechir prætor, muniebantque illam octingenti oppidanorum piratica experti, qui arma ſuſceperant ad tutandam patriam. Ubi claſſis in conſpectu fuit, Maurocenus primò tentandum cenſuit prætoris animum, an in deditionem inclinaret. Accepto feroci reſponſo, ad vim ſe convertit. Lembis a dextra lævaque milites in terram expoſiti, nullo prohibente (nam hoſtis intra mœnia ſe continebat) ſuburbiis potiuntur. Illuc murales machinæ ingenti labore adductæ, rotis alte in arenoſum litus ſe demergentibus; nec longo intervallo vineæ ad muros admoveri cœptæ. Mode-

S. Mauræ oppidum deſcribitur.

Quantū in oppido præſidium.

Oppidi oppugnatio narratur.

de-

derabatur oppugnationi Comes Carolus Straſol- 1684.
dus, cui a Senatu terreſtrium expeditionum cura *Comes Carolus*
ſummo cum imperio data fuerat. Is utrinque mœ- *Straſoldus terre-*
nia catapultis verberari juſſit; ollis incendiariis la- *ſtrium expeditio-*
cerari tecta. Jam bombardæ nudaverant urbis par- *num Imperator.*
tem; & agger utcumque poſſet ex arena compactus ad foſſæ labrum pervenerat; cùm, quid oppidanis animorum ac virium eſſet, periclitari ſtatuit. Exercitu in aciem educto, a dextra ſiniſtraque duas emittit Græcorum cohortes, quæ per patentem aditum inferre ſe in oppidum conarentur; civium ignaviam, quia nunquam eruperant, & una tantùm jaculatione ſe defenderant, ſuſpicatus. Verùm armati inſtructique, ruinis ſuperſtantes, pro mœnibus ſe ſe objiciunt. Primo concurſu atrociter dimicatum; pugna tamen non diu tenuit; quippe Græci debilitata penetrandi ſpę, citò, ut fit, remiſere animos ac ſe recepere, aliquot ſuorum deſideratis; quos inter Biſſichius centurio, agminis ductor. Et Straſoldus, ſubmiſſis recentibus copiis inſtaurare certamen, conſpecta aſcenſus aſperitate, alienum duxit. Dum ad eum ariete molliendum complendamque foſſam ſe comparat, Bechir novam pugnam deditione prævenit, commotus mulierum gemitu, quę cum puerorum turba in interiori urbe conſtipatę, ædium ruinis igneiſque ollis proſcindebantur; & pręliando ferociores milites occubuerant, nullaque aderat auxilii ſpes.
Itaque pactus omnium vitam & libertatem, tan- *Oppidum Venetis*
tumque rei domeſticæ, quantum quiſque ferre hu- *ſe dedit, & quibus cōditionibus.*

me-

1684. meris poſſet, cum ſeptingentis armatorum, duobus millibus ſexu atque ætate imbellium poſtridie nonas Sextiles, ſexdecim dies tolerata obſidione, diſceſſit. Venetorum cecidere ducenti milites, minus oppidanorum. In libertatem aſſerti centum triginta Italici nominis, juſſique ſupplendæ claſſi annuum ſtipendium facere. Oppido ſub ditionem redacto, Leucas, & Acarnania, quæ ſub ejus imperio erant, Venetis acceſſere. Quamquam Acarnaniæ tuendæ collecta e vicinis pagis Turcarum juventus in armis ſteterit. Sed vixdum Straſoldus, cum quatuor millium & quingentorum agmine ad eos profectus, certamen iniit, illi paucis interemptis ſigna retulerunt, cæteram Ambracii ſinus oram tutaturi. Maurocenus datis Laurentio Venerio decem militum centuriis, qui D. Mauræ Fano præſidio eſſent, cum quatuor armatorum millibus quinqueremium claſſem Nicopolim duxit. Reliquas copias, quas militiæ deſuetudine cœlique gravitate concuſſas lenta corripuerat febris, Corcyram, ut darent operam valetudini, hepteribus apertiſque navigiis tranſvehi juſſit. Ipſe Nicopolim, quam nunc Preveſam dicunt, ad expediendum, quantùm fieri poſſet, continentis litus, oppoſitum Venetorum inſulis, oppugnare aggreditur. Jacet oppidum ad lævam Ambracii ſinus, quà mare per quinquaginta paſſuum millia terram intrat; inſigne olim Actiacæ victoriæ monumentum, ab Auguſto in proximo pelagi promontorio, ubi triumviratus collegam Mar-

Leucas & Acarnania in Venetorum ditionem venit.

Maurocenus Nicopolim navigat. Oppidum deſcribitur.

Marcum Antonium de Imperio contendentem claſſe devicerat, excitatum. In tumulo ſitum eſt, firmoque vallatur muro, patente in circuitu paullo amplius trecentos ſexagenoſque paſſus, vix prominentibus turribus. Coni apicem caſtrum tenet exigui operis, ſed bellicis tormentis armatum circumpoſito mari terræque minitatur. Ab occaſu intra majorum machinarum jactum ſupereminet collis, anguſta valle diſciſſus. Ad loci tutelam Bechir in eam oram advectus cum aliqua Maurianæ juventutis parte ſe contulerat; vocatiſque ad ſigna paganis oppidaniſque validam coegerat manum; qua, parum fidens oppidi munitioni, prohibere Venetos litore, quacumque ſe circumegiſſet claſſis, conſtituerat. Hujus conſilium, poſtquam ex ipſo copiarum diſcurſu compertum fuit, Maurocenus eluſit; ſimulato ex aperto mari ad lævam deſcenſu, quò ſub veſperam quinqueremes admovere cœpit; juſſo Straſoldo tacite & concubia nocte cum majori militum parte, lembis excepta, ſinum ingredi, ac ſuburbium, quod mari alluitur, capere. Re perfecta, clamor a tergo exortus admonuit Turcas, qui pleno agmine, quò curſum dirigebat claſſis, accurrerant, deſcendiſſe hoſtem, ac ſe oppido interdici poſſe. Igitur nulla mora effuſo curſu intra mœnia ſe concluſere; ancipites, armis ne, an celeri deditione conſulerent vitæ ac libertati. Nam & paucitas hoſtium ad ſubeundam obſidionem faciebat animos; & pertenue oppidi munimentum demittebat.

1684.

Veneti qua utuntur arte ad oppidanos eludendos, ne deſcenſum impediant.

Oppidani deliberant an ſe opponant.

1684\. Dum hæc diu multumque variis intro ſententiis agitantur, Veneti, expeditis bombardis, e ſuburbanis ædibus vicinoque jugo, in quod ſtatim aſcenderant, quatere muros incipiunt. Quos ubi cives fruſtra concuti ac præter ſpem ſtare vident, collectis animis arma parant, expediuntque tormenta ad ſubmovendos hoſtes. Hi contra, cùm mœnia arieti non cederent, ad ea nitrato pulvere ſubvertenda propius accedunt, cuniculoſque inducunt. Terruit ea res oppidanos; cujus expediendæ, avertendique periculi cùm nulla iis ſuppeteret ars, nullum conſilium, accepta abeundi fide, cum conjugibus ac liberis & pauca re domeſtica octavo die urbem reliquerunt. Nicopoli in deditionem accepta præſidioque impoſito, Maurocenus, ut quid poſſit in proſperis rebus animorum alacritas, quid in adverſis metus, experiretur, victoriam urgere ſtatuit. Quatuor quinqueremibus & quantum militum licuit ſecum acceptis, ſinum invehitur, Ambraciam cogitans in extrema poſitam ora, nudatam moenibus atque opulentam; quæ Regia olim Pyrri, nunc etiam loci opportunitate circumquaque dominatur. Præmiſſa ſpeculatoria navis cùm citò retuliſſet, Turcarum ſtrepitu, qui e vicinis pagis ad ſigna convenerant, perſonare litus; mutato conſilio, proras ad dextram convertens, Amphilochiam Acarnaniæ finitimam petit, quò maritimi græci nominis incolæ ſumptis armis concitoque tumultu vocabant. Iis, qui ad litus accurrerant, dedit illico trecentos mili-

Suſtinendam oppugnationem ſtatuunt.

Mox ſe dedunt, & quibus conditionibus.

Maurocenus tentare Ambraciā decernit.

Sed mutat conſilium & quarè.

Amphilochiam tentat Popularīū fide fretus.

tes

tes; juſſitque peragrata provincia populares in idem novandarum rerum conſilium inducere. Hoc animo progreſſis occurrit Turcarum agmen, quod eò ad claſſis conſpectum ſe circumduxerat. Ægre in aciem directi; quippe qui militiæ rudes imperitique; primo impetu fuſi non ſine cæde, incompoſiti litus repetunt, quo Turcæ quinqueremium jaculatione ſubmovebantur. Parum in ea gente præſidii ac roboris eſſe ad belli ſummam re doctus Maurocenus, quotquot ipſorum defectionis conſcientia ſolum vertere maluerunt, actuariis impoſitos cum conjugibus ac liberis Leucadem traduxit, datis ad colendum agris diu inibi deſertis colonorum inopiâ (inſula enim non plus novem millibus utriuſque ſexus omniſque ætatis incolebatur). Ipſe in hiberna cum omni claſſe Corcyram navigavit. Quò priuſquam appelleret, duos menſes prope Nicopolim in anchoris ſtare coactus fuit, ne ad invaletudinem accedens labor nautas conficeret. Eadem æſtate, qua hæc geſta ſunt, percrepuit Dalmatia populationum potiùs quàm belli ſtrepitu. Præerat Venetæ ditionis oræ ſummo cum imperio Dominicus Mocenigus, qui cùm præter præſidia paucos militum ſtipendia merentium haberet, nullum munitum oppidum tentare auſus, ſuſtinebat Senatus querelas, eludebatque promiſſis. Monebatur enim quotidie literis, ut Turcicæ juventutis ex omni ſuo Imperio in Hungariam profectæ, atque incolarum ſtrenuitatis memor, otiari per id anni tempus arma non ſineret.

1684.

Sed a Turcis repellitur.

Corcyrã repetit.

Dominicus Mocenigus Dalmatiæ Prætor.

Male apud Senatum audit, veluti incurioſus.

1684.

Conſultò ab militaribus expeditionibus abſtinet, & quare.

Succeſſor ei ante tempus datur Petrus Valerius.

Petrus Valerius quid Senatui ſpõdeat.

Sed ille, tametſi ſciret Venetiis ſuam cunctationem infamem eſſe, ratus non fidendum tumultuario militi etſi feroci, huic exercendo, ut aſſueſceret ſignis ordinibuſque, æſtatem extraxit. Quod ubi Senatui compertum fuit, ei ſtatim, & nondum peracto magiſtratus tempore, ſucceſſorem dedit Petrum Valerium, qui pridem ejus provinciæ præfecturam geſſerat, & nunc, ambitu an credulitate, diſſeruerat in Senatu, oppugnandum fuiſſe Caſtrum novum, infeſtiſſimum per ea loca Venetæ regioni oppidum, atque illinc per amiciſſimos populos Epirum, quam nunc dicunt Albaniam, ſibi aperiendam. Diu prætéritam quidem tantæ rei occaſionem; adhuc tamen, ſi ſedulò detur opera, poſſe autumno vixdum inito reviviſcere. Nec ſane prætermittendam eſſe, cùm pro Republica militet fama rerum proſpere in Epiro atque Acarnania geſtarum, & fama plerumque dimidium vincendi ſit. Comparatis extemplo quæ ad expeditionem opus erant, cum octingentis militibus, qui tum fortè ad navigandum Venetias convenerant, bellicoque apparatu ſolvit in Phariam inſulam. Ibi ad colligendas majores minoreſque naves circumquaque excubantes aliquot moratus dies; ne interim, quod in aliis reprehenderat, otio indulgeret; juſſit Ludovicum Marcellum cum paucis legionariis & ſex Dalmatarum millibus, qui equitem Janchum, magnæ inter eos authoritatis, ſequebantur, Singum in Cliſſæ finibus oppidum pertentare, nullis tormentis ad evertenda mœnia ſecum adductis; tanta Valerium

In Provinciam cũ aliquot Copiis mittitur.

Ludovicũ Marcellum Singum mittit ad oppugnandum.

rium ex hoſtium contemtu inceſſerat ea ſuperandi ſpes. Illuc vixdum pervenit, ac Dalmatæ pars ſcalas afferre, pars diſcedere ad populandum. Quos ubi oppidani palatos occupatoſque vident, tacite e portis effuſi in ſubeuntes irruunt; pulſos fugatoſque inſequuntur ac tergo inſiſtunt. Illi ordinum inſueti nec ſe colligere nec agmen componere, ſed pedibus ſe committere; quoad multa cęde ac vulneribus caſtigati tutum ad Cliſſam receptum habuere. Jam quicquid longarum navium contrahi undecunque potuerat, & quatuor quinqueremes ſubductæ ex Mauroceni claſſe ad Phariam cojerant; cùm Valerius Dalmatis, quorum ingentem numerum in expeditionem illexerat, juſſis terra Caſtrum novum adire, vela exeunte autumno illuc dedit. Rhizonicum ſinum ingreſſus, cujus in dextro latere ſedet oppidum, ad lævam flexit, tenuitque Venetæ ditionis Cattari portum. Ibi in conſpectu oppugnandæ arcis conſilio habito ſtatim patuit: homines non alia re magis decipi quàm deſiderio, quod nihil in rebus agendis præter ſe videt. Nam ad eam obſidendam nec anni tempus idoneum, nec ſatis legionum, nec indigenis diſciplina erat. Quamobrem, irritæ rei pudorem ſuperante majoris ignominiæ metu, Jaderam cum omni claſſe in hiberna regreditur; eò magis ad repetendam expeditionem intentus, quò nunc fefellerat. Prima ejus cura ſupplendarum legionum fuit; dein provincialium (quod ſibi Mocenigus propoſuerat) inſtruendorum, ut aſſueſcerent

1684.

Repellitur non ſine clade.

Valerius cũ Claſſe Neocaſtrum petit.

Ejus oppugnandi difficultate deterritus Jaderam ad hjemandum petit.

In eamdẽ ſe cōparans expeditionẽ, ubi Ver redeat.

ſer-

1684. ſervare ordines, vallum erigere, ſigna ſequi. Etenim Dalmatæ, præſertim qui ad Orientem incolunt, durum & agreſte genus hominum, corporum & animorum ſtrenuitate valent plurimùm; militarem diſciplinam parum aut ne parum quidem patiuntur; prædandi cupidi, non bellandi; ſed prædam armis quærere non abnuentes. Cæterùm ſi, ut fert militiæ uſus, ſtipendia facerent, pares in bellica virtute Majoribus ſuis fore viderentur; quibus refrænandis octo per ea loca Romanæ legiones, dum in amplioribus provinciis, frequentioribuſque populis duo aut quatuor non amplius, excubarent. Nunc tumultuario delectu ab aratro ad arma concurrunt, eorum ſuæ gentis, prout lubet, auſpicia ſequuti, qui plus opibus aut audacia pollent. Per vicos diſperſi, ex agrorum opportunitate ſub Venetorum, Turcarumve ditione degunt; iiſque parent, ſi parum imperent.

Dalmatarum indoles, diſciplina, ſtrenuitas.

Quam bello feroces olim fuerint.

1685. At majus Venetiis augendæ claſſis ſupplendique exercitus ſtudium erat. Delectus magna pecunia per Italiam Germaniamque habitus; conductæ illinc legiones aliquot, hinc quatuor millia quingenti Saxones ac Brunſuicenſes; Comes Claudius Poliacenſis in demortui Straſoldi locum ſupremus ductor terreſtrium expeditionum ſuffectus. Novis etiam ornandis inſtruendiſque navibus celeberrimum Navale fervebat ingenti ſtudio. Nunquam Reipublicæ tantus belli amor; ad omnem conatum incenſis animis cum præteritarum memoria cladium, tum facta ex præſenti proſperitate vincendi ſpe.

Venetorũ ad bellum apparatus.

1685.

ſpe. Verùm bellicos apparatus non æquabant ærarii vires, abſumpti prius Cretico bello, nec parum poſt occupatam ab aliis nationibus mercaturam, atque a Turcis ejus Imperii opulentiores inſulas pluresque maritimas Græciæ urbes, vectigalibus imminutis. Indictum igitur curandæ pecuniæ ex agris tributum; pretio data exulibus redeundi venia; quidpiam a civibus ſponte ſua; aliquid a Pontifice maximo, imperatis per reipublicæ provincias Sacerdotiorum Decumis, collatum. Hæc facilè impetrata; illud non niſi maximis contentionibus; ut ſcilicet in patriciorum ordinem cooptarentur, qui in publicum attuliſſent centies ducatorum millia, quorum tamen ex quadragenis millibus perpetuo fœnore viceſima redderetur; & qui vicena quina millia erogaſſent, Marcii Procuratoris decore cohoneſtarentur. Plura in utramque ſententiam dicebantur, quæ etiam in vulgus edita. Alii negare: honores, unicum in bene moratis Rebuſpublicis recte factorum præmium, vulgandos eſſe; ne, ſi multis darentur, omnes contemnerent; atque alia deinceps diſpendio Reipublicæ quærenda eſſet virtuti merces. Sic enim quæ modò pecunia coacervari poſſet, ingenti uſura redhibenda foret. Multò minus unumquempiam cum ſuffragii jure civitate donandum. Nam ſi quod in Republica ſupremum eſt, præconis haſtæ ſubjiciatur; & ut quiſque fortunæ benignitate ſit dives, in hoc clariſſimarum ſtirpium patrimonio partes habere poſſit, vile iſtud & vulgare fiet; nec

Supplendi ærarii ſtudium, & unde.

De novis Familiis in Patriciorum ordinem pretio cooptandis, & Patriciis in Procuratorum Collegio agitur.

Rationes contra id rei adductæ.

1685. nec amplius fore, ut qui modò tot magiſtratuum labores, gerendique dominatus onera hac una oſtentandi generis gloria libenter ferunt, ea deinceps tolerare velint. Datam nonnumquam a Majoribus ſuis civitatem; ſed aut benemeritis civibus, qui extremo reipublicæ tempore ſe ſuaque omnia pro eatuenda devoviſſent, quoſque ſi honoribus atque imperio excluderentur, timor eſſet tumultuaturos, veluti tricenis familiis Clodiano bello; aut potentiſſimis in Italia viris, qui oppreſſa patria rerum potiti, magno Venetis uſui eſſe poterant, faciebantque ſpem tradendarum urbium, ſi ſuis demum viribus eas retinere haud potis eſſent. Et ſane amplificandi Imperii propoſitum, publicamve ſalutem dignum tanti decoris pretium fuiſſe; pecuniam verò quis credat? cùm præſertim aliunde confici queat; nec tanta, ut alendo bello ſufficiat, illinc futura ſit. Quòd ſi dum vorago Cretici belli publicas per viginti amplius annos exhauſit opes, iis inſtaurandis datum fuit ut ſplendore patritii nominis fulgeant octoginta novi lares; id ut fortaſſe vitandum eo tempore, ita modò non reprehendendum; ſed cogitandum: nullum infirmius eſſe argumenti genus exemplo. Quippe variatis temporibus variari conſilia & momenta rerum. Alii contra ſuadere legem. Non enim timendum, ajebant, ne paucis in imperii ſocietatem adlectis minori habeatur pretio jus imperandi; cui pondus non accedit opinione hominum, ſed auctoritate; neve aucto Marciorum Curatorum numero, gra-

Alii rem ſuadebant, & quibus argumentis.

gratia huic decedat atque amplitudo; qua pellecti vel nobiliores cives libenter hactenus laborioſum Magiſtratuum curſum tenuerunt. Quippe ſplendeat Collegium ampliſſimum luce ſua, traditaque a majoribus poteſtate; non quia rari illum accipiant. Errare deinde qui putant, ſuprema hæc civitatis decora pecunia, ut impari, non addicenda. Nam ſi prudenter conceſſa olim in ſpem augendæ alienis viribus reipublicæ; cur modò eadem ſpes alienis opibus non confovenda? Hinc enim majores copiæ majoreſque belli apparatus, certiſſima (dum inſolito metu ſtupet hoſtis) dilatandi fines Imperii, vincendique pignora. Neque verò, ut aliqui arbitrantur, facilè e diverſo fonte derivare in ærarium tantundem pecuniæ poſſe. Nullum ſiquidem vectigalium genus, quod hactenus ad ornandam conſtituendamque rem militarem vel auctum vel inſtitutum non fuerit; quibus tamen hæc nondum ſatura & contenta eſt. Præterquamquod ad Reipublicæ lenitatem intereſt, tributum ſponte ne detur, an imperes; plus quoque ad exemplum. Nam ſi præeuntes patritii venalem pro explicanda Reipublicæ majeſtate proponant generis excellentiam, ſummum traditum ſibi a Majoribus ſuis patrimonium; quis in tanti momenti rem deinde neget facultates ſuas, eorumque liberalitatem non æmuletur? Denique utcumque iſta negligantur; an non in mentem venit, eamdem eſſe civilium ac naturalium rerum conditionem; quarum, niſi identidem ſe novis ſtirpibus inſtaurarent, peri- 1685.

1685. turum eſſet nomen & ſpecies. Si ab ſeptimo & nonageſimo tertiidecimi ſeculi anno, quo a populo ad optimates reipublicæ auctoritas adducta eſt, memoria temporum repetatur; palàm eſſe, illuſtrium familiarum non minus dimidium interiiſſe. Cur igitur non eas ſuppleri novo delectu? cur ad acuendam virtutis æmulationem, qua una viget ſalus publica, non augeri candidatorum numerum, auctis, qui petere honores poſſint. Creandis Magiſtratibus, ut modò res eſt, nihil æque officere ac ſolitudinem poſtulantium. Niſi enim liberum ſit, quos velis, eligere aut præterire, neminem eſſe ſolicitum, quid de ſe judicent cives ſui; quo fracto pudoris vinculo efferri ſtatim atque irrumpere vitiorum monſtra. Hæc in ſpeciem proferebantur; ſed illud re vera dividebat animos, quòd ab una parte, qui afflictæ rei familiaris incommodum nobilitatis decore ſuſtentabant, gravi cura detinebantur; veriti, ab opulentioribus, quos nunc infra ſe conſpicerent ac ſuperbe tractarent, ſi ſemel in ſupremum ordinem cooptarentur, ſe ſe invicem deſpectum iri. Et qui, ut ſplendore atque origine, ita uſque dum præcipuis honoribus cæteros antecellerent, metuebant, ne, cùm divitiæ extollant mortalium mentes percellantque ambitu, novi homines, multitudine ſuorum freti, de adipiſcendis iiſdem honoribus conſpirarent. Ab altera parte tenuiores Patritii verſabant animo, ſe ſe ab gerendis ſumptuoſis exilibuſque Magiſtratibus per nuper conſcriptos, quibus, ut inſuetis

Quæ eſſent arcana legem diſſuadentium argumenta.

Quæ ſuadentium.

tis, honores ſupra pecuniam ſunt, relevatum iri. 1685.
Proceres etiam nihil ſibi metuendum inter ſe muſſitabant, exiguo adhuc recentiorum numero, & plurium annorum experientia, quibus (ſeu vetuſtatis reverentia, ſeu in bene conſtitutis civitatibus rara adversùs probabiles mores humiliorum audacia) nunquam ſe loco dejectos contuebantur. Itaque vicit hæc ſententia, dataque per hujuſce belli ſpatium cum ſuffragii jure civitas tricenis octo familiis; non enim plures tanto diſpendio petierunt. Viennæ eadem pecuniæ ac delectus cura detinebat animos. Illa ingenti opus erat ad ſarcienda præteritæ æſtatis detrimenta; quam tamen partim ſuppeditarunt extraordinaria tributa verſuræque factæ; partim Pontificis maximi liberalitas, eaque in primis fructuoſiſſima, ad Cæſarem pretium ferens tertiæ bonorum partis, quibus in ſua ditione per ſexagenos ante annos Eccleſiarum patrimonia non primò conſtituta, ſed aucta fuerant, dummodo Epiſcopatibus Paræciiſque caveretur, & Cæſar hortanti Pontifici non abnueret, ſe quantum accepiſſet, cùm commodum foret, redditurum. Ex hoc fonte brevi tempore ad belli uſus contracta treſdecies centum ſcutatorum Romanorum millia. Intento pariter ſtudio per Cæſarianas provincias juventus ad arma conquiſita, conſcriptaque peditum duodecim millia, equitum quindecim. Magna acceſſere ſociorum Germanici nominis auxilia; a Bojoario quinquaginta peditum centuriæ, equeſtres octodecim; par quoque numerus ab Octoviro

Lex ſancitur, & quot Familiis hoc bello data civitas cum ſuffragii jure.

Viennenſe ærariū a Pontifice maximo ſuppletum, & unde.

Tū quoque aliŭde.

Cæſar ſupplet exercitŭ, & quanto delectu, & unde.

Socialia auxilia quo numero.

1685. Colonienſi ejus fratre. Luneburgi, Brunopoliſque Duces ſubmiſere ſeptem millia quingentos pedites, equites quinque millia. Ab cæteris Regulis liberiſque Civitatibus ex ſociali formula ſexcenti, qui equo, tria millia trecenti, qui pedibus mererent, dati. Centuriata quoque Hungarorum ad octo millia. Bellicis rebus ita compoſitis comparatiſque, præcipua Cæſaris cura in Sarmatas converſa eſt.

Cæſaris de Sarmatis minus ad bellũ propenſis ſuſpicio.

Niſi enim & ipſi ut foedere condictum fuerat, tempeſtive Turcas laceſſerent detinerentque bello, metus erat ne Germani tota oppreſſi mole fatigarentur. Enimvero ſuſceptam ſuperiore anno ab Joanne rege improvide ne magis an infeliciter expeditionem ſolicito volutabat animo, audiebatque, qui tantam illam movendi exercitus tarditatem ſuſpectam redderent.

Unde orta.

Curas augebat Tehelii Orator dudum in eam Aulam progreſſus, quamquam ſpecie implorandæ regio patrocinio veniæ anteacti temporis; & culta nimis familiariter a pluribus Polonorum cum eo perduellionis principe neceſſitudo, ut ex ipſorum literis compertum fuerat.

Quibus argumẽtis fulta.

Præter cætera in ſuſpicionem venerat Bethuniæ Marchio Reginæ Ludovicæ Mariæ levir, quem legatum a Galliæ Rege Ludovico illuc miſſum, fama erat, ſuæ gentis, non Barbarorum utilitati conſulentem Sarmatas a Turcico bello remorari, ut hoc penitus in Hungariam verſum Cæſari neceſſitatem imponeret iſthuc omnem appellendi animum, abducendique ab Germaniæ rebus; quæ per initas cum Gallis inducias vehementer labefa-

fa-

factatæ non diu ſtare, quo nunc eſſent; loco poſſe videbantur. Nec a ſuſpicione res abhorrebat. Nam vix ulla rei militaris cura tenebat eos, & deferbuerat inſigne illud Regis in Turcas odium ac martialis ardor, conjugis arte vividi ingenii, ad eumque flectendum blanditiarum potentis fœminæ. Hanc iniquo pridem ferentem animo, Jacobo filio, ut impari, quæſitam e Neoburgica Domo uxorem, Auſtriacamque affinitatem adhuc negari, Bethunius a Cæſare prorſus abalienaverat, non oſtentato ſolùm Gallicæ ſuæ gentis beneficio, ſi Rex ab urgendo adversùs Barbaros bello abſtineret; ſed facta fide, inſidiis, ni caveat, regiam Filio dignitatem ereptum iri. Nam cum ſæpius arcanis ſermonibus inter ſe agitarent, quiſnam poſt Regis obitum principem locum adepturus foret: Lotharingio ſummo ſtudio a Cæſare conquiſitum, dixiſſe ferunt. In id ſolicitari veteres clientelas, novas innecti; atque ideo præſertim mandatum illi barbaricum bellum, ut, ejus geſti profligatique gloria, ineat gratiam bellicoſæ gentis, ſtudiaque in ſe vertat. Itaque Rex, ubi de ſupplendo exercitu parandiſque commeatibus ſermo fieret, extemplo objiciebat: prius de Valachia Moldaviaque cum Cæſare convenire opus eſſe; quas provincias, modò Hungariæ modò Poloniæ olim adſcriptas, nunc non eſſet e Sarmatarum re alteri cedere. Nec de Tranſylvania, quæ in Auſtriacorum ditionem redacta finitimis creare periculum potuiſſet, ſilentium erat. Neoburgenſes quoque nuptiæ nondum

1685.

Rex animum a belli curis remiſerat.

Reginæ arte, & quamobrem.

Quæ ipſi a Bethunio, quæ ab ipſa regi dicerentur.

Rex belli negligentiam quo obtentu excuſet.

dum

1685. dum conſtitutæ, quæſituſque Lotharingio Comitiorum favor obliquis ſermonibus obtrudebantur. Quæ omnia cùm Cæſar apud ſe reputaret, cogitaretque, parum ſibi a Sarmatis præſidii fore, abducto domeſticis conſiliis, quæ non facilè vinci poſſent, ab armis Rege; de reconcilianda cum Turcis pace ſermonem cum interioribus amicis conferre cœpit. Ad hanc aditum aperiebat non ſolùm Armenius quidam, ſine literis a Budenſi prætore miſſus, ſpecie captivos permutandi, re vera, ut mota componendarum rerum mentione tentaret Purpuratorum animos, ex iiſque de Cæſare conjecturam faceret; ſed legatus, qui non ita multò poſt a Michaele Abaffio Tranſylvaniæ Principe advenerat nonnullis Hungarorum mutatæ fidei veniam rogatum (quod Legationi dediſſe cauſam dicebatur); addiderat autem, ſe mandatum de conditionibus a Regulo habere, quibus ille non difficulter dirimi diſcordias poſſe arbitraretur. Nam etſi Turcæ ob res ſuperiore æſtate proſpere geſtas, propugnatamque ſtrenue Budam collegiſſent animos, ſe ſeque ad bellum acuerent; eos tamen nondum oblivio cœperat Viennenſis cladis; quam tot tantæque aliæ ſubſequutæ, luctuoſam plagam injecerant Imperio ſuo; & Viſirius, natura atque uſu ad moderandam rempublicam pace potiùs quàm bello aptus, ab tumultu abhorrebat; prudenter ratus: in meliori fortunà magnificentiùs æquioribuſque conditionibus finiri bellum, & Germanos ex accepta nuper calamitate molliores ad paci-

Cæſar proinde ad ſanciendam cũ Turcis pacem advertit animum.

Quæ ſibi proponebatur, & a quibus.

ci-

ciſcendum ſe præbituros. At Leopoldum ea cogitatio pacis non diu tenuit, ad arma incitatum cùm fiduciâ inſtaurati exercitus ſeverioriſque diſciplinæ, tum prope communi Chriſtianæ gentis, quæ fauſta portenderet, præjudicio. Itaque ad demerendos Sarmatas, Moldaviam Valachiamque, ſi eas armis in poteſtatem ſuam adducerent, remiſſurum promittere; ad excitandum Regem, de nuptiis ſpem dare; nihilque a ſe de turbandis Jacobo Principi, conciliandiſque Lotharingio Comitiis, quæ pro futuro creando Rege indicenda forent, dicere, cogitatum. Denique ad præcavendas rei frumentariæ difficultates; cui, pluſquam hoſti, accepta exercitus poſtremæ clades referebatur, ei expediendæ Comitem Rodulphum Rabattam præficere. Nec diſtabant a belli ſtudio celebratæ per eos dies nuptiæ inter Mariam Antoniam, unicam ſobolem a priore conjuge Margherita Leopoldo partam, Octovirumque Maximilianum Bojoariæ Ducem. Has enim ut magnanimus adoleſcens non tantùm avorum meritis ac ſplendore, ſed ſua rerum geſtarum gloria ſubmittendiſque Cæſari frequentibus copiarum auxiliis conciliare voluerat; ita ſpes erat, illas adeptum, novis officiis, quàm ſibi eſſent gratæ, confirmaturum. Quamquam, ut ut ad gnatam Octoviro deſpondendam hæc quoque Cæſarem permoviſſent; patuit tamen, data opera eum ſibi generum delegiſſe, qui ſtirpis & nominis claritate auguſti majeſtatem connubii ſuſtinere poſſet; viribus molem maximæ hæreditatis, quæ non

1685.

Verùm ad arma Cæſar ſe vertit, & qua de cauſa.

Sarmatiæ Regi mulcet, incenditque ad bellum, & quomodo.

Rabattam militari annonæ præficit.

Octovir Bojoarius nubit Leopoldi majori natu filiæ ex priori Auſtriaca Conjuge.

Quæ rationes ad eas nuptias Cæſarem illexerint.

1685. non longe abfutura videbatur, nequaquam poſſet. Cùm enim ſecundus Carolus Hiſpaniarum Rex nullos jam per aliquot annorum ſpatium liberos, ſterili junctus matrimonio, ſuſcepiſſet, nec ſuſcepturum ex corporis habitu adverſaque valetudine omen fieret; Maria Antonia ex hiſpanis legibus ab ampliſſimo tot Regnorum obeundo patrimonio propius aberat. Siquidem germanas duas ſorores habuerat Carolus, Thereſiam majorem natu, a Philippo patre Galliæ regi Ludovico nuptui datam, ſed ita ut prius cernendæ hæreditatis jure, ſi eò unquam res perveniſſet, ſe abdicaſſet; ipſique univerſus provinciarum Conventus non modò abdicandi feciſſet poteſtatem, ſed lege caviſſet, ut, qui ab ea liberi procrearentur, iis jus nullum Hiſpanici adeundi Imperii unquam eſſet. Filiam alteram Margheritam Philippus eo conſilio uxorem Leopoldo conjunxerat, ut Germanicæ Auſtriacorum Domui accepta jampridem ab quinto Carolo Auguſto ſuccedendi jura ſuo firmaret cumularetque jure. Verùm; Mortalium voluntates, utcumque caveas, impediente caſu; jampridem mortua Margherita, nulla Cæſar ex iiſdem nuptiis auctus virili prole, non parum timebat prognatis e poſteriori conjugio filiis, ne quid iis periculi offerrent materna ſororis jura, dubiamque facerent opulentiſſimi regni ſpem. Ad hanc firmius retinendam Cæſar, Thereſiæ Galliarum Reginæ exemplo monitus, eamdem a Maria Antonia jurium ſuorum abdicationem fieri, ratamque ab Hiſpanienſibus Comi-

Quomodo Leopoldi filia Bojoario nupta propius abeſſet ab hiſpania hæreditate.

mitiis & ipſo rege publice haberi; quin & eorum aſſeri auctoritate Germanæ Auſtriacæ Domus jura percupiebat. Quocirca de re occulte cum Carolo ſermonem inſtituerat; qui tamen Ludovicum non latuit; gaviſuſque dari ſibi occaſionem infenſa Delphino filio matris acta comitiorumque præjudicium reſpuendi, Fochieræ Marchionem in Hiſpaniam legavit, qui Regi diceret: agi in hoc Cæſaris poſtulato Delphini cauſam, quem una tantùm Caroli proles ab Hiſpaniæ obeunda hæreditate poſſet excludere; & cui, pro certo haberet, aliquam inferri injuriam, non ſe laturum. Intempeſtivum arduæ rei ſermonem declinavere Hiſpani, veriti ſimul atque indignati dari ſibi negotium, ſuo tantùm incommodo, nulla in præſens aliorum utilitate diluendum. Igitur comiter reſponſum Regi: non eam Caroli ætatem eſſe, (quartum & vigeſimum annum vix attigerat) non illud conjuncti matrimonii exactum tempus, ut eum non integra ſuſcipiendi liberos maneret ſpes. Pertinere ad cognatum amicumque Regem, petitum e domo ſua connubium fœcunditatis potius, quàm ſterilitatis ominibus proſequi; ipſamque prolis, optando, augere ſpem, quàm timendo debilitare. Cæſari quoque renuntiatum: non providi, ſed laborioſi hominis eſſe, in longe remotos rerum humanarum caſus cogitationem ferre; quaſi injicere ancipiti ſpei frænos valeas; ac veluti occupandis animis præſentia non ſatis ſint. Quievit Ludovicus, contentus indicaſſe, in

1685.

Cæſar ab filia ſolemnem ejuſdem hæreditatis abdicationé præmitti vult ac ratam ab Hiſpanis haberi. Occulte de re agit cum Rege Hiſpaniarum.

Ludovicus Rex in Hiſpaniá mittit ad aſſerẽdaDelhpini jura ejuſdẽ hæreditatis.

Hiſpaniæ Regis reſponſum.

Ludovico ſatis fuit, rem indicaſſe,

1685. in tempore non ſe quieturum. Leopoldus adacta Filia privatim cedere Hiſpanienſis dominatus jure, ſatis in poſterum providiſſe arbitratus eſt; nondum aperto Numinis arcano, aliò, quàm mens humana crederet deſtinaretque opinione, contendentis.

Leopoldus privatim a filia abdicationem exigit.

Finis Libri Tertii.

Liber

Digitized by Google

Liber Quartus.

PRrincipio veris, cùm undique ex hibernis auxiliares, Cæſarianæque legiones ad conveniendum moviſſent, Leopoldus rationem gerendi belli, ne poſtmodum incertis variiſque ſententiis fluctuaret, ſtatui apud ſe voluit. Convocato militari Conſilio, ejus præfectum Hermannum Badenſem omnium primum ſententiam rogavit. Is præfatus: nunquam rerum conſilia in ambiguo eſſe, ſi e nudo expromantur ipſarum rerum aſpectu, non ex abſtruſa quadam mentis vi; exercitum in duo valida corpora partiendum cenſuit. Id enim armatorum numerum, qui parum ab ſeptuaginta millibus aberat, pati poſſe; hoſtium infrequentiam ſuadere, quibus tot copias objicere ſupervacaneum foret; poſtulare Cæſaris Germanorumque bellicam dignitatem, quæ ſuperioribus ærumnis haud parum infracta, majori, quantùm, liceat cona-

Cæſar de ratione gerendi belli militares majores Duces conſulit.

Quæ fuerit Hermanni Badẽſis ſẽtentia, quibuſque freta rationibus.

1685. tu reſtitui debeat. Bipartitò diſtributis legionibus; duplici expeditione impellendum hoſtem, ut vehementius preſſus conſternatuſque cogatur pacem vel duris conditionibus petere; non enim longiùs eam differri poſſe, niſi quis velit Germaniam Gallorum arbitrio prorſus permittere, in aleamque dare. Quò verò hi duo exercitus inducendi ſint, ipſam Pannoniam, quæ in duas partes interfluente Danubio dividitur, ipſamque hujuſce belli naturam digito commoſtrare. Eſſe quippe in ſuperiori Hungaria perduellionis ſedem; in inferiori, ubi Turcarum bellum viget, perduellionis fomentum. Utrobique igitur aggrediendam; facilè, ſi mutuo auxiliorum commercio prohibeatur, perituram. Adversùs hæc Lotharingium, vice ſua dicere juſſum, ita loquutum ferunt. Timeo, Cæſar, ne quæ pro tua gloria utilitateque dicturus ſum, pro mea dicere videar; neve tuum beneficium, quod fidem conciliare accipientibus ſolet, mihi adimat. Credo enim, exercitum nullo pacto diſpertiendum eſſe; & cum in eum tuo munere imperium habeam, fortè reputabitur ita me credere, quòd cum aliis auctoritatem partiri nolim. Peto igitur, ne quis meæ ſententiæ præjudicium faciat, priuſquam intellexerit rationum momenta; quibus auditis, niſi cauſam tenuero, ſubire non recuſo eam opinionem, ut mihi potiùs quàm tibi conſuluiſſe voluerim; quo nihil turpius homini publicum gerenti munus. Tria in medium adducuntur ab iis, qui contra, quàm ego, ſentiunt:

Quæ Lotharingii, ejuſque rationes ad confutandam alteram Badenſis ſententiam.

no-

noſtrorum militum multitudo, Turcarum paucitas, militare decus. Ego verò neque elevo noſtras copias, neque hoſtium augeo; tametſi non ignarus, famam plerumque ſequi hominum deſiderium. Dico tamen, hæc eadem ſuadere, bellum uno ſolùm validiori exercitu adminiſtrandum. Nam ſi tanto, ut ajunt, hoſtem numero ac ſtrenuitate ſuperamus, ultro ille petendus eſt, non expectandus. Si in acie conſiſtat, faciatque præliandi copiam; an non lubeat plures cum paucioribus victoriæ certos pugnare, quàm æquatis viribus incertos fortunæ caſus communemque Martem periclitari? Si ſubeat arces, ſeque contegat murorum lorica; an non ad eas obtinendas contrahendæ illic nobis forent vires, ſi diſtractas haberemus; non, ſi colligere eas poſſumus, diſſipandæ? Puto equidem, ſi ad Turcas afferretur nuntius, Germanos in duas longe poſitas partes arma intuliſſe, omnibus lætitiis inceſſuros; & qui antea nobis infrequentiores de ſe timerent, animum recepturos; memores: optimum vincendi auſpicium eſſe, hoſtis fatuitatem, id, quo ſuperior eſt, dimittentis. Quò igitur hæc disjungendi copias noſtras opinio vergit? Eò nempe, ut debilitatis viribus concidamus; & quibus nunc (ſi vera ſunt, quæ de exigua Turcarum manu afferuntur) reſiſti nequit; tunc & vinci & profligari poſſimus. Non ita ſane armorum gloriæ conſulitur, ſi quæ certa manet, in diſcrimen adducitur. Quòd ſi hos duos exercitus non multùm diſtare inter ſe velint; quæſo 1685.
lu-

1685. lubens; quid modò ſentiant de duplici illa perduellionis ſede, quam, ſi evertenda foret, ſimul evertere opus eſſe arbitrabantur. Quamquam iſtud ego non moror; mox enim oſtendam, Hungaros levi negotio refrænari primùm, deinde proſterni poſſe. Id urgeo; ſi in proximo ſint, cur duobus Imperatoribus ſubjiciantur? An ut virtutem acuat æmulatio? Sæpius profectò invidiam atque odium peperit; & dum quiſque rei ſuæ peragendæ ſtudet, alterius negligit; utraque verò mutuo auxilio deſtituta, plerumque perit. Aut me longus fallit rerum militarium uſus, aut duplici ſupremo duce non bene magni momenti cœptis ominari licet. Natura documento ſit, quæ uno capite corpus; ars, quæ uno gubernaculo navem regit. Alterum ſi foret additum, non præſidio ſed damno eſſet. Nam concordia inter æquales difficilis; diſcordia ruinam adduceret. Si mei pœnitet ducis; alium, Cæſar, aſſumito. Me exauthorato potes vincere; imminutum habente imperium non potes. Si utrum velim, interroges; & mea fides & tua beneficia reſponſum referent. Hæc de agendi belli ratione. Nunc paucis, quam in expeditionem milites educendi. Audio Budam aut Neoſelium præcipuis nuncupari omnium votis. Budæ oppugnatio plus, fateor, dignitatis haberet, ſarciretque præteritæ ærumnæ dedecus. Verùm ſemel ſatis ſit, fallenti potius fortunæ benignitati, quàm militari ſcientiæ credidiſſe. Non ignoro, illud in rebus agendis primum eſſe: ne-

quid

quid temere; alterum: oblata caſu in conſilium vertere; tertium: ſi quid erratum fuerit, metu famæ errori non adhæreſcere. Hoc poſtremo documento Neoſelium propono, unde tantum re vera nobis Budam obſidentibus detrimentum fuit, arce munitiſſima a tergo relicta. Illic ſiſtendum omne prope legionum robur. Cohortes Germanorum aliquæ, paucæque turmæ firmandis Croatorum auxiliis, diſtrahendiſque Barbaris circa Dravum locandæ. Aliquæ in ſuperiori Hungaria ad retinendam ſociorum fidem, munitaque tuenda loca adversùs perduelles; quorum nihil timendum præter populationes. Cęterùm aut quieſcent mutuæ cladis metu, aut citò rependemus vices. Ne ad noſtrum vallum accedant moleſtiam exhibituri, cautio nobis erit globus ille, qui iiſdem a tergo inſiſtet, occupabitque inſidioſa itinera. Ne augeant Turcarum agmen in acie dimicaturi, facit ipſorum perſpecta ſępius in ſtatariis præliis ignavia; quamobrem, utpote periculoſi, graveſque ſociis dum pugna conſeritur, repudiabuntur. Devictis Thracibus, quorum nunc patrocinio conſiſtunt; & illi corruent; unaque victoria duplicem triumphum dabit. Puto, Cæſar, ea dixiſſe, quæ ſint e re tua, fideque mea. Vincat autem ea ſententia, quæ melius tuæ gloriæ faveat, & commoda Reipublicæ tueatur. Lotharingii dicto plauſit major Conſilii pars, movitque Cæſarem tum ejus oratio bellicæ artis & prudentiæ plena, tum ſumma viri auctoritas; cùm 1685.

Placet majori Conſilii parti Lotharingii ſentētia de Neoſelio oppugnando, & non partiendo exercitu.

1685. cùm præſertim ſuſpicio eſſet, Badenſem ex adverſo loquutum, ejus decori ob veteres contentiones inimico animo inſidiantem; & quia non dubitaret, alterum exercitum in ſpeciem Bojoariæ Duci, re ipſa Ludovico fratris ſui filio commiſſum iri; quem jam tum Lotharingio gravem virtute ac meritis æmulum deſtinabat. Re de non partiendo exercitu deliberata, Lotharingius Strigonium ad colligendas copias ſe contulit, incerto adhuc Cæſare, quò ſigna ducenda forent. Dum ea tardant auxilia, quibus longius iter faciendum erat; placuit, ne miles aſſueſceret otio, Noviogradum haud procul ſitum pertentare. Modico tenebatur præſidio, quod humili ſitæ loco urbi non fidens, in arcem, abrupto impoſitam ſaxo, adventantibus Germanis ſe recepit. Lotharingius conſpecta ejus expugnandæ difficultate illico viam rediit. Noviſſimos ordines oppidani ex arce erumpentes carpebant, conſilio irritandi hoſtem pertrahendique in inſidias, quas in hortorum prope urbem maceriis celeriter collocaverant. Nec res ab conſilio abfuit. Ala Germanorum equitum, quæ agmen claudebat, circumactis equis primò retudit aggredientium vim; mox illos, fugam ſimulantes inſequitur. Ad pugnæ ſtrepitum Rupis ad Jonam, Continiacique Principes e regia Gallorum ſtirpe cum Turonio, Commerciique Dynaſtis accurrerant, acti vivido gentis ingenio gloriæque cupiditate, quæ pro tutela Religionis dudum illos in caſtra adduxerat. Quod ubi cognitum Lotharingio, veritus (id quod res

Cum præſertim Badenſem privata cum Lotharingio æmulatione ſuam ſententiam moderatum fuiſſe ſuſpicio foret.

Lotharingius Noviogradum tentari jubet.

Sed rem difficilem deſerit.

Turcarum inſidiæ aliquot t rmis ſe recipientibus poſita.

Aliquot clariſſimorum virorum periculum.

res erat) Turcarum fraudem, tantique nominis Adoleſcentium periculum, actutum levem armaturam miſit, quæ iter periclitantibus expediret. Jam Thraces a tergo a fronte inſidias ingreſſos impellebant; & Germanis, ut in ſubita re, non ſatis ad pugnam conſtabant animi; pauciores quoque circumventique dimicabant; cùm Barbari audito inſequentium ſtrepitu, fuga in oppidum ſe proripiunt. Rem, cæteroquin parvi momenti, Principum haud leve diſcrimen nobilitavit. Interea Cæſar Neoſelio oppugnando mandata Comiti Palfio ad Lotharingium dederat. Anceps conſilium diu fecerat non ipſa rei, cui nulla præferebatur, deliberatio; ſed quia invaluerat rumor, illud fame prope interitum aut deditionem eſſe. Nec temere credebatur. Quippe Haislerus tribunus militum, cui negotium datum fuerat, diligenter per hyemem illud commeatibus interdixerat, non impedita ſolùm agreſtium vehiculatione, ſed bis ſub ipſis Novigradi Vacciæque mœnibus ingentem frumenti vim carroſque ad vecturam congeſtos incenderat. Ipſe oſtentata inopia rei frumentariæ augebat ingraveſcentis annonæ famam Mehemetes prætor, ratus ita Germanos aliò deductum iri, facta ſpe, oppidum, fame victum, brevi ſibi per otium habituros; aut ſi vellent armis uti, lenta obſidione, ut in re certa, tempus tracturos. Cæterùm, ubi primùm per id locorum hiberna cęperant, ab una parte Bojoariorum auxilia Comite Serenio duce, ab altera Cæſarianorum manus Schultio pro

1685.

Lotharingius ſuppetias mittit.

Quomodo diſcrimen explicatur.

Cæſar Neoſelium oppugnandum decernit.

Quamobrem in ancipiti fuerat.

Mehemetis præfecti aſtutia ad vitandam oppugnationem.

1685. legato; dum invicem de regionis imperio excubiiſque agendis contendunt; & eæ, ut fit, ne alter alteri morem gerere videatur, negliguntur; prætor, paganis ingenti pecunia illectis, tantam præſidiariis fecerat frugum copiam, ut per duos menſes captæ poſt non brevem obſidionem urbi ſuperfuerint. Illuc igitur ſeptimis caſtris Lotharingius legiones ducit. *Neoſelium deſcribitur.* Jacet in plano apertoque ſolo arx munitiſſima non longiùs ab dextra Nitriæ amnis ripa, quàm majores machinæ jaculari poſſint. Hexagonum refert æquis lateribus ac propugnaculis; quæ in unoquolibet angulo ampliſſima roſtrataque prominent invicem intra minoris teli conjectum. Mœnia intus firmat robuſtus agger, foris foſſa centum lata pedes, quam rivus ab ipſo adductus flumine ad ſeptemdecim altitudinem pedum inundat. Non multos ante annos adversùs Barbarorum irruptiones ab Auſtriæ Dominis excitata, Moraviæ Sileſiæque munimento fuerat; nunc poſteaquam tertio ac ſexageſimo hujus ſeculi anno in eorum venerat poteſtatem, terrori erat. *Quãtum ibi præſidium.* Duo peditum millia, ducenti equites tenebant eam; addebatque momentum Mehemetes prætor, quem longa ætas emeritaque ſtipendia illuſtrem militia fecerant; charum æque militibus comitas, dum pax; ſeveritas, dum bellum foret. Hic ubi appropinquare Germanos vidit, ut moram necteret, geminum pontem rupit, quo ripæ conjungebantur; non tamen auſus aperta vi ſe opponere tranſeuntibus. In ædibus tantùm ac maceriis, quibus

bus ripa ad aquariarum molarum uſum prætexitur, inſidias poſuit; eæque ab hoſtibus, vixdum jactis ad trajiciendum pontibus, detectæ, nulla mora diſſipatæ ſunt. Superato amne, legiones per gyrum caſtra metari, caſtellis opportuno loco munire juſſæ; nam perpetuo aggere ſupervacaneum erat, tutam ſtationem præbentibus Nitria, Danubioque, octo illinc haud longiùs paſſuum millia præterlabente. Vallis erat ad Boream Corumque vergens, parum demiſſa, tecta tamen ab oppidanorum jaculatione, hinc amnis ripa, illinc paludis margine leniter aſſurgentibus. Hanc agmen inſedit Cæſarianorum Bojoariorumque, quibus vallum ad duo oppoſita propugnacula ducendum erat, urgendaque oppugnatio. Hannoveriani, duce ipſo Reguli filio majori natu, Viennenſem portam; Suevi Strigonienſem, caſtellis oppoſitis, obſederunt. Octiduo, cum nemo vetaret, vineæ ad foſſam perducuntur; præſidiariis intra mœnia concluſis partim erumpendi difficultate (nam & pontes ad utramque portam illico incenſi fuerant) partim fiducia ſtagnantium aquarum, quæ, utcumque ſuccederent hoſtes, aditum impediebant. Machinæ ſolùm micabant, unde noctu in opus intentis rara cædes. Per otium conjuncta quoque tranſverſo aggere utriuſque partis opera, firmataque munitionibus; quarum quæ media erat, ampliſſima, octodecim inſtructa majoribus tormentis, utriuſque propugnaculi interiorem frontem; duæ in angulis erectæ, ſenis unaquælibet machinis, verberabat oppoſita eorum-

1685.

Turcæ in inſidiis locantur.

Detecti fugantur.

Oppugnatio deſcribitur.

1685. dem latera. Magna ex iis mœnium ſtrages; & ex vicenis mortariis tanta vi ædes incenſæ ac labefactæ, ut horribili ſtrepitu continuoque incendio ruere, & ardere oppidum videretur. Puerorum ac mulierum comploratione, quæ longius audiebatur; domorum ruina, corruptaque igne re familiari territos mollitoſque oppidanos Lotharingius ratus, compellari voluit, an æquis conditionibus urbem traderent. Miſſus ad foſſę labrum Nuntius ne reſponſum quidem tulit, ſubmotus telis convitiiſque: adeò ex ærumnis dolor animos efferaverat. Poſtquam vidit rem armis gerendam eſſe, cunicularios ſcaphis impoſitos ad utrumque propugnaculum adduci juſſit, qui perforatis męnibus, illatoque nitrato pulvere, ejus vi ſubuerterent ſubſtructiones, completaque ruinis foſſa viam ſterneret aggreſſuris. Quod ubi fieri cœptum, ſtabant tecti aggere milites intentis in præſidiarios ſcorpionibus tormentiſque, ne ſe ſe aperirent opus deturbaturi. Nihilo tamen ſecius repercuſſo ictu, quid rei ageretur, admoniti, in ſummam loricam proſiluere ferociores ambiguo metu. Illinc trabibus, & quicquid magni ponderis ad manus fuit, in ſubjectas cymbas præcipitatis, alteram mergunt, reliquę vulneratis foſſoribus confeſtim periculo ſe ſubducunt. Germani cùm hac non ſuccederet, alia rem aggrediuntur via. Promuralem aquam derivare inſtituunt; hoc enim præcipue munimento arx nitebatur. Alveum occludunt, quà Ni-

Lotharingius Prætorem ad deditionem invitat.

Sed fruſtra.

Digitized by Google

Nitria muros alluebat; contra, duos excavant, 1685.
qua parte ad meridiem non nihil amnis deprimitur, illuc rati foſſam ad octonum altitudinem pedum (quod libella compererant) exhauriri poſſe. Jam aqua manabat non ſine ingenti oppidanorum terrore, cùm certum inſtaret exitium breviori ſtagno. Itaque nulla mora ex occulta propioris propugnaculi porta, clam cymbis eò devecti, obtruncatiſque cuſtodiis, prę nimia ſecuritate ſomno indulgentibus, aggeſta humo rivos clauſere. Purgatis alveis, juſſi Suevi, quibus ea obſidionis pars data fuerat, diligentius frequentioribuſque ſtationibus excubare. Sed hoſtibus majori numero paulo poſt erumpentibus rurſum loco cedere coacti ſunt. Atrox ea pugna, multoque ſanguine perpetrata; fructus tamen Turcarum fuit, altiùs quàm dudum obſtructis canalium faucibus. Facti pudor ad ſarciendam injuriam Suevis animos ac vires addidit; nec quievere, niſi datâ iterum aquæ via, impeditaque hoſtibus ad occludendum. Verùm & jam quantùm poſſet, nec tamen ſatis ad agendas vineas, ſtagnum reſederat. Quocirca illud ingeſta mole ſuperare ex adverſum laceris frontibus propugnaculorum Cæſariani Bojoariique, e ſua quique parte, demum aggreſſi ſunt. Ducendo aggeri lato tricenos pedes, primùm dolia humo ingeſta e foſſæ margine demittebant. Super hæc in longum directę cylindraceę corbes, gleba & ipſæ graves, ut ſe ſe immergerent. Dein per tranſverſum prolixi faſces, quoad aquæ ſuperficiem

Aquam a foſſa derivari jubet, & quomodo.

Oppidani bis erumpentes opus impediunt.

Aqua deducta, ſed non quantum ſatis.

Agger per foſſam ducitur, qua mole atque arte.

1685. ciem æquarent; hique terra ad pedis altitudinem ſternebantur. In ſolo ſecundùm aggerem duæ trabes jacebant, diſtantes inter ſe pedes vicenos; quibus identidem e regione infixi ſemipedales cervi capreolos excipiebant, crebris longuriis conjunctos; iiſque imponebantur vimineæ crates, recentibus boum coriis protectæ. Latera tegebant loricæ, ſaccis gleba infartis conſtructæ, quibus pariter cervi fulcimento erant. Præſidiarii arduum opus ubi ſtrenue progredi conſpicantur, primùm miſſilibus ſubmovere hoſtem; deinde lembis undique erumpere, operaſque cominus deterrere; quod tumultuarium certamen mutuam nec raram cædem afferebat. Nihil tamen Germanos, laboris periculique patientes, ab opere dimovebat; & jam utraque moles prope mœnia pervenerat. Quum oppidani prima vigilia noctis, frequentes conſcenſo promurali tumulo, qua parte Bojoariorum aggeri imminebat, igniti bitumi-

E lignis congeſtus ab oppidanis uno primùm in loco incenditur.

nis ingentem vim in proxima effundunt; remotiora ſagittis inflammant. Stuppam pice, ac ſulfure illitam arundini circumligabant; quæ media accenſa cùm mitteretur, ipſo motu conceptam flammam eò inferebat, ubi configebatur. Magnum inde ac velox ortum incendium, torridis æſtivo ſole virgultis, aridaque materia; brevique momento plurium dierum opus abſumpſit. Quin & ſcintillæ, ut fit, longius volitantes quidpiam corripuere nitrati pulveris, ad tormentorum uſum non procul in apertum educti; quo quadrageni, qui aſtabant, milites

ſu-

ſublati ſunt. Turcæ ſucceſſu læti eamdem peſtem proxima nocte in compoſitam ab Cæſarianis ſtruem intulere. Et illic vehementior exarſit ignis, vento auctus; quo ferente non modò celerrime, quicquid ibi lignorum erat, voravit, ſed in vicinam munitionem baccatus, machinas arripuerat, quaternis earum combuſto carro, reliquis parem perniciem minitando. Jam jamque diſcrimen aderat, ſulfureum pulverem, qui non longe diſtabat, ingenti fragore ac ruina incenſum iri. Hoc metu, & quia tela, frequentius iſthuc conjecta ad eos arcendos, intutum faciebant locum, ſtationarii diffugerant; & flamma, nemine coercente graſſabatur. Quum Lotharingium fumus ac flamma primùm, mox inconditus tumultuantium clamor, quid illic rei eſſet, admonuit. Affuere deinde alius ſuper alium trepidi Nuncii, qui diram incendii voracitatem dicendo augebant. Dignum proinde facinus ſibi viſum, in quod operam conferret ſuam. Facto, qui circum ſe erant, militum globo, pluribus quacumque incederet perſequutis, eò convolavit. Primum illud fuit, cados abducere tormentarii pulveris; & cùm ingens rei gerendæ periculum tardaret militibus greſſum, ipſe prior incredibili auſu manum operi injecit, infuditque cæteris audaciam. Eo periculo amoto, ad eripiendas igni machinas globum duxit; factoque ab ipſis intervallo, deſedit flamma. Magnum hujuſce operæ pretium retulit eximius Imperator, famam ſcilicet invictæ er-

1685.

Mox alio in loco.

Incēdium ad machinas dilatatur maximo cum periculo.

Illuc Lotharingius accurrit.

Ingenti auſu manum ipſe admovit, torpentibus aliis, quibus ita animos addidit.

1685. erga Cæſarem fidei, martialis animi bellicæque virtutis admirationem. Cùm tamen diu ſteterit objectus nudatuſque hoſtium telis, quæ tum temporis duodecim in ejus conſpectu milites confecere, major viſus, quàm qui pro non ſummi momenti re ſe ſe, ac totius prope exercitus fortunam in diſcrimen offerret. Verùm non eadem belli, ac pacis prudentia eſt; & ubi plura ex improviſo accidunt, tutior audacia, quàm conſilium. Interea dum iiſdem reſtituendis operibus ligna e propinquo nemore colliguntur, & rurſus agger per foſſam lentiùs producitur, quippe quem majori molimine tutum, ad ſuppetias ferendas obſeſſæ urbi tempus datur. Cojerant ad Albam græcam ſexaginta haud minus armatorum millia, iiſque ſummo cum imperio præerat Ibraimus prætor. Nam tandem Mehemetis animum Selymus Viſiriorum princeps Muphtio interprete expugnaverat, ut ſibi fas eſſet, ab moderando exercitu abſtinere; cauſato, tot reliquas belli curas nonniſi ex Aula explicari poſſe; verito re vera aut ſe imparem, aut Aulicorum inſidias, ſi iis tantùm paterent Regis aures. Itaque Ibraimus audita Neoſelii oppugnatione, magnis itineribus Budam progreſſus, copias bifariam disjunctas cis tranſque Danubium adverſo flumine ire jubet. Animus erat, hoſtem ancipiti metu dubiaque mente detinere; ſe deinde e re nata conſilium capere. Rebatur enim, ſi Germani dividere & ipſi exer-

De quo auſu male audiit.

Et laudandus.

Turcæ Albæ græcæ collecti quo numero.

Cum hoc exercitu Ibraimus Seraſcherius movet ad ferendam Neoſelio opem.

Quod ejus in hac re conſilium.

Digitized by Google

exercitum ſtatuiſſent, utrobique moram atque impedimentum hoſtibus allaturi; non tanto eſſe numero, ut diviſi urgere oppugnationem poſſent; & ſi ad alterutram partem ſe conferrent, tunc ſibi liberum fore vel ultra Danubium opem obſeſſis immittere, vel citra infeſtis armis Strigonium, quod occupatum rependeret Neoſelii damnum, invadere. Lotharingius cùm primùm Thraces Alba græca moviſſe comperit, quantus eorum exercitus eſſet ſpeculatum miſit. Nam uſquedum prætoris arte ad conſopiendos hoſtes injiciendamque ſocordiam diſſeminatis rumoribus extenuatus, nunc vulgò (incertum metu, an quod ita exploratum foret) validiſſimus hominum robore ac multitudine diſſipabatur. Certior factus rem non aliter ac fama ferebat, ſe habere; & ex ipſa agendi ratione Turcarum aſſequutus mentem, Conſilium vocavit, quid ſibi in hoc rerum diſcrimine faciendum eſſet, deliberaturus. Cùm alii alia dicerent, placuit trans Nitriam amnem capere caſtris locum, circumvallare munitionibus, quæ ripam complexæ, hoſtibus aditum intercluderent, ſuis in omni fortuna tutum receptum darent; longiùs, ubi vada admonebant, collocare Hungarorum ſtationes, ſi qua turma illac tranſmittere conaretur. Statutum quoque, partito exercitu, comitem Æneam Capraram legatum cum undecim peditum, quinque equitum millibus in oppidum vi ſubigendum incumbere; cum reliquis (quinque ac triginta erant armatorum millia, ſuppleto per eos 1685.

Lotharingius ſtatuit ei cum exercitus parte obviã procedere: partẽ circa Neoſelium relinquere.

1685. dies exercitu Agrippinenſibus copiis) hoſti occurrendum, quàcumque progrederetur. Satis omnibus in hunc modum compoſitis, Nuncius advenit a Galle pro tribuno Mansfeldiæ legionis, quæ Strigonio cum mille quingentis militibus præſidio erat, urbem pridie Kal: Sextil: Turcas hoſtiliter concluſiſſe. Quippe Ibràimus pugnam cum Germanis ineundam, ſi Neoſelium ad ferendam opem penetrare vellet, averſatus, in animum induxerat, eos, tentato Strigonio, ab illa oppugnatione facilè abductum iri. Propterea juſſa copiarum parte, quæ trans Danubium prope Vacciam diverſabatur, ad ſe traduci, tenui ſolùm agmine ad fallendos hoſtes ibi relicto, veluti opitulatum Neoſelianis ituro, caſtra movit. Superato ſaltu, quo intermedii montes iter præbent, aliquas legiones Viſſegradiam, quæ in proximo erat, oppugnatum miſit; ipſe cum reliquo exercitu Strigonium petit. Viſſegradiæ Gallenfeldius Diapenthalæ Inſtructor legionis cum quingentis armatis imperitabat; qui ad Turcarum adventum ex oppido, vallo ſolum foſſaque protecto, in arcem altæ, ut jam narratum eſt, impoſitam rupi, & loco magis quàm tribus, quæ habet, propugnaculis tutam ſe retulere. Ad ejus radices agger obſidionalis erigi in clivum cœptus, & biduò ad ſuperiorem foſſam impigro labore adducitur. Nihil enim, faſces corbeſque pro vallo dirigentes, milites arcebat præter miſſilia, quibus impavidi feroceſque ſeſe offerebant. Ubi in altum perventum eſt, cuniculus agitur

Ibraimus Strigonium obſidet.

Et antea ad oppugnandum Viſſegradiam globum militum miſerat.

Viſſegradiæ oppugnatio deſcribitur.

tur ad propugnaculum in occaſum vergens, imple- 1685.
turque martiali pulvere. Eo igneſcente ruptis compagibus cavea exarſit, abripuitque ingenti ruina frontis mœnia. Illico ad arma concurſum, collatique pedes, ac diu atrociter dimicatum, cùm pro Germanis faceret difficilis aſcenſu locus, pro Turcis ſuccedentium invicem multitudo; unde labor non interruptus in pluresque diviſus, tolerabilior. Nox pugnam diremit, promiſcua nec parva cæde. Triduum, refectis interim viribus mollitoque clivo, quievere Barbari; dein prælium inſtaurant. Accepti ferociter ab oppidanis, qui per eos dies ad oram propugnaculi ſubitarium objecerant vallum; quo tecti baliſtas impunè ac frequenter laxabant. Turcæ tamen non modò pedem ſuſtinebant, ſed effuſo curſu erigentes agmen, locum ſubjerant, ſariſſis tanto impetu ſubmoventes hoſtem, ut eo nonnihil impulſo jam ipſi in aggerem proſilirent; cum Gallenfeldius ſuos paucis hortatus, haſtile inter primos ordines vibrans, reintegrat pugnam. Exemplum ducis partim pudore, partim ne inulti caderent, imitati omnes tanto conatu irruerunt, ut ſe tenere hoſtes nequiverint. Recedentes, pyrobaliſtis confoſſi, operuere cadaveribus ſolum. Nec præſidiariis incruenta fuit ea ferocia, pluresque cecidere. Quapropter dum in unum collecti aſpiciunt, accepto ad reſpirandum ſpatio, paucos integro adeſſe corpore, reliquos & ipſum præfectum vulneribus debilitatos; quin & ſubterranei motu ignis, unicum

1685. extinguendæ ſiti ſubſidium, ciſternæ aquam (nam jugis deeſt) limo corruptam, de paciſcendo cum hoſtibus decrevere. Accepta fide, cum omni militari decore ſeſe abituros; poſtridie centum triginta, quot ſolùm ſupererant ſextodecimo oppugnationis die illæſi ad ſuos deducti ſunt. Turcæ, præſidio arci impoſito, cum reliquo & ipſi exercitu ſe conjungunt. Percrebreſcebat enim, Germanos appropinquare. Quæ dum iſthic geruntur, Ibraimus Strigonio admoverat ſigna, nulloque milites protectos militari vallo (una enim celeritas proſperi eventus faciebat ſpem) ſuccedere juſſerat ad foſſæ labrum, qua parte mons D. Thomæ ſacer imminet inferiori oppido. Nam illuc ex arce, ex ipſoque monte, utpote prælto vertice, incerta ac difficilis jaculatio. Cùm oppidani intra mœnia ſe continerent, vix ad tuendas munitiones idonei, nullo impedimento quatuor cuniculi aguntur ad eas ſubruendas; nudataque per id locorum urbe, Turcæ accelerato greſſu ſeſe in foſſam dejiciunt, patentes aditus occupaturi. Stetere ex adverſo Germani hiſtricem atque arma objicientes, & cùm e tranſverſo majoribus tormentis nequirent vibrare jacula, anguſtis ad id propugnaculis, ſæviebat ſolùm in fronte pugna minori cæde ac periculo; unde hoſti majores animi, obſtinatiorque vincendi ſpes. Hæc demum fracta incendiariis ollis, quæ in confertum agmen projectæ e pinnis murorum, primùm frequenti morſu ciere turbas, mox illud confuſis ordi-

Oppidum Præſidiarii hoſti cedũt, & quibus conditionibus.

Strigonii oppugnatio deſcribitur.

di-

dinibus diſſiparunt. Hora erat octava diei, & oppidani rei periculo distracti, corpora nondum cibo curaverant. In id per domos diſperſi, citò e menſa ad aggerem revocantur. Nam cùm Turcæ instructo iterum agmine repeterent aperta loca, e ſtationibus datum ſignum, ad armaque conclamatum. Ferox ac diuturna ea quoque pugna, recentibus Barbaris; ira, tædio moleſtiarum exaſperata, feſſis præſidiariis augente vires. Et hæc manualibus incendiariis ollis dirempta; quo telo nullum tunc melius urbem tutatum eſt. Noctu tumultuario vallo obſtructæ murorum fauces; ſed eas oborta luce murales iterum machinæ aperuerunt. Nec mora irruere Thraces, obſtinati, aut tranſgrediendo mœnia, aut prodigendo vitam, ducum, qui aderant, inſanam rabiem exaturare. Verùm quò major impetus, eò plures obtruncabantur. Fœda, quæ in conſpectu erat, ſtratorum corporum ſpecies reſtinxit tandem Barbarorum ardorem, deditque mentem, ut ſe referrent; non ita tamen ut, fremente Ibraimo mortemque regreſſis minitante, non ſe ſe rurſus in diſcrimen obtulerint; &, quantum furoris conferre ſolent irritati ex iniquo imperio in deſperationem animi, non exeruerint. Pari tamen ſucceſſu cumulataque cæde, quamquam & præſidiariis nece, vulneribus, aſſiduoque labore vehementer conſumptis ac debilitatis. Itaque frequentibus nunciis Lotharingium obteſtabantur, ne ſe diutiùs ope orbatos in incerta Martis permitteret. Is VII. Id. Sextiles ab Neoſelio cum 1685.

Præſidiarii a Lotharingio auxilium implorant.

cum

1685. cum ea, quam conſtituerat, exercitus parte in viam ſe dederat. Fuerunt quinque & triginta, ut diximus, armatorum millia, præter equeſtres quadragenas centurias Hungarorum Croatorumque. Ire militari ordine, ut in ſuſpecto loco, exercitum juſſit. Duo agmina fecit; in duas agmen acies diviſit, mixtis utrobique Cæſarianis ſociiſque. Equitatu exteriora agminum latera protexit; interiora, modico ſpatio disjuncta, peditum alternis auxiliis patere voluit. Ipſe dextrum agmen ducebat, magiſtro ibi equitum Ludovico Badenſium Principe, majoribuſque præfectis Comite Dunevaldo pro legato, Comitibus Taffio, Stirhaimoque Inſtructoribus; peditum ductore Valdechiæ Principe, Fontano Inſtructore. Siniſtro agmini præerat Maximilianus Octovir, Bojariæ Dux, quem vividum & gloriæ cupidum ingenium ab auguſta conjuge in caſtra dudum adduxerat, teſtatum, eas acturum ſe partes, quas Lotharingius dediſſet; cum ipſoque officiis & benevolentia, non de imperio atque auctoritate decertaturum. Tenuit promiſſum, illuſtrior hac moderatione animi, quàm ſuprema exercitus poteſtate; adeo in omni fortuna nihil virtute majus. Ei ad regendum equitatum dati majores duces Rabatta, Palfius, Mercius; ad peditatum Comes Serenius, quem miſſis ab ſe auxiliis præfecerat, aliique ſociorum præfecti, ea in exercitus parte agmen augentium. Hoc ordine binis caſtris Danubii ripam ſubiere; quo, duobus injectis pontibus, ad Comaram ſuperato, quinto die,

Lotharingius iter in id aggreditur.

Quo ordine procederet exercitus

Ipſe dextrum agmen ducit.

Bojoarius, qui ad exercitum venerat, ſiniſtrum.

Nulla cum Lotharingio de imperio contétione.

qua-

quatuor ab Strigonio paſſuum millia, caſtra ponunt. 1685.
Ibi Lotharingius a Galle præfecto certior factus, Turcas ad Germanorum adventum obſidionem ſolviſſe, miſſiſque Budam impedimentis iter ad proximæ vada paludis arripuiſſe, primùm omnium, quingentis militibus bellicoque apparatu ex adverſa ripa ac Barchami deinde ponte in oppidum transvectis, illud, ſi fortè hoſtis rediret, confirmari juſſit. Explorato, ubi caſtra metati forent, auditoque illa ab fronte ſtagnum, ab dextra Danubium, ab læva ſylvoſos montes, ab tergo tumulum, ubi majora tormenta ad longiùs jaculandum locaverant, habere; timuit, ne loci munimento tutus majorem exercitus partem traducto flumine ad liberandum Neoſelium mitteret. Anxium quid conſilii caperet, Sarmata quidam, deſertor jamdudum Chriſtianæ Religionis, nunc etiam Barbarorum militiæ, ab fluctuatione animi ad certum egregiumque propoſitum revocavit. Retulerat enim, Ibraimum Imperatorem, per exploratores admonitum, non amplius viginti millibus conſtare Germanorum exercitum, ſtatuiſſe, modico præſidio in caſtris relicto, cæteriſque legionibus brevi itinere per occulta vallium circumductis, illum a tergo invadere; nec dubitare, quin levi negotio deleri poſſet; quippe qui ex eadem loci natura (nam & ipſe ad paludem conſtiterat, Danubioque & ſaltibus contegebat latera) nulla parte evaſurus eſſet, a tergo incluſus. Falſam opinionem in ejus perniciem vertere Lotharingius ſtatuit; ratus, ſi

Turcæ Strigonium deſerunt, & obviam Germanis procedunt.

Lotharingius novo milite Strigonium primò firmat.

Turcæ loco munitiſſimo caſtra locaverant.

Lotharingius ſimulãdo recedere, hoſtem fallere decrevit, & quomodo id geſtum.

1685. ſi pedem referret, metu id fieri, hoſtem reputaturum; traducturumque cis paludem extraque inexpugnabile vallum legiones, ut carperet recedentium agmen; eliceretque ad pugnam; aut ſi in fugam ſe daret, occidione occideret. Res in Conſilio propoſita cunctis e militari ſagacitate viſa eſt; quamquam initio Bojoarius horreret cedendi nomen. Conſenſit tamen, certior redditus, bellicam virtutem exitu judicari. Primo veſpere milites curare corpora, ſecunda vigilia noctis vaſa colligere, eodemque, quo venerant, ordine lento gradu redire juſſi. Id ubi Thracibus cognitum (in proximo quippe ſtabant brevi æſtuario intercedente) prætor e concepta imbellicitatis hoſtium opinione rem arbitratus, extemplo ſigna convelli, &c, quà palus per anguſtas ſemitas aditum aperiebat, omnem exercitum Germanos inſequi, hærere veſtigiis, ne ſe ſe illi e conſpectu eriperent, imperavit. Tria Lotharingius proceſſerat paſſuum millia, quum ab excubitoribus, quos in id frequentes reliquerat, haud procul inde abeſſe Barbaros comperit. Illico ſiſtit agmen, obvertit legionum frontem, per eaſque diſcurrens hortatur. ut, cùm educendo in apertum hoſte bene ſibi res ceſſerit, videant, ne ipſi pugnando virtuti deſint. Fortè nebula campis ſederat e ſtagnis orta, adeo denſa ut conſpectum vel prope adimeret. Ea fecit, ne prius errorem ponerent Turcæ de hoſtium numero, quàm ſibi tranſgreſſis paludem nullus foret amplius receptui locus. Ubi Sol caliginem diſſipavit, facilè di-

Turcæ, rati Germanos pugnam detrectare, e munitiſſimo loco egreſſi, illos perſequuntur.

Lotharingius ſiſtit agmen, ad pugnã ſe comparat.

di-

dicere, quam in aleam ſe dediſſent; non tamen animos deſponderunt; ſed extimulante ferociam neceſſitate, ſublato ingenti clamore præcipites in dextrum cornu permiſerunt equos. Germani ſtare juſſi ac denſare ordines, veſanum impetum excepturi; nec prius laxare pyrobaliſtas, quàm dato ſigno. Vix ad telorum conjectum perventum erat, cùm ſua Thraces immittunt; ſed ictus ab hoſte, errante, dum currerent, manu, procul abiit. Illi paullum cunctati, quoad Turcæ interiores fierent, tantam e ſcorpionibus majoribuſque tormentis minutæ glandis procellam effundunt, ut, ſtratis humi, qui ſe priores obtulerant, reliqui, priuſquam recrudeſceret nimbus, circumflectentes curſum periculo ſe proripuerint. Recedentes immiſſa levis armatura jaculis carpebat; qua moleſtia Thraces irritati circumagunt frænos; & cùm illa in gyrum citatis equis protinus ſe ſubduxiſſet, Barbari rurſus dextrum cornu, ſimulque alii ex altera parte lævum adoriuntur. Utrinque miſſilibus ſubmovebantur; quorum nullum incaſſum cadebat, diligenter ac ſtante acie vibratum. Interea Turcæ, caſu an conſilio, ubi vacuus inter duas Germanorum acies patebat campus, in unum coeunt, miſcent turmas; & dum peditatus inferret ſe lento gradu; pars adverſi, pars obliqui unum invadunt dextrum cornu, ubi Lotharingius aderat. Is, barbaricum equitatum conglobari viſo, & quid in animo haberet, ſuſpicatus, frontem pyrobaliſtis duplicat; Dunevaldum legiones e ſubſidiis

1685.

Pugna initur, eaque deſcribitur.

1685. actutum educere, peditatu extenuatum a tergo agmen quadrare, equitatu interius latus armare jubet. Irruère Barbari abalienatis ab horrore periculi animis; & cùm in unam aciem tota incumberent copiarum mole, vix erat, ut ferox impetus cohiberi poſſet; niſi frequentiſſima jaculatione dum primi quilibet conficiuntur, alteri ingenito naturæ motu paullum reſtitiſſent inhibuiſſentque frænos. Conabantur tamen, ut ad gladios venirent; quo pugnandi genere ut peritia ita & viribus plus valebant. Magnum ſane dextro Germanorum agmini diſcrimen aderat; quum Bojoarius lævum cornu tranſverſum movit. Clamor a tergo auditus Barbaros conſternavit, ratos ad utramque pugnam minores eſſe; quum præſertim in ipſo tumultu diſſolviſſent ordines; & prætor brachium telo ictus, dolore an laſſitudine, haud parum averterat animum a re præſenti. Itaque miſſo prælio arreptaque fuga per paludem, quâ venerant, prima repetunt caſtra. Palus fugientibus ſaluti fuit; non auſis Germanis, hoſtem inſequendo, ignotam ingredi. Stetit Thracibus ea pugna cæſis duobus non amplius armatorum millibus, quadringentis captis; quippe eminus tantùm, nec diu pugnata, proximo quoque in tutum receptu. Venerunt in Cæſarianorum poteſtatem tres ac viginti majores machinæ, militaria ſigna quadraginta, non parum bellici commeatus, vix quinquagenûm ſuorum cæde. Turcæ ea nocte in caſtris morati, poſtridie incompoſiti Budam ſe retulere; verito prætore

Turcæ fuga ſe ſubripiunt.

Quanta in ea pugna utriuſque partis cædes.

tore, ne hoſtis per adverſam Danubii ripam, traje- 1685.
cto deinde ad Parchamum ponte, Strigonium traductus (quod oppidum ſibi a tergo erat), reditu in- *Budam repetunt.*
terclufo, caſtra obſideret. Dum iret, Viſſegradiæ præſidium ſecum abduxit, deletis munitionibus, ne ſibi negotium faceſſeret, ſi in hoſtium, quibus in propinquo erat, poteſtatem concederet. Inter hæc Æneas Caprara duxerat vineas ad Neoſelii mœnia, *Neoſelii oppugnatio ab Caprara urgetur.*
nudaveratque aditum ad duo propugnacula aſcenſu leni magnaque murorum ſtrage. Re ipſius literis Lotharingius comperta, ne quid, ſi præſens adeſſet, legato gloriæ præriperet (ut qui ſuæ ſatis habent, moris eſt) juſſit uno ejus auſpicio impetum in arcem fieri; renuntiata prius tamen Mehemeti prætori ſuorum clade, ſi fortè ea motus, incruenta deditione præſidiariis cautum mallet. Miſſo, qui de re ſermo- *Præfectus ad deditionem invitatus ferociter reſpondit.*
nem faceret, ſuperbe reſpondit: Urbem ferro ac vi, non vanis terroribus capiendam eſſe. Dein paucis oppidanos, vultu & ſermone ad ſpem conformato, *Ejus ad Præſidiarios oratio.*
eſt adhortatus, ut ſuæ virtutis, non objecti periculi meminiſſent. Stare ante ipſorum oculos Budam, ſuperiore anno atrociter concuſſam, feliciter propugnatam. Quæ non illic intentatæ præſidiariis minæ, quæ non propoſita, ſi obniti pergerent, vincula, tormenta, mors? Hæc ſi auſcultaſſent invicto animo viri, corruiſſet Othomanici Imperii propugnaculum, nec tanta eos gloria tantaque præmia conſequuta forent. Cæterùm ſe non reputare ſubituros hoſtes, & ad extrema venturos. Quippe longa

1685. expertum ætate didiciſſe, non ita propere cum iis conſeri pugnam, quibus rerum deſperatio ferociam ac vires addit. Quamquam ipſis non deſperatione, ſed certa vincendi ſpe ad certamen & ad vindictam obdurandos animos eſſe. Mille & ducenti, ajebat, adhuc ſumus, ſatis pro numero, nedum pro ſtrenuitate ad repellendos hoſtes; & fracta propugnacula interiori vallo ac foſſa circummuniuntur; quò, ſi fortè impellamur ab extremo aggere, pedem tutò referre poſſumus. Interim ferendis auxiliis tempus dabitur; quæ brevi negotio per tot jam feſſos laboribus huc appellent. Quòd ſi fata ſequi humanæ mentis conſilium negent, magno ac forti animo fata impleamus. Illa quin ſtrenue oppetamus mortem, vetare nequeunt. Itaque ſi moriendum, glorioſum nobis erit pro religione mori, gratum pro libertate, jucundum in hoſtium interitu & patriæ funere. Dictis tenui ſubmiſſoque murmure annuere milites; manifeſto indicio, ingratum ſibi eſſe in ultimum diſcrimen adduci, ſed pudore victos morem gerere. Germani ad obtinendam vi urbem ſe compararunt. Duas inſtruunt acies, utrumque propugnaculum, quà arietando viam fecerant, ſubituras. In utraque mille quingentos locant, ſubſidiarios mille. Dexteram ducebat Baro Aſtius pro tribuno, ſiniſtram tribunus Kalletetus; Comes Scaſſembergius pro legato ſummo cum imperio præerat rei gerendæ. Ubi illuxit, majoribus tormentis diſſipant vallorum ſæpem, qua noctu paten-

Ordo ultimæ aggreſſionis a Germanis inſtitutus.

tenteſ hiatus occluſerant; & rudera ad faciliorem aſcenſum denſaverat imber per plures horas continuò effuſus. Dato ſigno, quicquid muralium machinarum pro vallo erat, laxatum, ut fumus aerem occuparet eriperetque hoſtibus lucis uſum. Fortè caliginem levis aura ad urbem ducebat, qua Cæſariani in tempore tecti in ſummum clivum incolumes evaſere. Illinc, vixdum telis petiti; quæ in incertum, & trepidis (nam pavor oppidanos inceſſerat) contorta manibus, paucorum corporibus adhæſere; in altum proſiliunt, collato pede pugnam inituri. Sed jam Turcæ ſe ſubripuerant conſcendebantque interiorem aggerem, vitam ſublato deditionis vexillo, ſi nihil aliud obtinere poſſent, orantes. Fruſtra obteſtabantur, & Germani tergo inhærebant, ferociter exprobrantes monſtratam dudum ſuperbiam rejectaſque conditiones. Vallum tranſgreſſis occurrit Mehemetes prætor raro comitatu. Hunc, animo potius quàm ſenili obluctantem corpore, ſtatim obtruncant, tumulantque oppidanorum ſtrage. Inde in urbem decurrunt, nulloque inermium armatorumque diſcrimine, obviis promiſcue jugulum hauriunt; & patuit quidem, intempeſtiva Turcarum ferocia irritatos animos una tantùm cæde exaturari velle. Non ſexui, non ætati parcunt; igne ac ſanguine prædam corrumpunt. Quadringenti Janizari in ultimum propugnaculum ſe receperant, obtentiſque armis vitam, quam cariùs ſibi eripiendam oſtentabant, deprecabantur. Surdus ad hæc Germa-

1685.

Ejus progreſſio.

Exitus.

Prætor occiditur.

Oppidum vi a Germanis in poteſtatē redigitur.

In victos ſævitū.

1685. manus undique ruit; compulſoſque in ulteriorem angulum ferro ad unum omnes trucidat. Pauci, qui nihil morati præcipites e mœnibus ſe dederant, immiſſo equitatu pariter confoſſi. Ducenti, in iiſque pro prætor, falſæque religionis Antiſtes, reliqui plerumque fœminæ ac pueri, qui latebris effugerant victoris iram, cùm ea deferbuiſſet, ſervati ſunt. Ad ſex millia corporum neci data. Cæſarianorum in eo conflictu ſuperandiſque mœnibus deſiderati haud plus quinquaginta; per totam oppugnationem pauci præter mille. Undecim ſupra centum repertæ murales machinæ; ſatis ad duos menſes frumenti; bellici haud minus apparatus ad omnem vim propulſandam. Lotharingius biduo poſt captam urbem ad Capraræ laudem Neoſelium venit; juſſoque, purgandis ruderibus inſtaurandiſque munitionibus dari operam, ad exercitum rediit. Ibi comperto, per Budæ pontem in ſuperiorem Hungariam Turcas ad triginta millia Danubium tranſgreſſos prope Vacciam poſuiſſe caſtra, eò movit, acie conflicturus. Nam Budam Ibraimus Imperator fuga tranſvectus, qui ducum primi deſeruerant Strigonienſe prælium, ſecuri percuſſerat. Mox ad colligendas undecunqne diſperſas legiones, quotquot, ut fit, non diſſipaverat inconſultus pavor, intenderat animum; collectaſque ſacramento adegerat, ſecum Neoſelio nullis detentas difficultatibus opitulatum ire. Et jam Novigradum præmiſerat, qui arcem dudum incendio labefactatam reſtituerent, mu-

Pauci captivi.

Quanta Cæſarianorum ſtrages.

Quæ præda.

Lotharingius iterum contra Turcas movet.

Qui prope Vacciam caſtra locaverant.

Ut Neoſelio opitularentur.

munirentque locum, ab Neoſelio non longe ſitum & in itinere. At certior factas Neoſelii potitos hoſtes, victoremque exercitum ad ſe perduci, mutato conſilio Noviogradi mœnia, egeſtis commeatibus atque omni re bellica, ſolo æquari; Vacciam flammis deleri juſſit, ne copias vix ſatis nobilioribus tuendis oppidis, diſtraheret abſumeretque. Ipſe præmiſſis impedimentis, ubi hoſtem propinquare intellexit, cum omni exercitu, ſuperato rurſus amne, Budam trajecit. Inde vitæ ſuæ, nec temere, metuens ex armorum infelicitate, Achmetem quemdam, cui ſervitus, pretio dudum exuta, Germanorum aliquam notitiam fecerat, cum literis ad Lotharingium miſit; ratus, ſi pacem æquis conditionibus ſuadere poſſet, bene ſibi ac Turcicis rebus conſulturum. Rejecta ad Cæſarem pacis mentio; nullo reſponſo Nuntius dimiſſus; quem deinde uno aliove obtentu paucos intra dies quartùm regreſſum, quum continuò de reintegrandis induciis ſermonem inferret, Lotharingius abire juſſum monuit, ſuo tantùm periculo rediturum. Ita e re viſum, ne per iterati colloquii ſpeciem Turcæ, metu jam prope tumultuantes, ſpe reconciliandæ cum Germanis gratiæ ſedarent animos; ejus Cæſar Fœderatis ſuſpicionem faceret. Ibraimus, cum parum in rem ſuam conſilio proficeret, videretque, Germanis jam Vacciam progreſſis non eum bellicum apparatum eſſe, quo Budam tentare auderent; hac, Albaque regali (quæ non longe poſita, ſi viribus deſtitueretur, facile ad op-

1685.

Audita Neoſelii deditione Budam repetit prætor.

Ad Lotharingiũ mittit de pace ſermonem inſtituturus.

Nuncius rejectus & quare.

Ibraimus firmatis præſidio oppidis.

Murſam cum exercitu ſe recepit.

1685. oppugnationem hoſtes illexiſſet) validiſſimo firmatis præſidio, cum cæteris copiis Murſam diſceſſit. Illuc enim Leslæus Brebi, quam nunc Uranitiam vocant, diſcedens, cum tribus Croatorum millibus, Germanorum peditum ſeptingentis, octo ſagittariorum equitum centuriis, loricatorum decem, Michaelopoli, dum iret, in deditionem accepta, magnis itineribus venerat. Hic prope Murſam Poſegæ præfectum cum valida manu obviam habuit. Trifariam diviſo agmine, latiſſima quàm potuit fronte hoſtem invaſit; qui primo impetu fuſus fugatuſque, parva tamen cæde, (quippe ex itinere feſſis ad inſequendum Germanis) terga dedit. Ipſe admotis ad Murſam legionibus oppidum, vacuum milite, obtinuit incenditque; ab arce, in quam plures a pugna ſe conjecerant, utpote non ſuarum virium, abſtinuit. Verùm ad inſignis expeditionis, & facinoris laudem acceſſit igne haud modica ex parte abſumptus ſublicius pons; quem illic ad traducendas commodius copias & commeatus Solymanus Turcarum Principum maximus, dum propinquum obſideret Sighetum, Dravo atque alluentibus prope ſtagnis per quingentos ſexaginta ſupra octo paſſuum millia, quindecim haud amplius dierum ſpatio, impoſuerat magnifico ſumptuoſque opere, potentiæ atque animi ſui, nunquam non excelſa meditantis, monumentum. Agros deinde late depopulatus, gravem præda militem, cùm iter Ibraimus acceleraret, Brebim reduxit. Per eos quoque dies Herbe-

Leslæus in inferiorẽ Pannoniã exercitum ducit.

Turcarum globũ cædit ac fugat.

Murſam occupat. arce dimiſſa.

Celeberrimum pontem incendit.

Cum magna præda Brebim redit.

beſteinus Carolopolis præſes expedito agmine ad vaſtandos hoſtium fines perrexit. Prædæ undique actæ, cuicumque felici arbori ſegetibuſque ferrum ac flamma illata. Simul ex alia parte Comes Erdodius Croatiæ proprætor popularium cohortes in Boſniam trajecto Savo prædatum duxit. Secus Unnam fluvium progreſſus, Dubitzam caſtellum vi captam igne delevit. Agreſtes oppreſſi malis, graviſſimiſque ærumnis exagitati ad provinciæ præſidem confugiunt atque arma capiunt. Eos in aciem eductos Croati fortiſſima gens primo impetu fugant; fugam cædes inſequitur. Ingentes manubias victores domum retulere. Interea Lotharingius poſtquam cognovit, nobiliora trans Danubium Turcarum oppida egregie inſtructa ſuis viribus ſatis confidere, & hoſtem, eam plagam tutaturum, ad Dravum ſucceſſiſſe; ne tantus exercitus, quem ſecum habebat, reliquum æſtatis otio tranſigeret, illum dividendum, bellumque per plures acuendum Hungariæ partes propoſuit. Placuit Cæſari non minus animus, quàm conſilium Ducis, non privatum ſed publicum decus atque utilitatem cogitantis. Itaque Æneæ Capraræ legato decem armatorum millium datum agmen, quo ſitam in ſuperiori provincia, ubi Schultius parva manu, quamquam ſtrenue, rem gerebat, perduellionis ſedem everteret. Legiones aliquot Palfii auſpiciis, nam Leslæus morbo detinebatur, ad veteres copias contra Ibraimum adjectæ. Aliæ duce Mercio pro legato Agrienſem prætorem, ne vi-

1685.

Ingentes a Germanis ex Sclavonia & Croatia præda acta.

Lotharingius exercitum diviſum in diverſas partes dimittit.

1685. cinis perduellibus auxilia ſubmitteret, cohibere, & circa Tibiſcum vagari juſſæ. Mercius infeſto agmine iter ingreſſus, Onothum primò a Turcis deſertum, mox Eſchiedum cum ducentis præſidiariis in poteſtatem acceptum, ſtatim deinde Zolnochum in Tibiſci ripa ad Zagivæ confluentem tenuit. Hinc prætor metu captus abierat cum quingentis militibus, quamquam arx muro, oppidum vallo ſæptum plures dies (& hyems jam appetebat) remorari exercitum valuiſſet. Ponti, decedens, ignem injecerat, ne hoſtis tardum impeditumque re familiari agmen præciperet. Se ſe jam jam inferentibus Germanis oppidani portas aperuerunt, ſimulque ad extinguendum pontis incendium, illumque novis aſſeribus inſternendum materiam atque operam contulere. Quo facto immiſſi equites citato curſu hoſtem aſſequuti, ducentorum hominum, qui fugiendo bellandoque impares, poſuerant arma, omniumque ſarcinarum prædam adepti ſunt. Cùm obſecundaret fortuna, ad S. Nicolai Fanum, Seravatiumque progreſſi, Turcis ignaviter recedentibus, utrumque ſtationibus ad muniendam hibernis oram occuparunt. Zolnochum, Onothi, Eſchedique tormentis bellicoque apparatu inſtructum, omnemque circùm regionem peditatus inſedit. Hatuanum, unde Buda Agrienſibus aperiebatur, paullo ante validiore confirmatum præſidio, incaſſum tentarunt. Schultius non multò hinc longe Eperias per eos dies coegerat ad deditionem. Oppidum cohortes aliquot Hungarorum

Mercius plura in poteſtatē redigit oppida circa Tibiſcum.

Ibi legionibus ſuis Hiberna dedit.

Schultio Eperiæ deduntur.

rum Germanorumque Tehelio tutabantur. Cives Cæſari præter modum infenſi, quos magnam partem e Lutheri ſecta ſuorum Sacrorum Antiſtites acuebant, in omne armorum diſcrimen ſeſe offerentes augebant præſidii robur. Sæpius, ut clementiam quàm iram Cæſaris experiri mallent, invitati adeo iracunde reſponderant, ut impuniti, pluſquam armis, exemplo nocuiſſent. Quamobrem Schultius caſtellis ſtationibuſque aditu ad urbem obſtructo (quippe non aliter exigua ſuorum militum manus patiebatur) vineas ad foſſam agere inſtituit. Ea ſuperata, ac muralibus machinis aperto latere triquetræ munitionis, qua interiores muri protegebantur, illuc Germani facto impetu, repulſi ſunt. Non minuit ingens & promiſcua cædes utriuſque partis animos. Poſtridie ferociores ad pugnam redeunt; quæ cùm diu alternis vicibus fluctuaſſet, deſeruere tandem oppidani locum, intra mœnia compulſi. Et hæc veteri ſtructura, vixdum verberari cœpta, ingenti ſtrage corruerunt. Anxii cives, ne illinc patriæ malorum extrema impenderent, inducias ad conſulendum, facta ſimul deditionis ſpe, obteſtabantur; rati tempus ad opem ab Tehelio accipiendam lucraturos. Juſſis actutum tranſigere, pactiſque ſibi veniam, prioraque jura, & immunitates; Germanis eoſdem a Cæſare militiæ ordines, menſtruique ſtipendii congiarium; Hungarorum cohortibus, quò vellent, abire; dum præcavendis injuriis aperiendiſque portis quidpiam cunctantur, præſidiaria

1685.

Acriter prius oppugnata ac defenſa.

1685. Germanorum cohors alteram illarum occupavit. Vocatis, qui foris erant, utrique ad diripiendam urbem ſe contulere. At Schultius ſedato tumultu compreſſaque militum licentia fidem tenuit. Civibus arma ſolùm ademit, ne poſſent iterum rebellando in patriæ perniciem ruere. Reliqua in tuto e fœderis lege eſſe voluit. Interim Æneas Caprara cum eo, quod diximus, decem millium agmine Caſſoviam venerat. Spe ducebatur, territam præſenti Cæſarianorum felicitate ſponte ceſſuram, uti dudum Tochæum, Kalumque. At falſus animi. Præerat oppido Bathnaſius Tehelio fidiſſimus, recenſebatque ſub ſignis longa expertos militia ducentos Germanici nominis, Hungarici quadringentos. Arx ibi rebellionis erat civium potervitate, oppidi claritudine, ac munimentis. Cùm in eo retinendo ſumma perduellium res ageretur, affluebat re militari & commeatuum copia. Præſidiariis quoque faciebat animos anni tempus ad hjemem vergens, certaque auxilii a Tehelio ſpes. Solicitati ad deditionem nihil pacati reſponderunt; quare vi tentandam Æneas cenſuit. Ad foſſæ labrum legiones nullo tectas militari aggere, illico admovit, expeditiſque tormentis mœnia concuti, ſaxis olliſque incendiariis tecta lacerari juſſit. Verùm frequenti jaculatione & ſæpius erumpentibus oppidanis infeſtum locum aggere & caſtellis munire, Germanis opus fuit. Operibus intenti omni miſſilium genere divexabantur; patebatque, oppugnationem aſpe-

Urbs aliquorum fraude partim diripitur.

Caprara Caſſoviâ obſidet.

Probe munitam, inſtructamque re militari, quippe magni momenti.

Oppugnatio parū procedit.

peram & diuturnam fore. Quum repentè nuntius 1685.
affertur, Tehelium Adrianopolim duci catenis vinctum. Nam audita Eperiarum deditione, Caſſoviæque periculo, ſubjerat illum atrox cura: ſi hanc quoque auxilio deſtitueret, æque ſe a Turcis & popularibus contemptum iri inopia virium conſiliique. Quocirca ad opem ferendam collegerat, unde in promptu fuerat, ſuorum turmas; ſed gravi armatura ac peditatu, quibus inſtabilem ipſorum aciem firmaret, opus erat. His exorandis Agriam perrexerat. Vocato in colloquium prætore (nam arci ob improſperam fortunam, quæ apud Barbaros criminis loco eſt, non ſe permittebat) paucis expoſuit: ſi Caſſovia in hoſtium poteſtatem redigatur, penitus concidere Hungarorum conjuratorum fœdus, quod præcipue hujus oppidi exemplo, munitionibus, opportunitate foveatur. Soluto fœdere & compreſſa conjuratione, quæ tantam Pannoniæ partem pervaſerit, in ſeque intentas occupaverit haud modicas Cæſarianorum copias; quis non videat, totum armorum pondus in Turcas traductum iri, & horum quantum interſit, hoſtem circumquaque moleſtiis obruere; ne, cui diſtracto vix pares ſint, omnes colligenti ſuas vires promptius cedant. Non eſſe autem cur, in hujuſmodi expeditionem leviter attenuando præſidio, metuat Agriæ, quam inſtans anni tempus, & quæ reliqua ibi maneret militum multitudo, facilè tuerentur. Ut ut verò diſcrimen aditura foret, quis non æqui bonique duceret, levi ja-

Tehelius milites cogit ad opem illi afferendam.

Milites ab Agriæ Prætore petit, nec obtinet.

Tehelii rationes ad eas exorandos.

Digitized by Google

1685. jactura cohibere ingentem ruinam, & lucrum ex damno facere. Hæc tametſi vera diceret, repulſam tulit. Nam Viſiriorum princeps Selimus ex Ibraimi ſententia jam antea conſtituerat, deſertis Hungaris ac Tehelii victima piare culpam violatæ adverſus Cæſarem fidei, pacemque aut fœdus reconciliare. Mandaverat proinde majoribus per ea loca urbium præfectis, ut illum nullo ſtrepitu in plagas ductum retinerent. Eas Agriæ, caſu an aſtu cùm evitaſſet, Varadinum profectus, ſibi non ſatis cavit. Prætor enim libenter & ſæpius ex arce in apertum progreſſus loquendi cauſa, quantumque exoptaret militum pollicitus, ea facilitate incautum reddidit. Sub ipſum expeditionis tempus ad convivium intra mœnia invitatum, &, ægre licet, ingreſſum, ne diffidentia aut ruſticitate ejus a ſe animum, quem benevolum arbitrabatur, abalienaret, in vincula conjecit; fruſtraque hoſpitii jura ſanctaſque amicitiæ leges obteſtantem ad Viſiriorum maximum duci juſſit. Id ubi perduellibus cognitum, cunctis illico cecidere animi, ac veluti atrociſſima correpti clade (cùm in Tehelio tota verteret perduellionis machina), metu etiam, ut fit, ſaniora ſuadente conſilia, quiſque ſibi privatim conſulere aggreſſus eſt. Itaque Caſſovienſes, quamquam & hjeme & ſuo robore prope tecti, iiſdem, quibus Eperiæ, conditionibus Capraræ ſe dediderunt. Statim deinde Patachum, nonaginta Æneis tormentis ornatum, Regotium, Ungaria munita oppida, totaque regio ad Carpatios montes in

Viſirius mandaverat, ut ad pacem cum Cæſare conciliãdum Tehelius in vincula conjiceretur.

Id ab Varadini Præfecto perficitur, & quomodo.

Ea Res Perduelles conſternavit.

Atque ideo Caſſovia deditur.

Totaque regio prope Carpatios montes in Cæſaris poteſtatem venit.

1685.

in fidem & ditionem Cæſaris redierunt. Illinc enim Tehelii uxor, virilis & obfirmati animi fœmina, quicquid militum conjugi merebat, Monchatium adduxerat; ubi, ut in fortiſſimo natura & operibus loco, tabulario, pretioſaque re domeſtica collocatis, ipſa cum ingenti præſidio rerumque omnium copia ſe ſe, Ragotiumque Principem, prioris conjugii filium, concluſerat; tempus variandis rebus, & ſi adverſæ manerent, ſibi ad commodiùs paciſcendum aucupatura. Nobilitas quoque major pars, & ut quiſque genere aut perfidia clarior, eò promptius delicti veniam oravit impetravitque mitiſſimi Principis benignitate, & quia non facilè puniri poterant. Singuli in bellum ingentes clientium globos polliciti, validum robur, ſi æque fidum. Quæ dum terra in Hungaria geruntur; non minus Turcas, communem hoſtem, in Græcia Veneti contudere. Principio æſtatis Maurocenus Imperator Aeniadas claſſem convenire juſſerat, ubi & quatuor Ætruſcæ quinqueremes cum trecentis militibus, quinque Romanæ cum totidem auxiliaribus, octo Melitenſes cum decem centuriis, Venetis ſe conjunxerant. Inde brevi curſu Peloponeſum petit. Hanc primùm tentare armis ſagaciter conſtituerat, Jonicis, quæ Reipublicæ parent, inſulis proximam, unde invicem munimentum; prohibendis ab Italia Byzantiorum navibus opportunam, nec adeò difficilem ad occupandum ob paucas & priſci plerumque operis munitiones; ob rerum omnium feracitatem, Turcarumque infrequen-

Præter Monchatium, ubi Tehelii uxor cum Ragotio, & re domeſtica ſe abdidit.

Plures Perduellium a Cæſare veniā orāt, atque impetrant.

Maurocenus claſſem colligit; quo navium & militum numero.

Peloponeſum tentare ſtatuit, & quare.

quen-

1685. quentiam minus quoque arduam ad retinendum: Subigendæ augebant ſpem indigenæ græci nominis, quorum gentem Reſpublica perpetuis beneficiis excoluerat; nec vanum videbatur, ut in ejus concederet poteſtatem, anniſuram. Quin & Laconici tractus incolæ in id juventutem ad arma promiſerant. Illuc igitur obverſis proris Coronem initiò aggredi ſtatuit. Eſt in Meſſeniæ litore prope Thermatium montem promontorium, nonnihil in altum prominens anguſto collo. Dorſum mari eminet, leniterque aſſurgens in ſaxum deſinit, quo continenti conjungitur; ab dextra lævaque in litus deſcendit. Hujus tenet editam partem Corone, infimam a ſiniſtra Græcorum ſuburbium. Oppidum triquetra forma lateribus mare proſpicit. Interior angulus in terram vergit, protectus amplo & rotundo propugnaculo in ipſa rupe. Reliquum firma ſed nuda mœnia circumdant. Mare undique navium patiens, & in utroque, anguſto licèt, promontorii receſſu tutum. Nongenti cives armorum periti ſtationes excubiaſque agebant, iiſque patriæ conſpectus ad ultima audenda faciebat animos. Non tamen auſi deſcendentibus in terram Venetis ſe ſe objicere. Itaque nullo impedimento novem millia quingenti milites e claſſe educti; quibus & rei gerendæ præerat Comes Claudius Polanus, terreſtrium expeditionum ductor. Statim ſuburbium incolis vacuum occupatur; ductuſque per mille paſſus agger, obſtructiſque promontorii faucibus, oppidum a continenti excluſit.

Coronem aggreditur, oppidum deſtribitur.

Quot ibi militum præſidium.

Veneti nullo impedimento in terram deſcendunt, & quo numero.

Oppugnatio deſcribitur.

ſit. Datum ſiniſtrum latus Melitenſibus cum aliquot Brunſuicenſium cohortibus, ſiniſtrum Italis, interior angulus Illyricis ad oppugnandum. Diſpoſitis machinis mœnia undique feriebantur cedebantque arieti; non tamen ita, ut latum irrupturis iter facturæ viderentur. Juſſum proinde militari vallo ad ea ſuccedere, cuniculoſque inducere. Itali ſuburbio tecti primi ſubjere; conniſoſque, adverſam portam pyloclaſtro frangere, tanta vis ignis, pice, oleo, ſarmentiſque excita inceſſit, ut aliquot deſideratis illico ſe ſubducere coacti fuerint. Ea dein ſtatio deſerta, ne plus æquo diſtracti milites, ad tutandum obſidionale vallum non ſatis eſſent. Etenim Turcæ, habito per omnem provinciam ſuorum delectu, ad opem ferendam magnis itineribus in viam ſe dederant. Ad quatuor millia primi advenere Muſtapho prætore duce, & horum quingenti inſedere collem, hoſtium ſtativis imminentem. Illinc propinquum vallum aggreſſi tentandi cauſa, acriter repulſi ſunt. Res tamen Venetos admonuit, caſtra quieta numquam ſibi fore, niſi occupato colle; quem proinde, pulſis hoſtibus, caſtello muniunt. Hæc dum aguntur, Illyrii, Melitenſeſque vineas ad mœnia duxerant ingenti labore, quippe ſæpius erumpentibus oppidanis, continuiſque machinarum telis (octo enim ſupra centum viginti undique jaculabantur) divexati. Caveæ quoque ad utrumque latus effoſſæ. Viſum igitur, ſupremam vim pertentare; nam hoſtes in dies copiis augebantur, nuper ab Calile armo-

1685.

Turcę oppido auxiliatum veniūt.

Repulſi.

1685. rum præfecto duobus millibus quingentis adductis; & altera ad traducendum manus in Eubæa inſula præſto erat. Dato ſigno circumducta claſſis oppidum, ad avertendos præſidiarios, per gyrum miſſilibus exagitavit. Simul ad Melitenſium cuniculum exarſit ſulfuratus pulvis; ſed vix rupta cavea parum abſtulit muri, impedivitque potiùs ruderibus clivum, quàm emollierit. Stabant in acie nongenti milites, mixti Dalmatæ ac Melitenſes; quos ducturus in oppidanos erat Turrius, alba cruce ſignatorum ſodalis, idemque ſociorum ſuæ gentis præfectus. Hic ubi vidit inſuperabilem aſcenſum, agmen cohibuit, ne ſe nullo proventu objiceret certæ neci. Dein dum hæret ſuſpenſus animo, quid rei gerendum, quidque conſilii ineundum ſit, ſaluberrimum ex occaſione capit. Turcæ ex horribili terræ mugitu caligineque aeris diſcuſſas nitrati vi pulveris oppidi munitiones, in eaſque impetum fieri ſuſpicati, caſtellum ante aggerem invadunt, hoſtem illinc ad ſua tuenda revocaturi. Centum in eo milites excubabant, præeratque Antonius Balbius Venetus, legionis inſtructor; qui ad primum ſcandentium Turcarum aſpectum infamem corripuere fugam, ad unum tamen omnes, priuſquam evaderent, contrucidati. Barbari ſucceſſu læti ad vallum deſcendunt. Raræ ibi infrequenteſque ſtationes; quippe exercitus ferro morbiſque haud parum extenuatus, validius armare non poterat prolixum aggerem. Magnis tamen animis dimicabant, ſed op-

Turcæ qui auxiliatum venerãt,

Felici primum ſucceſſu.

oppreſſæ multitudine, prope erant, ut darent locum recederentque. Turrius conſpecto rei diſcrimine, agmen illico ad vallum ducit; ratus ibi potius quàm circa mœnia de Corones fortuna decretum iri. Ubi ad telorum conjectum perventum eſt, in confertos hoſtes ejaculati, plurimos occiderunt. Dein ſtrictis gladiis ſuccedunt ad primos ordines. Tenuit nonnihil pugna, quoad Thracum ferociores cæſi dejective ſunt. Cæteri, etſi adhuc longe numero ſuperarent, in pedes ſe conjiciunt. Fugientium veſtigiis inhærent Veneti, nec ſinunt caſtello conſiſtere, ad caſtra uſque proſequuti, factoque ibi ſolùm cædis fine. Periere Turcarum centuriones ſeptem, magiſter equitum, gregarii trecenti; par prope numerus vulnerati. Clades haud longe minor cruentam Venetis victoriam fecit; funeſtam Turrii mors; quem ab inſequendis hoſtibus, glande & ferro ictum, redeuntem, dum prope tormentarii pulveris cadum ſedet, is caſu igneſcens abripuit; virum ab Cretenſi uſque bello factis clarum, manu & conſilio egregium. Pauci abjere dies, quum Turcæ tumultuario delectu atque Euboica legione refectis viribus ad collis munitionem redeunt Muſtapho duce; nam Calilus mortem oppetierat. Illam validiori præſidio Veneti, ex præterito periculo cautiores, tutabantur. Prælium non anceps, ſed atrox ac diuturnum. Nam Turcæ, tyrones magna pars, nullo ruebant ordine, incitatique centurionum a tergo inſiſtentium ferro ac minis, cæco impetu in aggerem manibus pedi-

1685.

Tandem repelluntur.

Quot utrinque necati.

Turrius eques Hieroſolymitanus occumbit.

Turci auxiliares tertiò vallum invadunt.

Digitized by Google

1685. buſque enitebantur. Turmatim proinde conficiebantur jaculis, cumulabantque foſſam cadaveribus. Hæc alii, ut ſe ſe in altum erigerent, magno morientium ejulatu horridoque ſpectaculo proterebant, crebris & ipſi telis dilacerati. Tandem fracti labore, ſtrage, vulneribus ſe retulere. Oppidani, audita quamvis ſuorum clade, cùm ad deditionem vel honeſtis conditionibus invitarentur, non minus quàm antea ferociter reſponderunt. Fidebant loricæ parum adhuc hjanti & arduo ad conſcenſum loco. Rebantur quoque, ſuos citò ſuppletis legionibus redituros. Sed nihil ut lurida patriæ ollis incendiariis conſciſſæ ſpecies, & vitæ, ut ſolet, extremis inductum malis tædium obſtinaverat animos, ciebatque lætos ad pugnam, qua odium in hoſtes explerent ſuum. Contra Veneti murorum compagem ſolvere majoribus tormentis, mortem flammamque in oppidum mortariis immittere conabantur. Et jam omnia dejecerant præter civium mentes ferociamque. Ad eos vi ſubigendos moram faciebat metus, ne, inito ad mœnia certamine, Turcarum exercitus, qui rurſus collectis viribus haud longe in ſtativis erat, a tergo, ut dudum, irrumperet ſuperato vallo. Huic periculo alii occurrendum arbitrabantur, oppido interius circumvallato; ut, quæ ſupererant copiæ, adverſus oppidanorum eruptiones externumque impetum ſatis eſſent. At Polanus, ſeu ex militari ſcientia, ſeu, ut aliqui interpretabantur, ne ſe, latius ducto aggere, erraſſe fateretur

Poſt atrox prælium propulſi.

tur, negabat uſquam breviori munimento, quàm ad fauces promontorii, concludi poſſe. Alii, & ea placuit ſententia, contendebant, improviſò aggredienda Barbarorum caſtra, quippe qui comperta hoſtium paucitate nihil caverent. Maximas difficultates, quæ quidem nunc eſſent, explicari audendo potiùs quàm conſulendo. Re conſtituta, dimidia fere militum pars vineas atque opera cuſtodire juſſa. Tria millia in hoſtem educta, & mille navales focii. Silentio noctis progreſſi, dubia adhuc luce legionarii caſtrorum frontem, claſſiarii utrumque latus adoriuntur. Turcæ clamore experrecti, ſomno metuque oppreſſi, non arma capere non ad ſigna concurrere, ſed inermes pedibus ſe committere. Palatos hoſtis parum eſt inſequutus, prædæ avidus; cui colligendæ in caſtris moratus, opulentam cœpit. Equi trecenti, multa militaria ſigna, in his Imperatorium, ſex majores machinæ, ingens bellicus apparatus, omniaque impedimenta in quæſtorum poteſtatem conceſſere; incruenta Venetis victoria, quamquam plus dimidio ſuperantibus eos Turcis. Poſt bidui quietem, cùm nullis infracta malis ſtaret adhuc oppidanorum ferocia, Itali, Meliteníeſque immiſſi, qui apertos utrobique murorum hjatus in oppidum penetrarent. Sed Turcis ultima exerta vi depugnantibus, pellitur ad extremas radices Melitenſium acies, Italorum ad medium clivum; ubi oppoſitis lanæ terræque ſaccis ſe confirmarunt, poſtero die in pugnam redituri. Antervertère illum oppida-

1685.

Veneti auxiliares Turcarum copias improviſo adoriuntur.

Quo ordine.

Felici eventu.

1685. dani facto tradendæ urbis ſigno. Quamvis enim diu ac ſtrenue dimicantes hoſtem ingenti ſtrage ac vulneribus affeciſſent, perveniſſetque clades ad illuſtria nomina, cæſis tribus alba ſignatis cruce, aliis ſeptem ac viginti cum Philippo e regnatrice Allobrogum domo, Curbonioque ſagittariorum equitum tribuno glande ac ferro ictis; ſibi tamen pari calamitate perculſis nulla affulgebat amplius obnitendi ſpes. Dum, quibus pactis conveniant, ſermo eſt; per induciarum tempus nonnulli Venetorum militum curioſe e vineis egreſſi, obambulare muris negligenter, in ipſoque ſtare aditu ruinarum. Excubiæ fraudem ſuſpicatæ, laxata murali machina (ſponte an imperio, incertum) & in ſubjecto ad loci tutelam ſpecu nitrato pulvere incenſo, magnam circumvagantium ſtragem edidere. Veneti rei indignitate fractaque fide vehementer commoti, nullo expectato ducum ſigno in hoſtem manipulatim effundunt ſe. Cæſis vigilibus, per vias, per domos diſcurrunt, infandaque omnia in cives agunt. Non ætas, non ſexus a ferro immunis. Necatis ad tria millia, vix ſub noctem quievit victoris ira laſſitudine potiùs quàm placabilitate. Capti mille ac ducenti. Venetorum per longum obſidionis tempus omni lethi genere abſumptum ad quinque millia; immodicum rei pretium, niſi hinc populorum inclinationes, factaque ſibi via ad reliquam Peloponneſum. Urbe capta ac direpta Maurocenus, tempeſtive trium Saxonum millium accepto Venetiis ſuple-

Coronenſes Venetis ſe dedere ſtatuunt.

Dum de conditionibus agunt, oppidum vi expugnatur.

Unde hæc agendi variatio exorta.

Quanta edita ſtrages.

Quanta Venetis ea oppugnatio ſteterit.

plemento, in oppoſitum litus proras obvertit, quò 1685.
illum vocabant Lacones, græca gens, agreſtis, &
duris moribus, quæque ſeveriſſimis Lycurgi legibus *Laconum indoles & mores.*
gloriatur vivere, ut inclyti quondam Lacedæmonii;
quos ſuæ ſtirpis auctores dicunt, ſed eorum nihil habent præter indolem, armorum ac libertatis cupidam; nam virtus cultu animorum paritur, non terræ cælique ſitu. His Turcæ mitiùs quàm reliquis Peloponnenſium imperitabant, ſeu veriti militares animos aſperrimaque loca, ſeu quia nullum ex ſeveriori imperio majus emolumentum. Cujuſcumque tamen facilitatis pertæſi, jamdiu ad Venetos inclinabant, miſerantque, qui ſibi arma poſcerent, milites ad bellum pollicerentur, darentque fidem, quicquid eſſet ſuarum virium, ſuaque oppida in Reipublicæ tutelam ſe commiſſuros. *Lacones Venetos vocant, ut ſecû regionem a Turcis expediant.* Maurocenus, quamquam aliàs promiſſa non perſolviſſent ingenii levitate an Turcarum metu, factam rurſus ab iis ſpem non deſerendam ſtatuit, præſenti fortuna eorum fidem metitus. Sex armatorum millibus in terram expoſitis, Lacones ſuæ juventutis mille quingentos adjunxere; queis Zernatam, voluntatem ſuam certo pignore novis ſociis confirmaturi, pridem obſeſſum jerant. *Maurocenus aliquot Legiones ipſis ſubmittit.* Ea verò ſtatim ac Venetorum ſigna vidit, portas aperuit. *Zernata Venetis deditur.* Cum his copiis Annibal Deghenfeldus ſupremus militiæ ductor (nam Polanus diſceſſerat ingraveſcentem ætatem cauſatus, ſed tacite infenſus, quod parvi fieret) ad hoſtem, qui prope Thuriam haud longe diſtantem diverſabatur,

cum

1685. cum eo dimicaturus progreditur. Etenim Thraciæ claſſis præfectus mare a Venetis navibus aliò vagantibus liberum nactus, Naupliam appulerat, ſuos

Turcæ adverſus Venetos exercitum cogunt.

ope, incolas metu in officio retenturus. Is ubi novit, Calilem Peloponneſi prætorem e vita ceſſiſſe, nec eſſe, qui ſatis conſilio auctoritateque poſſet, capta Corone, ulcus ſiſtere, hanc ipſe gerendam pro-

Quo numero.

vinciam ſuſceperat. Eductis claſſiariis exercitum auxerat ad octo peditum, duo equitum millia; manebatque (Thuria hinc non longe abeſt) ad Meſſeniaci ſinus caput, æque in Meſſeniam, Laconiamque intentus; quò ſe converterent hoſtes, agmen ducturus. Ubi ad ſe venientes conſpexit, paullum pro-

Quo loco caſtra metantur.

moto exercitu, inſedit equitatu brevem in ipſa via planitiem; peditatu leves tumulos, qui circumqua-

Acie inſtructa cum Venetis pugnant.

que aſſurgebant. Acie utrinque directa primi Turcæ equeſtri procella turbare dextrum Venetorum cornu conati ſunt; ſed effuſo ruentes curſu tanta plumbea excepit grando, ut confeſtim equos defle-

Prælium deſcribitur.

xerint ad ſiniſtrum cornu; unde non minus petiti ſæva jaculatione, cohibitis nonnihil frænis mox Thuriam compoſiti repetiere. Equitum veſtigia peditatus, priuſquam congrederetur, eſt proſequutus; nec ita

Turcæ in fugam ſe conjiciunt.

multò poſt incenſo oppido & corruptis, obſtruſo ignis canaliculo, machinis in interiorem provinciam ſe abdidit, tectus equite, quo Veneti ad inſequendum carebant. His tamen ea victoria omnem

Laconia in Venetorum ditionem venit.

Laconiam in poteſtatem dedit, ſponte aliquot non magni momenti loca deſerentibus Turcis; quorum

paſ-

Paſſava, Thuriaque nudata mœnibus; Zernata Chielaſaque, etſi loco parum tutæ, tumultuariis operibus munitæ præſidioque retentę ſunt, munimentum adversùs hoſtem, civibus fidei vinculum. Hæc per æſtatem atque autumnum Veneti in Græcia. Dalmatia quoque ipſorum armis concrepuit, minori tamen ſtrepitu, nec pari rerum ſucceſſu. Primo vere Valerius prætor mille quingentos legionarios, provincialium ſex millia, quotquot expeditos habebat, ad ſigna convenire juſſit. Angebat illum commota ſuperiori anno, ac ſimul irrita ſui, & rerum ſtrenue agendarum ſpes; cupiebatque aliquo facinore probare Senatui, ſibi tunc tempus, non virtutem defuiſſe ad rem gerendam. In id Singum opportunum viſum, oppidum ad Imperii fines & lato agro, communi opinione ſuperatu difficile loci natura, non operibus. Quocirca ejus oppugnatio plus nominis, quàm difficultatis habitura videbatur. Modicum habebat præſidium, ſed impavidum, cui nihil penſi erant quaſſata duobus æneis tormentis mœnia, totidem mortariis tecta. Quin Dalmatas, utpote inſuetos militaribus operibus, incaute promoventes vallum, crebra eruptione carpebant ac remorabantur. Boſniæ, ejuſque vicinalis oræ, quam Herzegovinam vocant, prætores auditaSingi obſidione ex condicto copias, quas ad bellum in Hungariam ituri collegerant, ad liberandum oppidum extemplo ducunt. Prope Cetinam amnem, qui ad ejus tumuli radices fluit, caſtra ponunt in rem intenti. Valerio, priuſ-

1685.

Quæ oppida Veneti muniunt.

Valerius in Dalmatia exercitum colligit.

Singum invadit.

Turcæ ad opem ferendam ſe comparant.

1685. priuſquam vallo ſe communirent, eos aggredi & procul inde, ne graves oppugnatoribus fierent, propulſare placuit. Valida proinde provincialium manus cum altero e ſuis ducibus equite Janco flumen trajicere, Turcarumque vires atque animos levi certamine pertentare juſſa. At ferociter accepta, vixdum congreſſa, fugam arripuit, implevitque ſuos metu. Igitur hi cum reliquo exercitu, ſtatim ac hoſtes poſtridie mane agmine quadrato ad ſe venientem conſpiciunt, terga vertunt, trecentis legionariis in ipſa fuga deſideratis. Dalmatarum, quia pedum pernicitate valent, minore numero. Machinæ cum bellico apparatu cunctiſque impedimentis præda hoſtium fuere. Parta victoria, Herzegovinæ prætor, dum circum reliqui populantur, cum quinque armatorum millibus ad Tragurii caſtella ſigna promovet, ratus primo impetu captum iri. Verùm civibus egregia fide ac ſtrenue tutantibus muros, iter Duarium flexit; nullo, dum iret, detentus impedimento, quod duæ turres viam intercludentes, vacuæque repertæ provincialium fuga, facere potuiſſent. Oppidum corona aggreſſus, cùm non ceſſiſſet, obſidione cinxit, ſpe citò ejus potiundi ob aquæ præſidiique inopiam. Nec ſua eum ſpes feſelliſſet, ni Joſeph Uſius Dalmata, Duarienſis præfecti levir, hujus pietate, ac Valerii juſſu, qui per eos dies cum aliquot navigiis ad eam oram appulerat in hoſtem intentus, cum ſexcentis popularibus per occultam ſemitam in adverſam Turcarum ſtationem, quæ

Eos Veneti aggrediuntur.

Repulſi fugiunt, & quanta cæde.

Turcæ ad Tragurii caſtella procedunt, & repelluntur.

Duarium petunt.

Obſident.

Veneti opitulatũ eunt.

Turcas cædunt fugantque.

quæ plurium prima ſe obtulit, irrupiſſet. Nam conſternata repentino incurſu, cæteras in fugam traxit, ignaras, qua hoſtium vi pellerentur; omnia, ut fit, in deterius augente metu. Par ipſis trecentorum clades reſtituta, ereptaque duo mortaria e priori præda. Reliqui in ſuos fines regreſſi, iter in Hungariam, Viſirio minacibus literis moram increpante, continuarunt. Horum diſceſſu Dalmatæ vacuam defenſoribus provinciam ſemel atque iterum diripuerunt, ulti illatam nuper ſibi cladem. Id tamen ad obliterandam Singi ignominiam Senatui parum viſum; datuſque Valerio ante obiti magiſtratus tempus ſucceſſor eques Hieronymus Cornelius nullam ob noxiam, ſed odio erat facta ab eo pridem haud dubia ſpes, ſtatimque decepta, rerum ſecundarum. Polonis infeliciter hoc quoque anno belli res evenere. Rex, ubi Cæſaris dicto fideque fretus vanas abjecerat ſuſpiciones, quibus antea fuerat ab ſacro fœdere abalienatus, ſe revocaverat ad belli curas, indixeratque ſuæ gentis Concilium delectui habendo, curandæque in ſtipendium pecuniæ. At procerum, legatorumque complures bellum averſabantur ſeu tædio armorum ſeu iiſdem artibus, quæ dudum Regem continuerant. Hinc primùm lites de Conventus loco; cùm lege, quæ alternatim jubet, Lithuani apud ſe fieri poſcerent; negarent Poloni, dum periculum atque arma impenderent, longo & incommodo itinere nunc protrahendum. Ubi deinde Senatus ac Regis auctoritate Varſaviæ

1685.

Quanta ipſorum ſtrages.

Inde Turcæ in Hungariam pergunt.

Dalmatæ Turcarum regionē vaſtant.

Valerio Succeſſor datur Hieronymus Cornelius.

Poloniæ Rex bellum urgendum ſtatuit adverſus Turcas.

Conſilium convocare decernit.

Sed plures qui bellum averſantur, impediunt.

 con-

1685.

Tandem cogitur.

convenere, altercando tempus traductum; quoad Scytharum incurſionibus excitati rempublicam reſpexere, ſtatueruntque, quæ ad bellum opus erant;

Decernit ad bellũ quę opus erãt, ſed lanto, deinde irrito molimine.

ſed ita ut ſatis pateret: ceſſante metu, parum, quæ decreviſſent, curæ fore. Id Rex animo conſpicatus, abnuit ſigna ducere; ea lætis abdicatione ſupremis,

Itaque Rex exercitũ male inſtructum ducere negat.

copiarum præfectis, delatumque ſibi imperium avidè ſuſcipientibus; quòd ſperarent, nihil ſibi a ſua gente defuturum, ut re bene geſta, ipſius Regis gloriam jam ſeneſcentem obtererent. Hac opinione,

Supremi Gentis Duces ejus imperium ſuſcipiunt.

veritique ne ſi cum illo communicaſſent rerum agendarum conſilia, partem aſſumeret boni eventus, taciti ad exercitum abiere. Sextilis in exitu erat, nec

Quam in expeditionem illum duxerint.

ad ſigna convenerant pluſquam equitum decem, peditum octo millia. Cum his copiis, licèt ſua ſpe tenujoribus, Potoſchius, Jablonouſchiuſque ſupremi duces altius, quàm Rex ſuperiori anno, Napari pontem injiciunt, in Moldaviam ituri, quò ille prohibitus fuerat; cupidi ex ejus improſpera, nedum

Naparim tranſgrediuntur.

e ſua felici, ut ominabantur, expeditione decus & nomen capere. Nullo impedimento ſuperato amne per incultos montes, qui illic ad ripam ſuccedunt, viam arripiunt, vacui ab hoſtium incurſu, quos con-

Turcas obviam habent, & ubi.

ſilio, aut loci natura cluſiſſe arbitrabantur; ipſi tamen decepti vice ſua. Etenim Turcarum ductor Solymanus, belli ac regionis peritus, ubi ex adverſo montes in planitiem deſcendunt ad Poratam amnem, caſtra poſuerat, Sarmatas intra deſerta ea loca aſperrimoſque ſaltus cohibiturus; haud falsò opinatus, ju-

jumenta pabuli inopia, ipſos vehendi commeatus difficultate conſumptum iri. Poſtquam poſtremi colles planitiem, Turcaſque munitionibus concluſos, & viam obſidentes, qua progrediendum erat, aperuerunt; tum demum periculi, in quod temere ſe ſe induerant, admonentur; & quo pacto expediri poſſet, cogitari cœptum. Ferro ac virtute viſum. Nam Turcæ pauciores erant (fuiſſe traduntur duodecim non amplius millia) & Scythæ quamquam, ut fama fuit, triginta armatorum millia explerent, pro ſtataria pugna contemnebantur. Itaque in aciem educti per plures dies, ad hoſtium munitiones ſubeunt exprobrantque, ipſis tandem excidiſſe martios animos, renuentibus æquo Marte prælium committere. Attamen vallum aggredi non audebant, graviſſimis interea incommodis afflictati. Nam & paſcendis equis jam prope alimenta defecerant, & iis laſſeſcentibus haud tutum erat, inhærente veſtigiis hoſte, pedem referre. Cùm ſimul vectariis bellatoribuſque per temporis ſpatium, quod oporteret, ea, palam eſſet, non ſuffectura; magnæ vectariorum parti ſuccidunt nervos; commeatuſque bigis impoſitos, quæ deferendæ erant, igni tradunt. Remeantibus Thraces a tergo inſiſtunt, quieti primùm ac veriti ſeu bellicam virtutem, ſeu exaſperatam adverſis rebus ferocitatem, ſeu quòd Jablonouſchius (receſſerat Potoſchius febri captus) iter militari arte muniebat progredientibus. Ubi ad Naparim perventum eſt, Sarmatæ eo, quo venerant ponte, haud procul

1685.

Quo conſilio Turcæ vallo ſe muniunt.

Intra quod ſe cōtinent magno Polonorum incōmodo.

Alimenti inopia Sarmatæ jumenta plurima occidunt.

Ac pedem referunt.

ab

1685. ab iis Turcæ; utrique per otium traducuntur. Non diu tamen quies manſit. Turcæ moniti, annonam Polonis duriorem in dies fieri, aucti Camenæci præſidio, crebris procurſationibus, ne maturarent iter, exagitabant eos. Quin & concubia nocte, dum negligenter excubias agunt, parum abſuit ut ne incauti ac ſemiſomnes opprimerentur. Viæ quoque, autumnalibus pluviis corruptæ, ſarcinarios equos, inedia jam prope enectos, detinebant adeo, ut pleri que tardius accelerantes, cum impedimentis in hoſtium poteſtatem venerint. Acceſſiſſet ad malorum cumulum extrema fames, ni Pontificis maximi apud Regem Legatus romana pecunia comparatis atque obviam miſſis commeatibus laxaſſet annonam, laborantemque exercitum recreaſſet. Hoc ſtatim ad inſtaurandas vires in hiberna dimiſſo, Scythæ, dum redeunt, Volimniam Podoliamque fœdis populationibus divexarunt. Supremi Sarmatarum duces in Aulam profecti, magis ſilentio quàm verbis infelicem expeditionem renuntiarunt; mæſto omnium procerum vultu in ſpeciem dolentium acceptam cladem, re vera exprobantium. Eodem anno quo hæc geſta ſunt, a. d. XIV. Kal: Martias poſtremum diem obiit ſecundus Carolus magnæ Britanniæ rex. Exulem ob paternas calamitates revocaverant in avitam ſedem regni Ordines, ſeu tædio ſervitutis a Cromuele inductæ, libertatis nomine; ſeu legitimi regis deſiderio; exceperantque eò majori plauſu, quò peccaverant. Initia ejus regni læ-

Thraces eos inſequuntur, & ob annonę difficultatem graviter affligunt.

Pontificis maximi ære illis ſubventum.

Sarmatæ in hiberna diſcedunt.

Scythæ regionem depopulantur.

Carolus Angliæ Rex moritur.

Aliqua de ipſo compendio narrantur.

læta, cultaque eximiis honoribus ac reverentia. Reliquum tempus aſperum ac turbulentum, per aſſiduas contentiones conjurationeſque, alienis potius vitiis quàm ſuis virtutibus obſequendo, magis quàm imperando, traductum. Non ſui quippe ingenii fuiſſe videri debet dira inſectatio Catholicæ Religionis, dum moriens illam ut unice veram profeſſus eſt; nec mobilitas animi, nam in tuendo Fratris jure, quod ſibi eſſet robur, oſtendit. Cæterùm ſibi plus nimio indulgens, aliis viciſſim indulgere coactus eſt; ſuæ genti felicius imperaturus, ſibi ſi melius imperaſſet. Eo mortuo Imperii clavum ſuſcepit Jacobus frater, Eboracenſium Dux tanto omnium Ordinum ſtudio officiiſque, ut, niſi præterita ſuſpicionem facerent, hæc ex animi ſententia peragi viderentur. Prima ejus cura fuit, dare fidem ſe, licèt imbutum Catholica Religione, nihil tamen de conſtituta Anglicis legibus commoturum. Jus quoque regium non ultra ipſas leges atque inveteratos ſuæ gentis mores ſe producturum. Id ſtatim vocato interiore Senatu palàm diſſeruit; mox deinde in ſupremis regnorum ſuorum comitiis promulgari voluit; adverſam opinionem, qua plurimum adhuc laboraverat, ademturus e plebis animis, qui, ut eos formes, perinde ſunt. Regis dictum ſumma populorum lætitia acceptum, eòque alacrius, quia ſibi ab novandis rebus metuerant. Illum viciſſim ſupremus regni Conventus ſumma liberalitate, Magiſtratus urbani provincialeſque obſequio officiiſque ſunt

pro-

1685.

Moriens Catholicam religionem profitetur.

Jacobus Eboracenſis ejus frater rex inauguratur ingenti omnium conſenſu, & plauſu.

Quæ primùm geſſerit ad quietè regnandum.

Eaque omnium lætitia accepta.

Digitized by Google

1685. *Comitiorum in regem obſequium ac liberalitas.* proſequuti. Tanta animorum in Jacobum propenſio prodigii ſimilis videbatur reputantibus præteritas potiùs fluctuationes, quàm plebis morem, otium, utcumque veniat, quærentis. Et otium fuiſſet, ſi aliorum ambitio, aliorum odium quieſcere potuiſſet. Manebant Shafsburianæ factionis reliquiæ; ſeſeque fuga aut Principis clementia lictori ſubtractos *Prima in eum turba, & unde.* in Batavia collegerant Monumethiæ Dux, Archibalduſque Campſelus Argatheliæ Comes cum aliis pluribus, ad ingenium ex occaſione redituri. Hi audita Caroli morte Willelmum Arauſionenſem *Monumethiæ Dux aliique in eum infenſi, Arauſionenſem conveniunt, & quid cum illo egerint.* clam conveniunt, jampridem ſecreti gnarum, adhibitumque conſiliis in regni ſpem. Argathelius Scotiam, ubi magnis clientelis florebat, Monumethius Angliam tumultu miſcendas ſpondet; ipſi dari partes, inquiunt, ſubminiſtrandæ pecuniæ, connivendique in rerum apparatu per ea litora conficiendo. Argumentum expeditionis cuncti prætexunt ſuarum gentium libertatem ac religionem, a Catholico rege in diſcrimen adductas; *Qui ſingulis agidi finis.* finem, ut ſingulis diverſum, occultant. Quippe Willelmus, Monumethiuſque regnum affectabant; Argathelio propoſitum erat, deleto Rege imperium adminiſtrare communi gentis conſilio, atque inducere formam reipublicæ. Hi duo tamen Arauſionenſi *Arauſionenſi ſpē regni objiciunt.* regium nomen atque auctoritatem, ad eum demerendum, ſe a regni comitiis petituros, ajebant; ille, *Quæ hujus artes.* ſpecie recuſantis, acuebat utriuſque animos ad rem gerendam, objecta unicuique ſingillatim ſpe ſe ſe

ipſo-

ipſorum voluntatem, conceptumque mente propoſi- 1685.
tum proſequuturum. Dum conſulitur, Jacobus clam in Bataviam miſerat, qui Monumethium ſurriperent traherentque in Angliam, ubi cuſtoditus, ab turbanda republica prohiberetur. Intellexerat enim legati apud fœderatos Ordines ſui literis: virum inquieto ſeditioſoque ingenio quidpiam moliri. Præmonitus Arauſionenſis (quorumdam enim e regiis famulis fidem ad prodendum ſecretum argento corruperat) ictum eluſit, miſſo Bruſſellas Monumethio; unde tamen haud ita multò poſt (Jacobo preces apud Hiſpanos querelis miſcente) abire juſſus, tacitus in Bataviam rediit; ibi, Arauſionenſis fretus potentia, quoad maturum foret, commoraturus. Interea ſocii parandis, ornandiſque in expeditionem navibus dabant operam. Rex Batavis injuriam expoſtulare; petere, ni rei meditati ſceleris traduci velint, ut bellum ſtruentibus amico & fœderato ipſis Principi portu ac navibus interdicerent; totque Anglorum in ſeditionem intentis, ex Imperio ſuo penitus diſſipatis, conſcientiæ ſuſpicionem a ſe dimoverent. Imperatum in ſpeciem præfectis portuum maritimæque oræ, caverent, ne qua turbandis Angliæ rebus nova inde conſilia orirentur. Re vera, cùm Regem, diverſæ religionis diffidentia, ſuſpectum haberent, ejus incommodis lætabantur; & apud ſe conſtituerant, nullam ipſis moram injicere, ſi bene ad eventum feſtinare viderentur; rati, adhibitæ negligentiæ invidiam, utilitatis fructu redemptam

Rex clam ſurripere Monumethium ſtudet.

Arauſionenſis illum Bruſſellas miſſum periculo ſubducit.

Unde ab Hiſpanis expellitur.

Conjurati claſſem in Batavia clam parant.

Rex cum Batavorum republica de hac re conqueritur.

Batavi quidpiam in ſpeciem agunt ad removendum regi diſcrimen.

Re vera bellum molientibus non averſabantur, & quare.

1685. ptam, ſuſtineri facilè ac libenter poſſe. Igitur conniventibus cuſtodiis ſex naves, milite atque omni telorum genere inſtructæ ad armandos conjurationis ſocios, clam e diverſis ſtationibus in altum progreſſæ, tres Monumetium excepere, totidem Argatelium. Hic prior exeunte Majo vela in Scotiam fecit. Vetitus ab Orcadum Antiſtite, qui validam popularium manum contraxerat, ad Septentriones deſcendere, in Occidentem flexit. Dunſtafnæ portum (is in Lornia provincia eſt) appulſus, miſſis illinc circumquaque libellis ſolicitare ad defectionem populos cœpit obtentu ſuæ religionis ab Catholico Rege numquam tutę, & metu ſæviſſimi eo dominante imperii. Clam quoque per literas clientes, familiareſque in prædæ rerumque novandarum ſpem ſtuduit adducere. Factam trium millium armatorum manum in propinquam Bootiam inſulam traduxit; tutam ibi ſtationem, dum ad ſe plures convenirent, habiturus. Etenim ad extinguendum vix ortum incendium procerum fidiſſimi collegerant copias, adveniebantque citato gradu Dumbartono legato duce. Ab his intercluſam commeatibus inſulam (nam & mare clauſerat fama ipſa propinquantis Hamiltone præfecto regiæ claſſis) coactus deſerere, milites in oppoſitam Argatheliæ provinciæ oram tranſvexit. Ibi Ellengrei oppido tumultuariis operibus prope litus munito, excitatoque, tegendis ab regia claſſe ſuis navibus, caſtello ad proximum æſtuarium, aliquot dies ſe tenuit; quoad

Argatelius cum tribus navibus in Scotiam navigat.

Ubi deſcenderit.

Solicitat ad defectionem Scotos.

Milites ad eum expellendum parantur.

Argatelius eorū metu ſe refert, & quam in partem.

quoad qui fierent in Scotia tumultus; quas in Anglia cieret turbas Monumethius, audiret. Interea diviſis militum globis, prædæ undique agebantur, ſibi levamentum inopiæ, dubiis animis illecebra ad rebellandum. Prædantibus occurrit cum valida militum manu Atholiæ Comes, initaque pugna in fugam eos conjecit, quadringentis necatis ereptaque præda. Perculit Argathelium conſternavitque tanta ſuorum clades, haud minus extenuatis viribus, quàm vetita populatione; unde corpora victu, animi ſpe manubiarum ſuſtentabantur. Auxere curam ejus naves ab regia claſſe nullo certamine, in ipſaque ſtatione, per eos dies captæ. In ea rerum difficultate deſperationem, ut fit, in conſilium adhibuit, copias in interiores provincias ducere aggreſſus; ſpe, ſi præſens adeſſet, ſuos paternoſque amicos ad ſeditionem pudore atque exemplo concitaturum. Iter in Lenoxiam provinciam faciebat, quum Dumbartonus maturato greſſu illum ad Clydam amnem aſſequitur. Argathelius in ulteriorem ripam tranſgreſſus ſilentio noctis, tranſitu hoſtem prohibere conſtituerat. At ubi illuxit, ſe ſeque a ſuis prope deſertum vidit; qui, utpote ignoti, periculum magis quàm culpam verebantur, vix exigua coacta circum ſe turma, viam ſibi, quà poſſet, aperire ſtuduit. In æſtuoſa loca perſequentibus Regiis ingreſſi, interempti plures, alii ſe dedidere. Ipſe ſolus penetrata altiùs palude, cùm ultra vadum non præberet, paullum moratus, quoad hoſtes receſſiſſent, iter rediit

1685.

Suos ad prædandum immittit.

Atholiæ Comes illos aggreditur fugatque.

Argatelii naves ab regiis capiuntur.

Ipſe deſperatione actus in interiores provincias cũ ſuis copiis ingreditur.

Dumbartonus illum aſſequitur.

Argatelius cum paucis clam ſe refert.

Solus deinde per paluſtria loca errat.

1685. diit, ignoto militibus vultu eos haud difficulter elu- *cum iter non darent, redit.* ſurum, arbitratus. Prope fluvium duos, qui fortè *Quomodo detegitur.* per ea loca palatos venabantur, obviam habuit. Vocatus in deditionem, pedes (nam equus laſſitudine vacillabat) in aquam temere, ut quem major urgebat metus, ſe immiſit. *Capitur.* Ea tamen inſequentium unum, conſcium vadum illic eſſe, nequaquam cohibuit. In hunc, jam prope ſubeuntem, telum intendit, ſed manuale tormentum ictu erravit; ipſe viciſſim gravi læditur vulnere, quo dum dolet, ac *Agnoſcitur.* ſe ſuo nomine miſerum vocat (natura in ſubitis rebus rarò diſſimulante) agnoſcitur. Ductus Edimburgum, *Capite plectitur.* paullo poſt perduellionis crimen capite luit; patrem ut culpa ita & genere mortis, fato quodam familiæ, imitatus. Interea in Angliam de- *Monumethius in Angliam deſcendit, & ubi.* ſcenderat Monumethius, Lymæ portum in Somerſethia provincia ad auſtralem oram appulſus. Vocati ad ſigna clientes rerumque novarum avidi, ad ſex *Quot ad illũ conveniunt.* millia convenere. Quamquam ſpem accepiſſet, plures ſtatim ac inſulam tenuiſſet, ad ſe adituros; nec qui advenerant, audendo facinori pares forent; attamen opinatus, agendo moliendoque, aliis torpo- *Cum iis quamquã minori, quàm ſperaverat numero, iter Londinum arripit.* rem, aliis metum, quo adhuc detinebantur, excuſſurum, cum his copiis iter Londinum cœpit. Proficiſcenti Duratius Feverſami Comes cum exercitu *Duratius cum exercitu regio ei obviam fit.* regio ad Veſtonum oppidum occurrit. Nulla Monumethio erat arx, qua ſe contegeret, nec ibi locus tutus ad caſtra munienda. Itaque in aperta planitie aciem *Uterque exercitum in aciẽ educit.* inſtruere neceſſe habuit, ſuos antea cohortatus:

æqua-

Digitized by Google

æquarent animi robore hoſtium numerum, qui longe ſuperabat; multos vivendi neceſſitate, ſi vitam retinere vellent, viciſſe; quippe nullum deſperatione telum vehementius, nec quod hoſtis plus metuat. Peditatum in medio locat, utrinque alis equitum firmat; his Græiæ dynaſtam præfecit; ipſe peditibus, queis præcipua, quantulacunque ea foret, ſpes innitebatur in prælium inducere, exemplo atque audacia præire ſtatuit. Duratius pari ordine ſuos inſtruit; campeſtres aliquot murales machinas, quas ſecum adduxerat, in fronte locat. Primi equites concurrunt, hinc Ogletropho tribuno, illinc Græjo ducibus. Vixdum autem congreſſi Monumethiani ceſſere loco, non vi pulſi, ſed mutata a Græjo fide, ut fama tenuit, increbuitque latiùs poſt datam ei confeſtim defectionis a Rege veniam. Monumethius ab equitibus deſertus, animum non deſpondit; ſed augente iram periculo, ante ſigna progreſſus pugnam inivit. Diu & ſupra vires certatum a ſuis eſt, ipſo voce ac manu ſuos acuente, illis ſtolida ferocitate in prælium ruentibus. Diſciſſi muralibus tormentis circumventique, cùm pars major occubuiſſet, pauci quoquoverſum diſperſi fuga ſalutem quæſierunt. Monumethius, vix facto quinquagenum cuneo, poſtquam in propinquum nemus evaſit, unuſquiſque in diverſa pervagatus, cuncti veprium virgultorumque latibulis ſe abdidere. Quæſiti venaticis canibus, & eorum unus latratu proditus, Monumethii, cui venando moloſſos laxaverant, la-

1685.

Utriuſque agminis ordo deſcribitur.

Græii Dux cum ala equitum ad regios ſe confert mutata fide, ut increbuit.

Monumethius tametſi ab equitibus deſertus, ſtrenue pugnat.

Superatur.

Fugit.

Capitur, ubi, & quomodo.

te-

1685. tebras detexit. Captum defecit animus; quo revocato, Regem per literas obteſtatus, ut a ſe conveniri pateretur, obtinuit; ratus vitam lachrymis ſe redempturum. At ſpes fefellit. Nam Rex inveterata repetitaque perfidia irritatus, exprobanſque inexpugnabilem ipſi beneficiis animum, dicere apud Judices cauſam juſſit. Qua orata cùm cecidiſſet, Londini in medio foro cervices lictori dedit; vir manu ſtrenuus, conſilii ambiguus, ambitu immodicus; qua ducum indole nihil ineptius ad ingentes conatus ac res moliendas. Id non ignotum Arauſionenſi. Quocirca audito, illum in Anglia, vixdum a paucis exceptum, regem ſe proclamaſſe; veritus ne imperitia everteret incœptum opus; ſimul indignatus, factam ſibi regni ſpem decepiſſe; ſtatuit eò cum aliquot auxiliaribus copiis tranſmittere, ſpecie extinguendæ ſocero ſeditionis; re vera, ut conſilii militiæque expertus factioſis moderaretur, ac ſe proponeret. Miſſo qui Regi nuntiaret ejus adventum, eximeretque ſuſpicionem; reſponſum retulit: ſiſteret gradum; ſatis ſibi ad comprimendos perduelles virium eſſe, nec alienis onerari velle. Non enim fallebat eum, quo ſpectaret oblatum auxilium, factaque ultro pollicitatio. Ita ab internis externiſque inſidiis parta Regi quies videbatur; cùm tamen hinc ei turbarum initia, nec minus tutus, quàm cùm viciſſet. Arauſionenſis enim, ubi ſe in ſuſpicionem veniſſe comperit, diligentius rebellandi cupidos audire, ſuadere quoque ne ſocero tempus darent commo-

Dat ad regem literas, rogatque ad ipſum traduci.

Cauſam ſuam apud Iudices capitales jubetur dicere.

Capite damnatur.

Ejus indoles & agendi ratio.

Arauſionenſis in Angliam cum militũ manu ire ſtatuit, ſpecie Socero opitulandi.

A rege ire prohibitus.

Quo obtentu, & quare.

Hinc ſolicitati Anglorũ tumultus.

Arauſionenſe annitente.

moțos ſemel civium animos placandi refrænandive; 1685.
& qui procerum adhuc ancipites fluctuabant, in deteriorem partem inclinarunt, exiſtimantes, tutiùs ſibi apud factioſos fore, quàm apud Regem. Nam crimen ſuſpecto tempore faciliùs creditur, quàm purgatur. Auxit metum Monumethii mors, quæ data poſt conventum patruum, crudelitatis arguebatur, quaſi miſero non ſatis habuiſſet vitam eripere, ſed inſultare, implacabili exaturando odio, voluiſſet. In hujus pariter argumentum & quæſtiones de perduellione durius habitæ trahebantur. Plures quippe, negligenti judicio, ferro aut laqueo abſumpti, quàm qui defectionis comperti; ut delictum inuri potius, quàm perquiri, viſum fuerit. Quod ubi Regi patuit, rem graviter doluiſſe ferunt; deteſtatus autem aliorum avaritiam, qui, nullo veri falſive diſcrimine, una tantùm coemptam pecunia vitam conceſſiſſent; aliorum privatum odium, cui plus æquo indulſerant, finem inquirendo impoſuit. Nulla tamen ob nimiam Regis lenitatem affecti pœna Judices, quamquam meriti, quin & aliqui præmiis, id ex ejus voluntate geſſiſſe, famam apud vulgus hominum ſubjerunt. Verùm nihil ad alienandos cujuſque generis animos adeo valuit, ut pervulgatus ubique rumor, Catholicam religionem adversùs leges caput illic tandem erigere, Anglicanam demittere, & nullum regiæ poteſtatis modum fieri. Falſum id quidem, ſed præteritæ ſuſpiciones aſpergebant aliqua apud rerum ignaros veri ſpecie. Hærebat tot

Procerum pluribus in ſuſpicionē adductis.

Monumethii miſericordia.

Judiciorum, quæ de perduellione vitia habita fuerant, indignatione.

Quod Rex ægre tulit direptis Judiciis, ſed nulla judicum pœna: qua de re male apud vulgus audiit.

Objectum ipſi immodicum proferendæ Catholicæ Religionis, & Regiæ poteſtatis ſtudium, ſed falsò. Unde hæc ſuſpicio.

Digitized by Google

1685.

tot jam annos infixus timor Anglorum mentibus; inducta ſemel in Regem priſca Majorum ſuorum ac popularium religione, reliquas ab hac errantes abjectum iri. Eamquippe, ſi a ſe ſe vim propulſare poſſet, haud difficile, veritatis indicio, vetuſtatis commendatione, priſtinam in regno ſedem repetituram. Huic in primis amovendæ ſolicitudini (nam pauci regis nomen & auctoritatem, aut Jacobum mitiſſimi ingenii Principem averſabantur) ſæpius, ut retulimus, conjuratum fuerat, viſque & dolus adhibiti expugnando Carolo, ut alienæ invidiæ proderet Fratris jura. Is itaque, vixdum Imperium adeptus, liberaverat hoc anſios metu, data fide ſe nihil adversùs Anglicanos ritus, quo periculum adeant, commoturum. Et ſtetit promiſſis; quæ tamen non eò pertingebant, ut Catholicos patrocinio excluderet. Quamobrem deleta ſeditione, cùm nihil ſibi ultra timendum ab domeſticis hoſtibus videretur, illis in rempublicam magiſtratuſque reſtituendis dare operam cœpit. Obſtabat lex, quæ horribilem Romanorum dogmatum execrationem publica adeuntibus munera præſcribebat. Hanc ſibi & regno incommodam, quippe quæ cives clariſſimos a gerenda republica prohiberet, ſe abrogaturum, & aliquot Catholicorum, militiæ pridem præfecturis donatos, in exercitu retenturum, monuit Anglicanum legatorum Conventum, ratus officio delinitum rem probaturum, quæ ab reliquis legibus non diſcreparet. Undique exortum murmur, & apertæ quorumdam vo-

Ex ea ſuſpicione ſæpius in regem conjuratum fuit.

Qui tamen vix regnum adeptus dedit fidem, nihil adverſus leges ſe moturum.

Quò quæ pauca Catholicis conceſſit, non pertinebant.

Catholicos in reipublicæ militiæque munera inducturus, concilium monet, juſjurandum, quo illorum dogmata rejiciuntur, ſe deleturum.

Concilium rem averſatur.

voces, ita leges promiſſaque perfractum iri, objicientium, Regem haud quaquam latère paſſæ ſunt, quantùm unuſquiſque ab eo propoſito abhòrreret. Ne falſa opinio in vulgus manaret, clam equitem Haleſium, qui publico ſimul quopiam honeſtabatur munere, colebatque ſimul Romana Sacra, ea lege ad tribunos capitales deferri jubet, quæ nonniſi jurejurando aſſertis Anglicanis placitis adire magiſtratus vetat, ut cùm ſe ille ſupremo Regis imperio ſolutum ea lege diceret, an ſolvi licuiſſet, judicio dirimeretur. Omnium ſententiis obtinuit cauſam, acerbis contentionibus agitatam; aſſertaque Regis facultas remittendi cui vellet legum pœnas. Quod judicium non ita multò poſt confirmatum a Duodecemvirùm, obſcuri interprete juris, Collegio, utpote more Majorum perpetuiſque exemplis commendatûm, Regi, ut hac ſua poteſtate liberaliùs uteretur, ademit curam. Aliquos proinde ſecum religione conjunctos in ſenatum adlegit, magiſtratu militiæque muneribus decoravit, eo tamen delectu, ut non pietatis, ſed reipublicæ habita fuiſſe ratio videretur. Id primò ſermones dedit; mox privatis querimoniis, publicis demum concionibus, quæ pro re ſacra ad populum habebantur, exagitatum. Rex, ne licentia, ut fit, impunita excreſceret, in turbaſque tandem evaderet, adjecit animum ad eam comprimendam, juſſis præcipue rerum Anglicanæ ſectæ ſacrarum moderatoribus ab turbulentis concionibus temperare. Iis quippe Ordinis auctoritas faciebat fidem

1685.

Rex, id ſibi licere, probari curat.

Quomodo.

Eaque poteſtate modice utitur.

Hinc rumor ingens, ſacrorum Miniſtris turbas cientibus.

Iique ab ſeditionis cōcionibus abſiſtere juſſi.

1685. dem, pietatis color audaciam, iram ex adverſa religione damni metus. Lex erat ſevere interdicens, iiſdem concionibus contumelioſas ſeditioſaſque voces interſerere. Ex ea Judices dedit, qui de tumultu in Pontifices, minoreſque Miniſtros inquirerent; turbandi autem clamitandique immoderatos detinerent inflictis pœnis. Et inflixere quidem; ſed præter cæteros omnium oculos in ſe convertit Londini Antiſtes, ſuo munere prohibitus obeundo, quòd cuidam Londinenſi Parocho atrociter concionanti plus æquo indulſiſſet, dediſſetque animos concitanti inſanis ſermonibus plebem. Hæc fuere turbarum ſemina, quæ non ita multò poſt in ingentes ærumnas eruperunt. Fama eſt, media conſilia Regem perdidiſſe, quæ plerumque neque amicos fovent, neque inimicos opprimunt. Creditum: ſi tacitus, priuſquam quidpiam novaret, ſe corroboraſſet; ſibi adeo cives temperantia conciliaturum, ut nemo ejus non obſequi voluntati auſus fuiſſet; vel ſi victoris in morem ſuæ religionis alumnis legiones, ſenatum, magiſtratus impleſſet, frænos reluctantibus, ne ſe commoverent, impoſiturum. Dum verò mitius agit, nec metu nec gratia ſibi conſuluiſſe. Adeo rerum maximarum eventus a conſiliorum diverſitate, quæ idcirco diligenter verſare oportet, in alterutrum pendet. Ejuſmodi ſolertia uſus Galliarum Rex Ludovicus, rem difficillimam, Patri quamquam vehementer optanti inexuperabilem, ſibi jam diu propoſitam, per id prope temporis obtinuit. Anno poſt quin-

Magiſtratum in id creat.

A quo plures multati, ac præſertim Londini Antiſtes.

Quid præcipue regi nocuiſſe, creditum fuerit.

Rex Christianiſſimus delere Nannetenſe decretum in animum inducit.

Digitized by Google

quintumdecimum ſeculum octavo ac nonageſimo celeberrimo illo Nannetenſi Diplomate Calvini ſectatoribus a magno Henrico hujus nominis quarto conceſſum fuerant, impunè apud Gallos in ea hæreſi eſſe. Hanc iis dederat veniam, ſimul metu ne in deſperationem acti (& poterant virium robore) ad arma confugerent, diſſidiaque tot jam annos florentiſſimum regnum depopulata, recrudeſcerent; ſimul ſpe, eos facto reſipiſcendi ſpatio, aliquando in Catholicorum caſtra redituros; malo quoque pudore; ſi navatæ ſibi, in ipſorum tunc ſec[illegible]ſcripto, ſumma fide maximiſque calamitatibus operæ nullam retuliſſe gratiam videretur. Itaque edixit, fas iis eſſe, Deum ſuo ritu venerari; extruere ibi templa, ubi frequentes habitarent; ſuæ ſuperſtitionis libros in vulgus edere; erudiendæ juventuti literarum ludos aperire; quin & ſuffragia in Judiciis data; permiſſum cauſas orare; humiles nobilioreſque artes excolere; partem denique eſſe reipublicæ. Id acerbum tenacibus avitę religionis Gallis adeo viſum, ut, cùm paullo poſt ſucceſſerit Henrici mors, ubique Diplomati contradixerint. Quamobrem Calviniani ei aſſerendo agitare tumultus, obortis iterum inteſtinis diſcordiis ſeſe immiſcere. Nec inani ſucceſſu. Quippe poſt unum & trigeſimum annum ab Nannetenſi decreto Nemauſienſe alterum ejus ſequeſtre ab tertiodecimo Ludovico, ſi ad quieta conſilia traducere eos vellet, dari oportuit. Occupantibus deinde regum curam externis hoſtibus, extra præſcriptos fines haud

1685.

Quando illud Calvinianis conceſſum.

Quid in eo concineretur.

Quare.

Sed re infecta, mortuo interim Henrico quarto.

Decretú illud ab Lud. XIII. renovatum, quando, & cur.

1685. ſemel proſiluere. Quos a magno Ludovico, ut repe-
Ab Lud. XIV. imminutum. terent, juſſis anno poſt mille ſexcentos ſexageſimo ſexto; triennio poſt ſedandis jam jam fluctuantibus
Rurſus integrum reſtituitur, & quare. animis promulgatam ea de re ſanctionem abrogare ſatius habuit. Nunquam tamen ab ejus mente avulſa cogitatio piandæ reliquarum ſacrificio, dum occa-
Ei tamen ſemper in animo fuit, illud abolere. ſio ita ferret, veræ religionis. Quò cùm ingenita pietate duceretur, hanc tamen acuebat monitum, a
Quibus incitamentis. Cardinali Mazzarino (& is ab Richelio altero Cardinali acceperat) ſibi adoleſcenti altiùs inſculptum, dum illum de recte adminiſtrando Imperio differentem ſupremis prope mortem ſermonibus audierat: nunquam ſcilicet civiles tumultus Galliæ defuturos,
Ac rationibus. manente ibi Calvini ſecta, unde paratæ vires turbare cupientibus, ipſa invicem iſtorum patrocinio atque auctoritate ſe munitura. Itaque furente finitimorum bello, quum aſperiora conſilia parum tuta videban-
Quibus artibus id perfecerit. tur, ſatis duxit, Potentiores propoſita veritate ac præmiis ab ea deducere. Mox ubi victor nihil ſibi ab domeſticis ſeditionibus timendum vidit, licentiam con-
Paulatim progreditur, & quo greſſu. ventus de re ſacra, ubi non licuerat agendi, Fanis ſolo æquatis, compeſcuit; iniquiores deinde conditiones civilibus turbis præcavendis factas abrupit, fatus: metum haud diuturnum pactionum cuſtodem eſſe. Quare interdictum, ne quis diverſæ religionis artium ediſcendarum nomine apud alterutros diverſaretur; Calviniani ſuæ doctrinæ libros vulgare non poſſent; nec ſuos impuberes, ſi doceri vellent vera dogmata, retinere. Foro etiam & Magiſtratu litibus judicandis

dis abducti ſunt. Quum nihil in ſe virium ad repellendum vulnus, & ſocios religione Principes majoribus implicatos curis animadverterent, quod eis curandum alterum erat, ad Regis clementiam confugere, objicere ſuorum merita, datam haud ſemel fidem pactaſque leges implorare. Publico ipſorum nomine cauſam egit Henricus Rovignii Marchio, idem poſtmodum Gallovidiæ Dynaſta, dum in Anglia exularet. Sed incaſſum conſtanti Rege præteriti recordatione temporis, præſentis opportunitate, futuri providentia. Demum, dato prius Epiſcopis negotio, ut, diffuſa circumquaque diligentiùs veri dogmatis luce, errantium mentes ad eam pellicerent, hoc anno a. d. XV. Kal. Nov. Nannetenſe diploma, Nemauſienſe, & quæ alia inde profluxerant, penitus abrogavit, juſſitque, ubi Gallicum Imperium eſſet, prophana deleri Templa, nec niſi Romanis cæremoniis Dei majeſtatem coli; Illinc Calvinianorum ſacrorum præſides, ſi obſtinarent ea ſequi, nulla mora ſolum vertere; ſi dimitterent, ſtipendio augeri, quod dimidium ipſorum viduas ſequeretur; Juris quoque laurea minori quàm cæteros diſcendi ſpatio pecuniaque donari, ſi periti forenſibus negotiis vacare vellent; reliquos regno abire prohibitos, ſed extorres foro, arte medica, magiſtratu, republica; privatim ſibi excolendis artibus victuros nullo ſuæ religionis cultu, nullo ſuorum dogmatum gymnaſio; traditurosque, quos ſuſcepturi forent, liberos Catholicis Parochis Baptiſmate initiandos, imbuendoſque

1685.

Calviniani regis clementiam implorant.

Sed incaſſum.

Demum penitus Nannetenſe Decretum, aliaque hujuſmodi abrogata.

Quid Calvinianis interdictum fuerit.

Quid conceſſum.

que

1685. que rerum divinarum ſcientia ac bonis moribus. *Ipſorum conſternatio.* Cuncti ad rei famam conſternati, ut in ſubitis malis, obtorpuere primùm. Mox dolore ipſo revocante animos, cùm nullum remedium proſpicerent, attoniti ſe reſpiciebant. Demum vix mentis compotes, nunc diris execrationibus ſe devovebant, ſimul conjuges liberoſque obteſtati, ne ſibi traditos ab incunabulis ritus unquam deſererent; nunc gemitu ac lacrymis ſe ſe incuſabant, quòd otii ſpe degeneraſſent a Majoribus ſuis, quibus una religionis tutela, arma & ſeditio fuerant. At ubi parumper deſedit ira, *Plures hæreſim ejurant, alii vere alii ſimulate.* deditque conſilio locum, pars Divino afflati numine Hæreſi nuntium remiſerunt; pars remittere ſimularunt; *Alii retinent.* aliqui obſtinarunt animis, retinere. Interea cùm ab iratis haud levis turbarum adeſſet metus, & magni ubique fierent animorum motus, iis præcavendis in provincias diſceſſerant ſagittarii equites, *Sagittarii equites per provincias dimiſſi ad ſedandos tumultus.* qui per urbes & domos diviſi, cuncta extra tumultus aleam poſuerunt. Hos, adversùs obfirmatiores ad retinenda placita menti altius infixa, non unum crudelitatis exemplum edidiſſe, ad eaque ejuranda ipſorum plures adactos a Magiſtratibus, imperando minitandoque, ejus gentis ſcriptores literis conſignarunt. *Ejus ſectæ Scriptores acerbe ab illis ſævitum memorant.* Quin & adhibita nocendi genera, ad augendam fidem, ſingillatim memoriæ hominum prodiderunt. In *Nec falſo, ſed ob aliquod crimen.* aliquos ſævitum fuiſſe, fama fuit, & famam ſuo more mentitam nemo tunc arguit. Nam plurimorum vexata militum contubernio patrimonia in omnium oculis conſtitere. Verùm ut negare non auſim, non

adeo

adeo a militari licentia cautum fuiſſe, ut huic ſinguli ſe ſubripuerint; æque affirmare poſſim, apud rerum prudentes percrebuiſſe, publicæ ſeveritati non diſſidentium religionem, ſed protervitatem multis expreſſam modis, occaſionem præbuiſſe; & privatas injurias non Regis voluntati adſcriptas, ſed obortis, ut in tanta rerum perturbatione, altercando contentionibus, inſitoque Mortalibus ingenio, ubi ad ulciſcendum valeas, irritandi quos oderis. Ita in Gallia ad decies octo capitum centena millia priſcæ veræque religioni reſtituta, amotaque lues, tandiu illic ſacram civilemque rem atrociter depopulata. Quòd ſi ejus alicubi occulta manſerunt ſemina; profectò ſi ſtirpem emittere prohibeantur; nemo dubitare poſſit, ſua ſponte celeriter peritura. Huc adeo ſtudiis omnibus intendebat animum Rex, ut quoad hæc tot iratæ ambiguæque mentis hominum tempeſtas reſediſſet, ſe aliò diſtrahi nollet. Quare cùm ſub hoc tempus ſine liberis deceſſiſſet Carolus Octovir Palatinus, obveniſſetque jure inſtitutoque Majorum Octoviralis dignitas cum nobili ad Rhenum provincia ejus conſanguineo Philippo Wilhelmo Neoburgenſi; inde verò huic plura in controverſiam veniſſent cum germano Regis Philippo Aurelianenſi, cui unica Palatini ſoror enupta erat; maluit ille quieta conſilia; Pontificemque maximum rei dirimendæ arbitrum poſtulavit. Lis erat non de privato Caroli patrimonio, fiduciariiſque extra Germaniam oppidis, quæ ad Eliſabetham Carlottam ſororem pertinere

1685.

Aut privatas ſimultates.

Quo numero ad veram illic religioné redierint.

Moritur Carolus Octovir Palatinus.

Oborta hinc controverſia inter Wilhelmū Neoburgenſem, & Philippum Aurelianenſem Ludovici regis fratrem.

Rex illarum arbitrum Pontificem maximum petit.

Controverſiæ capita.

1685. re nemo ambigebat; verùm de fiduciariis itidem pluribus in ipſa Germania, queis licèt in conjugii tabulis ſe abdicaſſet; an abdicando, ſuſceptæ proli officere potuiſſet, illaque ne omnia ejus nominis eſſent, cujus ab Octoviro aſſerebantur, haud ſatis compertum erat. Is, ejuſque gener Leopoldus Imperator conditionem eò lubentius accipiebant, quò Ludovicus per hos ipſos dies legiones ad Rhenum promoveri juſſerat, minitatus vim illaturum, ſi Octovir detinendis dubiis oppidis obfirmaſſet animum. Et obfirmaverat quidem, fretus Generi viribus, ac ſpe, Germanos omni ſtudio, ne cis rhenum Gallicum Imperium dilataretur, daturos operam. Id Regi Principum obſequiis aſſueto, admovebat ignem ut exardeſceret. Quievit tamen, pudore Cæſarem a Turcico bello removendi, & metu domeſticæ ſeditionis, quæ, ſe ad regni fines occupato, facilè ex illis Calvinianorum fluctibus excitari poterat; temperanſque ſibi, in ea de capiendo contentionis arbitro Romano Pontifice ſententia manſit; ratus: fortis & magni animi eſſe, non indiſcriminatim audaciora ſequi conſilia, ſed in tempore, & ubi quidpiam fortunæ dubiiſque rerum eventibus non dare nequeas. Quamquam deinde pacificatoris, non arbitri munus Pontifici delatum eſt; Octoviro Brandeburgenſi, quem Cæſar a Palatino ſcriptum ſupremæ ſuæ voluntatis curatorem conſuluerat, admonente: provincialia negotia Germanici Imperii legibus haudquaquam externorum judicio, pacificationi tantùm ſubjici poſſe; nec Roma-

Cæſar & Octovir Palatinus arbitrio Pontificis rem permiſiſſent.

Sed pacificator tantū aſſumptus.

Quippe Octovir Brandeburgenſis hos monuit, Germanorum jure arbitrum extra provinciam aſſumi non poſſe.

Digitized by Google

manam ſententiam ſubituros, qui ab ea religione diſ- 1685.
ſidentes ſupremis iiſdem tabulis in ſpem ſecundam hæreditatis vocati fuerant. Interea majori cura fluctuaverat Viennenſis Aula, conſilii anceps, an pax cum Turcis inſtauranda foret, cujus tunc ſe maxima occaſio obtulerat. Nam poſt Tehelium carceri mancipatum, uti victimam placando Cæſari deſtinatam, Budæ prætor cum hujſmodi mandatis Viennam miſerat: ſi Cæſar Mortalium miſertus, finiendum bellum arbitraretur, ſibi aliquem Byzantium legaret, qui de conditionibus conveniret. Enimvero ut ad pacem reconciliandam Cæſaris voluntas, Aulicorum ſententiæ inclinarent, Octovir omnem commorat lapidem, metuens ſibi a Gallis, impedito Genero ad auxiliandum. Itaque & ipſe palam, & clam per interiores amicos illum monuerat: ſatius duceret, in meliori ſua fortuna æquis conditionibus diſcordias componere, quàm fortunæ iterum ſe ſe objicere, amplioribus obtinendis. Hanc enim perpetuò obſequentem quis ſibi ſpondere queat? Et ſi mutaret; an non ruere quoque poſſet; inutili tunc dolore cuncta & fortè non ſine uſuris reſtituendi, cùm retinere plura licuiſſet? Satis proinde haberet, non parvum hactenus retuliſſe victoriæ præmium; nec ſpem ſequeretur, quæ ſæpius decipit; & ſi crederet non decepturam, ſimul perpenderet, inhoneſtam pacem potenti inimico (ira ac pudore ad vindictam extimulantibus) belli incitamentum, non finem eſſe. Quæ ſi pro ſua magnanimitate parvi faceret, fideretque præbenti ſe modo felicitati; illud

Viennenſis aula anceps an pacem cum Turcis inſtaurari, Cæſari conducat.

Budæ Prætor ejus mentionem fieri curat.

Octovir Palatinus illam ſuadet.

Quibus argumẽtis.

1685. profectò non contemnendum: Germaniam, barbarico perſequendo bello, in diſcrimen adduci, cujus tamen vel unum oppidum pro gentis cognatione, pro Imperii dignitate, pro periculi magnitudine Hungaricis provinciis præponendum eſſe. Hæc Cæſarem ſolicitabant, quum præſertim Tehelii uxor per conjugis legatos nondum Vienna digreſſos Monkatio ſe diſceſſuram, daret fidem; dummodo certior fieret, repetituram cum ipſo conjuge avitum decus ac patrimonium. Sic enim prorſus domitis pacatiſque alpinis Hungaris, nihil in præſens ad extinguendam perduellionem ſuperfuturum, parum in poſterum ad præcavendam. Accedebat rei nummariæ difficultas, quæ militum delectum, commeatuum, reique militaris apparatum impediebat. Nam provinciæ, diu vexatæ, alendo bello non ſufficiebant; & Innocentius Pontifex maximus, qui adhuc ingentem ſubmiſerat argenti vim, ſe contraxerat, cauſatus ærarii anguſtias, violataque alicubi in Cæſaris Imperio, & nondum reſtituta quædam Eccleſiæ jura. Tantummodo faciebat ſpem, aliquid ab Hiſpanis ſacerdotiis, decumarum nomine, pecuniæ; militum a Gallis corrogaturum. Ludovicum enim regem ad opem ferendam illexerat ſuo & Majorum exemplo, qui non ſemel arma cœperant adversùs Barbaros; & ipſe ante duos & viginti annos cum decem legionibus Leopoldo Turcicum in Hungaria patranti bellum, fuerat opitulatus. Nec abnuebat Rex, ſi tamen ſibi Lotharingiæ retinendæ poteſtas fieret,

Tehelii Uxor tradendi Monkatiū Cæſari ſermonem infert.

Quibus conditionibus.

Aliæ rationes pro ſancienda pace.

Præcipue Ærarii anguſtiæ.

Innoc. Pontifex opem mittere recuſabat, & quare.

Decumas Hiſpanis Sacerdotiis indicere ſpondebat. Et militum quidpiam a Gallis.

Ludovicus Rex opem ſubmittere Cæſari non recuſabat.

Dummodo conditionibus acceptis.

eret, ſarciretur que Duci Carolo damnum, aliqua Turcarum provincia in ejus poteſtatem ſocialibus armis redacta; & Tranſylvania præcipue recenſebatur. Quæ tamen, tantùm abfuit, ut Cæſari ſuaderent ducendum bellum; quin ut illud ſedaret, momentum faciebant; verito, ut res fuit, vanam ſacræ Hiſpanienſis pecuniæ ſpem (quippe pauca ab uno alterove ejus gentis Epiſcopo aureorum millia obvenere), ac vehementer adeo propoſitam Gallicæ opis conditionem averſato, ut ei Pontifex maximus, quòd rem propoſuiſſet, de captanda Regis gratia ſuſpicionem moverit. Dum ita Cæſar deliberat, duo illum ad reſpuendam pacem impulere: data ſcilicet per eos dies Innocentio a Ludovico fides, nihil ſe fraternæ cum Philippo Octoviro Palatino contentionis cauſa adverſùs Germaniam commoturum; & promiſſa ad militum ſupplementum apparandamque rem militarem pecunia, quantacumque curanda foret, a Franciſco Cardinali Bonviſio, qui apud ipſum Romani Legati munere fungebatur, Colonitioque Antiſtite. Hanc verò illi pecuniam corrogaverant, divenditis ex triente, ut diximus, plurimorum ſacerdotiorum fundis, unde ſimul ad duodecies ſcutatorum centena millia Pontificis maximi auctoritate in ſacrum bellum erogata ſunt. Quem ego Cardinalem Bonviſium, mentis magnitudine obitiſque legationibus clariſſimum, nomino honoris non modò cauſa, ſed grati animi; quippe qui ex ejus literarum voluminibus aliiſque monumentis multùm ad hæc conſcribenda

1685.

Quæ illæ forent.

Cæſar militum auxilium reſpuit ab Gallis.

Delet illud a Pontifice propoſitum.

Turcicum bellum perſequendū ſtatuit. Et quare.

Ludovicus Rex dat Pontifici fidem nihil adverſus Palatinum armis commoturum.

Cæſari ingens pecunia ipſius Pōtificis beneficio obvenit, & unde.

1685. profecerim. Itaque Cæſar Budæ prætoris legatum nullo dato reſponſo dimitti, ſupplendis legionibus milites conſcribi, a ſociis validiora ſubſidia exorari juſſit. Nec minus Turcæ, deſperata honeſtis conditionibus pace, ad bellum terra marique gerendum ſeſe expediebant. Ibraimo ſucceſſerat in ſupremi Viſirii locum Solymanus, qui re proſpere geſta adverſus Polonos, bene apud ſuam gentem audiebat, augebantque ejus nomen ſuſceptæ aliis ducibus calamitates. Illum rex Mehemetes, fama atque omnium deſiderio commendatum, in Aulam evocaverat, admoveratque ad Imperii clavum, Ibraimo in Rhodum inſulam relegato. Vitæ perpercerat, iniquum ratus, morte multare eventuum infelicitatem, qua una reus erat. Quamquam non ita multò poſt, placando Solymano, qui ſibi, vivo æmulo, ſuſpicabatur, necari juſſerit; nunquam non vacua metu dominandi cupiditate. Is audito, Germanos ab moderatæ pacis conſiliis abhorrere, & Mehemetem regem præteritis cladibus ferociorem (ut iis, quibus longa felicitate blandita fuerit fortuna, non facilè eam variare poſſe intelligunt) deteſtari Ibraimi facilitatem, qua vel ærumnoſam pacem conquiſierat; ſe totum verterat ad belli curas. Primum ejus ſtudium, debilitare hoſtium vires, ſuorum amplificare. In id Mehemeti propoſuit, ſibi Sarmatas reconciliaret, Camæneco deletis munitionibus in priſtinam ipſorum poteſtatem reſtituto; Hungaros, reddito iis Tehelio, acriùs in Cæſarem exacueret. Noverat illos

Dimittitur infecta pace Budenſis Prętoris Legatus.

Germani & Barbari ad bellum ſe comparant.

Solymanus Viſiriorum princeps Ibraimo ſufficitur.

Quibus rebus Mehemeti Regi commendatus.

Ibraimus Rhodi relegatus.

Paullo poſt necatur.

Solymanus Mehemetē adhortatur, ut reſtituto Cameneco, mœnibus nudato, pacem cum Polonis conſtituat.

los variis inter ſe opinionibus colliſos, belloque feſſos, facilè ab armis abduci poſſe; hos acerrimo orbatos duce propemodum concidiſſe. Mehemetes ferociter execratus qualecumque fœdus inſtaurandum Camæneci pretio; quam arcem munitiſſimam, ſuis domitam auſpiciis, ad Sarmatas regredi, partumque ſibi deleri decus, odio erat; de Tehelio annuit. Hic delinitus alterius Ibraimi copiarum præfecti morte, quem Solymanus, veluti illatæ injuriæ auctorem, re vera privatim ſibi inimicum ſuffocari mandaverat; milite pecuniaque accepta in ſuperiorem Pannoniam progreſſus, veteres clientes ad arma revocare cœpit, Germanos inflammata iterum ſeditione, quæ prope elanguerat, occupaturus. Ea enim plurimùm conſopita, ipſorum legiones, quæ circa Tybiſcum hyemabant, non unam ſuſceperant infeſtam Barbaris expeditionem. Duo equitum millia duce Mercio pro legato Aradum arcem, Temeſuariam inter Juliamque prope Mariſum flumen ſitam, tentare auſa. Magnam ibi commeatuum copiam Turcæ in militum uſum collegerant; quingenti Janizeri præſidio erant. Præmiſſa cum Haiſlero inſtructore exercitus valida Hungarorum manu, qui obequitantes mœnibus præſidium provocarent, in inſidiaſque perducerent; Mercius occulto loco agmen texit. Fortè pridie ejus diei Sophiæ prætor quindecim equitum centuriis præſidium auxerat; qui ad primum Hungarorum conſpectum e portis effuſi veluti ad certam prędam, dum hoſtem circumire ſtudent, in-

1685.

Utque Tehelium perduellibus reſtituat.

Mehemetes Camenecū reſtituēdum averſatur.

De Tehelio annuit.

Hic in libertatem Reſtitutus, delinitur Seraſcherii morte.

Inflammat ſeditionem.

Proſperæ aliquot Germanorum per hyemem expeditiones.

1686. inhærentque fugienti, incaute in plagas ſeſe induerunt. A tergo a latere infenſis armis petiti, paullum dimicando tenuere pedem, quoad extincto Sophiæ prætore, qui ſtrenue inter primos ordines præliabatur, victi metu fugam arripuerunt. Fit aliqua in itinere fugientium ſtrages; major in ipſa arce, quam Germani, ſimul cum hoſte ingreſſi, diripiunt incenſis commeatibus, facta mille quingenum clade, quingenum præda, ſuorum paucis deſideratis. Mercius ad caſtra reverſus, certiorque per exploratores factus, aliquot Scytharum turmas prope Segedunum incurioſe diverſari in prædam intentas, illuc movit. Prima luce ſemiſomnes, nec quidquam tale metuentes, adortus confeſtim fudit. Fuſos excepit ala Turcarum equitum, quæ ſtativa in proximo collocaverat, quæque ſtrepitu admonita ad opem ferendam ſurrexerat. Cum hac durius certamen Germanis fuit; & pari erant numero, duo utrinque fere millia. Pulſa tamen, nec ſine cæde, ſub ipſa Segeduni mœnia ſe abdidit, amiſſa boum pecorumque præda, quam paullo ante eduxerant ex hoſtium agris. Interea Tehelius Varadinum proceſſerat cum quatuor Turcarum millibus, claſſicumque ſuis colligendis canebat. Convenere ad tria millia, & fama erat, plures conſcriptum iri. Quamquam proceres, partim ſimulata partim reconciliata gratia, fidem ſuam eò accuratius Cæſari teſtarentur, quò vehementius impellebantur. At ſemel rebellando effecerant, ne non timeri ſine aliquo timore non poſſent.

Aratú capiunt cum ingenti præda.

Turcæ prope Segedunum funduntur.

Tehelius Perduellium copias colligit.

ſent. Itaque Leopoldus, ne recrudeſceret defectionis vulnus, quod cicatricem prope obduxerat, contrahi copias, quæ circa Tybiſcum amnem hjemabant, earumque partem Æneæ Capraræ ad Monkatium oppugnandum dari juſſit, partem Antonio Carrafæ ad Tehelium Turcaſque detinendos, ne illuc ſuppetias irent. Hic, quia minori bellico apparatu ornandus erat, antevertit legiones prope Varadinum ducere, quò Tehelius ſuos milites convenire juſſerat. Eas ad D. Jobi Fanum (ſex paſſuum millia a Varadino diſtat) admovit, ratus, ita ſe hoſtes ad removendum ab eo periculum avocaturum. Fortè, dum paucis incendiariis ollis verberatur arx, una ſulfurati pulveris caveam, quæ in ima turre latebat, fregit, immiſitque in pulverem flammam, ipſa turri cæteriſque munitionibus labefactatis. Qua re deterriti quingenti milites, qui locum tuebantur, pacti vitam, libertatem, ac rem domeſticam, ſe dedidere tanta apud ſuos infamia, ut ſexdecim, qui ordines ductabant, capite pœnas dederint. Hæc dum aguntur, Monkatium difficili impeditoque itinere Æneas proceſſerat. Vocata in deditionem Ragotia cùm ferociter reſpondiſſet, oppidum machinis lacerari cœptum. Eſt in Beregenſi tractu prope Carpatios montes paluſtre ſolum, in eoque brevis tumulus, quem munitionibus cinctum Monkatium occupat. Spem illic ultimam inſtaurandæ rebellionis, ejuſque ſpei pignus, Ragotiam valida fidiſſimorum militum manus, omni bellico apparatu commeatibuſ-

1686.

Cæſar Mōkatium oppugnari jubet.

Ant. Carrafa D. Jobi Fanum in poteſtatem venit, & quo caſu.

Monkatium oppugnatur & deſcribitur.

1686. buſque inſtructa cuſtodiebat. Dura proinde oppugnatio fuit, nec niſi miſſilibus res geſta.

Oppugnationis difficultas.

Aliquid murorum ariete decuſſum, tecta pyrolmis quaſſata plurimum ruinæ fecerunt. Nihil tamen præſidiarii movebant, addebatque in tanto telorum turbine animos Ragotia, imperterrita vel dum ei olla incendiaria propius effracta mortem objecit.

Ragotiæ diſcrimen.

Capraræ, excitatis opportuno loco adversùs externam vim munitionibus, vineas ad mœnia promovere, qua vada ſinebant, ſtudium erat. Et ingenti quidem labore ad foſſam perduxerat; quæ tamen neque exiccari, cùm perpetuæ ſcaterent aquæ; nec terra ac faſcibus, quæ ſolum non ſuppeditat, æquari poterat. Jam plura quoque exercitum deficiebant, tardæ ac maligne ſubminiſtrata; & Tehelium ad opem abducendam propediem in viam ſe daturum rumor erat. Quocirca ſi non vincere, quod primum in bello eſt; non vinci ſaltem, neque ærumnis affici, quod eſt boni Imperatoris alterum, apud ſe ſtatuens, pedem retulit.

Capraræ cum tot difficultates ſuperare nō poſſet, illinc recedit.

Id ubi Tehelio cognitum, collectum agmen in Cæſarianas legiones vertit, quæ Hungaricam in Tranſylvani ditione oram, eo invito, hyemem traducturæ inſederant. Aliquot ex improviſo adortus Hungarorum ſtationes, in fugam conjecit. Sed adventante in auxilium Croatorum legione, & ad ſigna Germanis ſe conferentibus, iter continuavit vaſtando deprædandoque, quoad Segedunum progreſſus, ea munitione agmen ac ſe contexit; veritus ne ab hoſtibus, qui ad inſequendum ſurrexerant, circum-

Tehelius Germanos prope Tranſylvaniam hiemantes adoritur. Quo ſucceſſu.

Segedunum ſe confert cum ſuis copiis.

cumvento ſibi in acie dimicandum foret. Ibi tamen non tutum receptum habuit. Mercius, Haisleriuſque Zolnochio digreſſi cum valida equitum ala & novem campeſtribus machinis, in eos irruerunt, nullo muralium telorum, quæ continuò micabant, metu. Turcæ vix inito prælio in arcem ſe recepere. Perduelles, quibus eò pervadendi, præoccupato ab iis aditu, non fuit copia, partim equis Tybiſco ſuperato, quos inter Tehelius; partim per agros diſſipati, fuga ſe ſubripuerunt, mille ſuorum flumine aut ferro abſumptis. Hæc tanti non erant, ut Cæſari reviviſcentis perduellionis curam eximerent; & augebat Abaffius ſolicitudinem, clam illam fovendo, ingenio in Thraces inclinato, Cæſari occultus hoſtis. Id hunc non latebat; ſperaverat autem diſſimulata injuria, Abaffium periculo ſuo admonitum ab hoc tandem propoſito abductum iri. Idcirco ejus legatos acceperat audiebatque, & ſuos ad ipſum miſerat, qui mitiſſimis conditionibus in clientelam deducerent, obſtringerentque fidem. At cauſatus finitimum Turcis Imperium ſuum, eludebat ſpem, quæ ſæpe oblata, ſæpius decepta, deſiderium falleret inflammaretque. Itaque longa ludificatione irritatus Cæſar moram abrumpi juſſit, miſſo in Tranſylvaniam Comite Friderico Scarſſembergio pro legato cum ſeptem Germanorum millibus, aliquot Hungarorum cohortibus, qui Regulum vi aut metu ad ſuas partes adigeret. Spes erat, diſcordes inter ſe civium animos ad rei eventum viam aperturos.

1686.

Eas illic Germani aggrediuntur, fundūtque fugāque.

Quanta ſtrage.

Abaffius Hungarorum ſeditionem fovet.

Illum Cæſar, in ſuas partes ut verè ingrediatur, allicit.

Sed fruſtra.

Quocirca in Trāſylvaniam Scarſembergium cum aliquot legionibus mittit.

Qui eam regionē incolant.

1686. Nam Tranſylvania in quatuor populorum ſectas dividitur. Catholicorum, qui prope ſunt aborigenes, & Siculi nuncupantur; Lutheranorum, qua in hæreſi qui Saſones dicuntur degunt; & Calvinianorum Arianorumque. Cæteris auctoritate excellebant Calviniani; quippe Vaivoda ex ipſorum ſecta, Othomanorum decreto, creandus erat. Hi Arianos clientes habebant, odioſum cunctis genus hominum, atque indigens patrocinio; reliquos invidos æmuloſque, & ſi occaſio daretur, apertos hoſtes. Qua freti ſpe Germani in eam oram agmen inducunt. Sed Abaffius in extremæ provinciæ oppidum arte & natura tutum proceſſerat, vim a ſe depulſurus. Illi prope Claudiopolim poſitis caſtris, cùm neque vocati ad ſe populares quicquam moverent, inutili expeditione prædando ſolùm minitandoque tempus trivere; facto nunc etiam documento: in communi periculo concidere civium inter ſe odia, & ſponte ſua diſcordes animos reconciliari. At rerum ſumma in Hungarico bello verſabatur. Ei ex Germanici Imperii dignitate gerendo ſuas Cæſar legiones ſuppleverat, contraxeratque undique auxilia, partim lege conquiſita. Præſtantiora Octoviri Brandeburgenſis, Bojoariuſque detulere, octo utrinque armatorum millia. Prope Parchamum luſtrato exercitu, triginta duo peditum, viginti equitum millia reperta ſunt. Honorarii milites augebant robur, quos undique, nobiliſſimos adoleſcentes, adduxerat Religionis ſtudium & belli amor. Fertur, cum ingenti famulorum

Calviniani ibi potentiores.

Ex quorum Secta Regulus creandus erat.

Abaffius in munitiſſimam arcem ſe confert.

Germani populationibus tempus terunt.

Cæſariani quibus auxiliis, & quo numero in Hungaria.

rum

rum comitatu ad ſex hominum millia fuiſſe. Præter has copias Croatia Schultio cum quinque millibus; cum totidem Antonio Carrafæ Tybiſcus amnis; Scarſſembergio cum octo millibus Tranſylvania cuſtodienda traditur. Plures Hungarorum velitares turmæ expediendis itineribus circumcurſare juſſæ. Quibus ita diſpoſitis de rei agendæ ratione conſilium inter duces in caſtris habitum. Nam Leopoldus Bojoario, Lotharingioque, quid e re foret, de Conſilii ſententia ſtatuendum permiſerat; gnarus in diverſa eos tendere, leviores autem contentiones eſſe remoto judicio Principis, quod quiſque, ut melius vidiſſe videatur, ad ſuam flectere opinionem vehementer ſtudet; cæterùm exorabili æmulatione, ubi parvum æmulandi præmium eſt. Pares, in ſuam quiſque exercitus partem, imperio erant. Hac enim conditione Octovir ſuas legiones auxilio adduxerat, cupidus ſuis tantùm auſpiciis aliquod patrandi facinus, quod nomen faceret; muſſabatque interdum, non ſibi alieno ſemper decori ſubſerviendum, nec æquum cenſeri, alios, per longam ætatem egregie actam jam gloriæ ſaturos, ſibi præ adoleſcentia adhuc exaturando, occaſionem amplificandi nominis invidere. Subjiciebat facem Adoleſcenti Badenſium Princeps, ut non ſemel antea; ratus, id quod res erat: diviſis copiis Lotharingio nervos ad ſplendidiora facinora inciſum iri; ſe verò ex humiliori ejus fama, auctaque Octoviri gloria, apud quem primas agebat partes, luculentius per hominum ora prodi-

1686.

Militare Conſilium de regerenda in Caſtris habetur.

Bojoarius ac Lotharingius, partito imperio, copiis præſunt.

Inter ſe opinionibus diffident.

Lud. Badenſium Princeps Lotharingio æmulus.

1686. turum. Itaque Octovir Albam regalem ſuo milite ſubigendam ſibi poſcere. Lotharingio Budam, quam ſciret illum volutare animo, ſuperandam relinquere; dignum facinus majori exercitu, majori duce. Id eſſe anni tempus, quod facilè ad utramque ex ordine perdomandam ſpatium præberet; nec dubiam ipſarum expugnationem fore, ſibi ſi invicem ſubſidio ab externis hoſtibus ac munimento ſint. Prius tamen Albam invadendam videri, niſi fortè quis oblivіſci velit, quantum inde nuper negotii acceſſerit Budam obſidentibus. Natura quoque comparatum eſſe, ut primùm in quæ minus ardua irrumpamus; ſic enim proſpero ſucceſſu ad majora pericula virtutem acui; & hoſtium debilitari vires, debilitata infelici aliquo eventu vincendi opinione. Octoviro ita ſentienti hærebant ducum plurimi, experti, quanta res eſſet fortiſſimum illud regni caput armis conterere. Proinde opportunum, ajebant, quicquid rei difficultatem adderet, prius expedire. At ſecus Lotharingio ſententia erat. Is præmiſſo: Imperatoris in eo verſari laudem, non ſi ſolus, ſed ſi bene rem gerat; & militare decus non ejus auſpicio, ſed virtute conſilioque celebrari; hæc autem eò referre, ut inclytus Adoleſcens haudquaquam dubitet, gloriæ deſiderium, quo maxime fertur, non expleturum, ſibi ſi rerum gerendarum ſocium aſciſcat; ſic dicere exorſus eſt. Duæ ſimul fortiſſimarum urbium oppugnationes non ſunt profectò noſtrarum virium. Buda enim & regalis Alba, loco, ope-

Bojoarius ſibi Albam regalem oppugnandam petit.

Quibus rationibus.

Lotharingius Budam prius petendam contendit.

Ejus oratio.

operibus, præſidio munitiſſimæ, vix harum una non æquat noſtrarum legionum robur. Primam illam experti ſumus; quid valeat altera, ex his quæ diximus, conjectari licet. Idque ſuo tantùm Marte. Quid ſi animos & opem addat externus miles, qui ſtrenuo duce ſuppetias laturus vallo ſuccedat? Quid, ſi res ſit ejuſmodi, in qua ſine maximo detrimento errari nequeat? Nam ſi diviſis copiis cum hoſte ferociſſimo nobis, duplici obſidione jam feſſis, pugnandum fuerit, an non periculum aderit, concuſſum iri? & ſi concutiamur, nonne tota pateret Hungaria populationibus? & quibus aliis legionibus Germanicum Imperium ſtaret? Hæc igitur conſilii pars deliberatione non indiget. Nec altera illa quidem, an utrique ordine oppugnandæ tempus & bellici apparatus ſuppetant. Ambas enim validiſſimum præſidium obtinet; aut mox, priuſquam exercitum admoveamus, obtinebit, rei militaris copia, animis & ferocia potens; diu proinde recenti Budæ exemplo oppugnatores moraturum; & jam æſtas incepit. Supereſt igitur, ut, cùm de alterutra ſtatuendum ſit, utram malis, ratio ineatur. Ego Budam opportuniorem dicere, nullus dubito. Quid enim in unoquoque pertentando facinore penſari debet? Decus ſcilicet, utilitas, vires. Primum ad ſplendorem nominis & famam pertinet, qua plurimùm virtus excitatur. Alterum ad ipſam virtutem fovendam, quæ præmiis deſtituta hebeſcit. Tertium, ne, cùm illa quidpiam aggreditur, impar concidat. Si 1686.

de

1686. de rei dignitate diſſeratur, quis Budam cum Alba regali conferre audeat? Illa jampridem regum, nunc prætorum ſedes, operibus tutior, frequentior civibus, ſuperba invictæ adhuc nomine. Hanc inter minores urbes, quarum tot recenſet Hungaria, nemo abnuat collocare. Si de utilitate; & hæc quidem unde major obventura ſit, ſatis cuique maxime patet. Taceo prædam, Buda capta, opulentiorem; quæ tamen ad augendam militum alacritatem valet plurimùm. Id urgeo: ea in poteſtatem redacta, prope debellatum iri. Nam quod oppidum, muniſſimæ hujus urbis expugnatione territum, tantas intra ſe vires continere arbitrabitur, ut Budæ expugnatoribus obniti ſe poſſe credat? nolit autem ſpontanea deditione excidium maximaſque calamitates prævertere? Eſt quotidie in omnium oculis: maximarum urbium fatum minores ſequi, & uno eodemque tempore unam armis excindi, plures metu. Jam verò quantùm Cæſaris interſit, citò Hungaricum profligare bellum, ille ſolùm ignorat, qui neſciat, accelerari apud Rhenum Germaniæ pericula, quæ noſtris hiſce legionibus propulſare oporteat. Quòd ſi Pannonicæ arces ſingillatim atque ordine capiendæ ſint, nullus propemodum foret belli finis, nulla feſſis legionibus quies, modus ærumnarum nullus, & nullum unquam Cæſari ab perduellibus otium. Hæc quidem omnibus comperta atque explorata eſſe puto. Nunc de viribus dicendum eſt; in quo aliquibus hærere mea poſſe oratio videatur.

Vi-

Video enim, ſic apud ſe animo præoccupaſſe: eas 1686.
nobis adeſſe vires, quæ poſſint certiſſimo eventu Albam opprimere, Budam incerto; & boni eſſe Imperatoris, idque maxime ad bellicam ſpectare dignitatem utilitatemque: ſplendidioribus conſiliis tutiora præferre. Satis videri, ſemel erratum fuiſſe hac ipſa immodicæ laudis cupiditate; quæ, niſi intra fines cohibeatur, ut reliqui effrænati animi affectus, in præceps ducit. Vera iſta quidem, ſed puto, falſa opinione periculoſiorem Budæ, quàm Albæ obſidionem exiſtimari. Plures illic ob validiora mœnia ferrum abſumet; hìc ob circumpoſitas paludes cœli gravitas. Altera latiori gyro majores ad circumſidendum copias exquirit; altera ad expediendos commeatus; quos illuc facili explicatoque curſu Danubius afferret; hìc difficili vehiculatione ſubminiſtratos, ni caveatur, a tergo Budenſe præſidium, a fronte Viſirius interciperet. Præterea, hebeſcere animorum vim, qua bellum viget, ſi militi non virtute cum hoſtibus, ſed patientia cum morbo ac fame pugnandum ſit. Itaque in pari diſcrimine, quò arma conferenda ſunt? Illuc profectò, quò major nos advocet rei dignitas atque emolumentum. Quæ cùm Buda oppugnanda luculentius affutura & fateantur omnes, & argumentis evicerim, & in aperto ſit; non eſſe videtur, cur diutius deliberantes ambigamus. Nec nos deterreat accepta illic dudum calamitas. Non enim vi pulſi diſceſſimus, quin urbem in eas anguſtias conjecera-

1686. ramus, ut, nobis parum cunctantibus, diu quidem ſtare non potuiſſet. Fame, inquam, fame inflictiſque, noſtrorum incuria ne an invidia, ærumnis domiti, civium odio, non hoſtium furori ceſſimus. Sed iiſdem ærumnis, ne denuo ingruant, Cæſaris providentia, novorum Quæſtorum ſedulitas diligenter occurrit. Quæ autem nocuere mala, ſi præcautum ſit, non metum præteriti recordatione periculi, ſed non redituri ſecuritate alacritatem atque animos afferunt. Denique præſenſio quædam, non fallax illa quidem rerum expertis, adeo me tenet, ut futuram Cæſaris Budam, ſi in ipſam arma inferamus, pro certo affirmare non dubitem. Quamquam ſilentio auditus Lotharingius, tamen Bojoarii, & qui cum eo faciebant, plurium non movit animos, obfirmato Adoleſcente, diviſis auſpiciis bellum gerere. Quod ubi Cæſari innotuit, veritus ne diſputando tempus diſtraheretur, legavit ſibi ad utrumque ſupremum ducem Comitem Theodorum Stratmanum a privatis epiſtolis, qui eos componeret. Cum eo Lotharingius Bojoarium convenit, multaque dixit de non dividendo exercitu; quibus Octovir aſſenſus, placatuſque ea honoris ſignificatione; comperto ſimul partem ſibi ſummo cum imperio dari Budæ oppugnandæ, rejecto ad Cæſarem negotio, ſe ait in ejus poteſtate fore. Leopoldus Lotharingii auctoritate fretus, in hujus ſententiam animum inclinavit. Id uti lateret hoſtem, tunc perpetuò fatali quadam Viennenſis Aulæ incuria

Bojoarius tamen ab Lotharingii ſententia diſſentit.

Cæſar ad eos inter ſe componendos Stratmanum mittit.

Bojoarius dicit in Cæſaris poteſtate ſe fore.

Buda oppugnanda decernitur.

ria

1686.

Id quomodo Turcis occulitur.

ria ſecreti conſcium, de Alba regali oppugnanda promulgari ac dari literas juſſit. Quæ tamen dum obſignarentur, clam alios ſua manu Budam invadendam adſcripſit. Callide quidem, nam Turcæ falſo decepti nuntio, ſubductis quatuor armatorum millibus ad Albam firmandam; Budæ præſidium debilitarunt. At miſerum, ſibi ſi Princeps una tantùm aſtutia cavere queat. Re deliberata, Bojoarius Lotharingiuſque in eam unanimes ſtudium atque operam intenderunt.

Exercitus Budam progreditur.

Iter ingreſſi, primus a læva Danubii ripa, alter ab dextra, ſunt proſequuti. Poſtridie Idus Junias Cæſariani in Budæ conſpectum, Bojoarii Peſthum in adverſa ripa a Turcis deſertum ardentemque injecta ab iis flamma, ea ſedata, occuparunt munieruntque. Facto deinde infra oppidum ponte, flumen tranſmittunt.

Quo ordine copiæ digeruntur.

Poſitis ubi jam duos ante annos caſtris, eadem pariter, quæ tunc, loca (ut plerumque horum notitia facit animos) ad oppugnandum ſuſcipiunt, Bojoarius ad ortum Solis adversùs arcem; Lotharingius ad exteriorem angulum, quà oppidi facies ad occidentem vergit; Brandeburgenſes, qui non multò poſt advenere, ad eamdem faciem propiùs Danubium.

Budæ ſtatus deſcribitur.

Vigebat Buda integris mœnibus, quæ Turcæ ſuperiori obſidione labefactata diligenter inſtauraverant, fulciverantque latiori aggere, & circa foſſam duplicaverant vallos, addiderantque munitionum quicquid loci natura patiebatur.

Quantum in ea præſidium & quo Prætore.

Præſidio ibi adhuc erant, præter quatuor Albam abductos, octo ſelectorum militum mil-

1686. millia, quos habito civium delectu, ſex millibus ſuppleverat prætor Abdius, purpuratorum unus, fide, manu, conſilio ſtrenuus; qui & illam inter præſidii majores duces antea tutatus, ſuperato ſemel periculo, fidentiùs, quod nunc inſtabat, aſpernabatur. Omni bellico apparatu, machinis, commeatu ſupra modum inſtructa oſtentabat ingentes vires, & robur addebat prætoris vigor adeo intrepidus obfirmatuſque, ut quatuor Janizaris, qui inter ſuos familiari ſermone Germanos ut belli peritos extulerant, laqueo cervices fregerit, ne cui metus per alienam laudem irreperet. Is ubi ante mœnia hoſtem vidit, militiæ duces in forum vocatos his paucis alloquitur. Adeſte animis, commilitones, & quæ nunc dico, memoria retinete. Budæ fatum in veſtris manibus eſt, quæ celſa loco, cincta munitionibus, tormentis ac machinis circummunita perire nequit, ni vobis fides & virtus pereat. His freta, dudum eluſit hoſtiles impetus; & modò eludet, ſi eoſdem geratis animos, quos tunc geſſiſtis. Nam paret, ſi ferociter inferantur, armis fortuna, nec unquam deſerit fortes viros. Strenuitate proinde, quin, uti in extremis malis, ferocia opus eſt; qua una clariſſimæ hujus urbis imperium, opes, vita retineri poſſunt. Ignavo mortem inferet hoſtis aut lictor. Hanc mihi & vobis multam impono, juroque in meum caput, nihil de hac me ſententia dimoturum. Quamquam fœdum omen avertat Mehemetes. Non enim vereor, quin ſtrenue dimicaturi ſitis.

Hujus indoles, virtus atque animus.

Oratio ad milites

tis.

tis. Illud potiùs utrique addamus: ſi nec noſtro nec hoſtium ſanguine Superi placari poſſint, quominus hanc nobis Hungarici Imperii ſedem eripiant; hac prius noſtris manibus incendio conſumpta, deſtructa præda, civibus ſimul cum patria deletis, exaturemus Superûm crudelitatem; & hoſtis nudo ambuſtoque ſolo, Buda nequaquam potiatur. In id facinus, Muphtio execrabile carmen præeunte, cuncti impavide ſe devoverunt. Interea Cæſariani adverſùs præſidiarios externaſque vires circumjaciebant vallum, firmabantque caſtellis per opportuna loca diſpoſitis. Eorum unum, quò plurima adducta fuerant commeatuum plauſtra, oppidani (trecenti equites peditesque, pari utrique numero) nondum abſolutum ingenti ſtrepitu adoriuntur, ac vix abfuit quin ſuperarent. Miles enim operi implicitus ægre arma expediebat, locabatque ſeſe. Et primò fuga; mox, ſupervenientibus aliis, verſa fronte hoſtem uſque ad teli e muris jactum repellunt. Circumvallato exercitu, obvertunt illico majora tormenta, Bojoarius e S. Gotardi tumulo, unde ſe tempeſtive receperant Turcæ ne intercluderentur, ex interpoſitaque valle in arcis roſtrum; Lotharingius in ſuburbanam loricam, quæ nullo ſuffulta aggere, confeſtim ſtrata ruinis, latum aperuit aditum tranſgreſſuris. Subeuntibus murales tantùm machinæ moleſtiam attulerunt, Turcis, illic attenuare inutili pugna vires, ſupervacaneum ratis. Quievere quoque, dum ſe prope ruinas muniret hoſtis.

1686.

Turcæ ſe devovēt, prius deleturos urbem quam dedituros.

Prima, & ferociſſima Oppidanorum eruptio, quo ſucceſſu.

Oppugnatio deſcribitur.

Turcę ab inferiori urbe cito recedūt.

1686. At ubi ſub noctem per anfractus viarum promovere *Iterû erumpunt.* gradum ac ſuccedere colli cœpit, clam domibus egreſſi, a fronte a latere, quà nota ducebant itinera, prælium conſerunt. Grave iſtud Germanis erat, *Cruenta pugna.* cùm nec aciem explicare poſſent, & unde ſibi nova ſubinde orirentur pericula, in incerto eſſet. Poſt *Repelluntur.* longam ancipitemque dimicationem Turcæ tandem ceſſere loco, intra munitiones compulſi. Nox dilatando muniendoque ædium ruinis obſidionali vallo abſumpta; nec ita multò poſt expedita duodecim majora tormenta loricam ex adverſo ferire incipiunt. Et Bojòarii aggerem producebant, quatiebantque ſeptem arietibus oppoſitum rotundo opere arcis caput; cùm facto oppidanorum impetu, nece ac vulneribus territi protruduntur; & timor inceſſerat, ne tumultus ad machinas progrederetur. Octovir levi tentatus febre in caſtris jacebat, ad eumque ſalutandi cauſa Lotharingius venerat; cùm ſtrepitus illum & ſupervenientes nuntii, quid rei eſſet, admonuerunt. Extemplo, amicis & ipſo Lotharingio fruſtra obnitentibus, equum & arma poſcit; factoque prætorianorum cuneo, memorabili audacia ſuis animos & pugnam reſtituit. Affuit in eo prælio Princeps Eugenius e regnatrice Allobrogum Domo, quem ingenita virtus adeo in hoſtem abripuit, ut equo telis confoſſo vitam in diſcrimen dederit. Turcę receſſerunt, inflicta acceptaque plurium nece. Germani, quid roboris atque animorum foret hoſtibus, experti, cautius

Bojoarii diſcrimen adeunt. Et quomodo.

Octoviri ingens audacia & virtus ſuos reſtituit.

Princeps Eugenius Sabaudius in eo prælio periculum obit.

Turcæ recedunt.

tius

tius deinde vineas agere, latiori vallo, caſtellis, 1686.
palis quoque, ubi in aperto erant, armare. Et Bradeburgenſium cum Cæſarianorum, ad mutuam opem, immenſo labore agger continuatus. Undique ænea tormenta, pyrolmique locati, quibus nullo temporis intervallo lacerata mœnia; incendio, quod aliquando plures horas deſæviit, ac ſtrage domorum deformata paſſim urbs; tacitis ſemper atque impavidis civibus, ſuperante vel in fœminis pueriſque metum ac dolorem ira, & retinendæ patriæ ſpe. Verùm nec aggreſſoribus quies erat a præſidiariis, qui prope quotidie erumpentes, tum maxime Brandeburgenſium ſtationes, utpote quæ feſtinando negligentius extructæ, divexarunt. Primùm repulſi, biduo poſt eo impetu rediere, ut longius proceſſuri viderentur, ni per obliquos calles ſe ſe intuliſſent duæ Cæſarianorum cohortes, cohibuiſſentqne ſociorum fugam. Hinc autem inſtaurata pugna, Turcæ facta ſexagenûm cæde intra mœnia ſe retulere. Succeſſu læti, bidui non amplius ſpatio ad quietem dato, prima luce in eoſdem rurſus irrumpunt majori agmine atque audacia. Pari accepti ferocia, ingenti conatu pugnam committunt, & magnis utrinque animis dimicabatur; cùm repentè ex ulteriori cavea, quò Turcæ cuniculis penetraverant, horrendo boatu exarſit ſulfuratus pulvis, excuſſitque ſolum multa ſuperſtantium clade, omnium metu; quo, qui ad primos pugnabant aggeres, perculſi, fuga præcipites ſe ſubripiunt. Hos Tur-

Urbs diriſſime laceratur.

Continuæ Turcarum eruptiones, vario ſucceſſu.

Digitized by Google

1686. Turcæ ſtrenue ſubſequuti, disjecto haud parum vallo, cædem cumulant. Nec deſiiſſent, ni Cæſariani, illuc ut antea per aggerem progreſſi, coniectis e tranſverſo telis, vitæ ipſis periculum obtuliſſent. Deſiderati in eo conflictu Brandeburgenſium amplius ducenti, Turcarum pauci. At longe illuſtrior Chriſtianorum clades Idus Quintiles nobilitavit. Lorica inter duas ad exteriorem oppidi angulum turres interjecta, diu concuſſa machinis late ruinam fecerat, æquaveratque foſſam ruderibus. Turres ad removenda illinc muralia tormenta proſcindebantur. Cœptum ariete opus caſus celeriter abſolvit. Sub Cæſarianorum vineas, jam per collis dorſum propiùs adductas, Turcæ ſubterraneo tramite pervadere aggreſſi, fallente arte, ſubjecerant ampliori e duobus illis propugnaculis ſpecum, qui ſuccenſo intus martiali pulvere divulſus, ejus interius latus ſecum abſtulit. Re Lotharingius comperta, non ultra cunctandum ratus, agmen ad irrumpendum inſtrui jubet. Duo fuere militum millia, quibus tanta, uno gloriæ ſtipendio merens, Juventus ſeſe adjecturam profitebatur, ut plurimi retinendi fuerint, ne multitudine acies impediretur. Ut quiſque natalibus clarior, ita & virtute, ad primos ordines progreſſus, videri voluit. Dato ſigno, per ſtragem murorum accelerant gradum. Duplici vallorum ſepe Thraces aditum jam occluſerant, atque illuc, qua parte poterant, direxerant catapultas; quæ tempore laxatæ luctuoſam cladem edi-

Cæſariani ingenti vi irrumpunt in urbem, ingenti clade recedunt.

Facinus deſcribitur.

edidere. Hæc tamen nullam Germanis injecit moram, quin illico ſuperato aſcenſu hoſtem impellerent, ac diſſipare clauſtra niterentur. Igne, ferro, plumbeaque glande repulſi, urgebant ſe ſe, obvioſque Turcarum obtruncantes, quà ſaltu, quà diductis aut revulſis palis ſe ſe inferebant. Par erat obnitentium ferocia, multiſque nobilium quoque virorum, qui in primis ordinibus digladiabantur, corporibus ſternebatur ſolum. Quo tandem aſpectu monita oppugnantium acies, cùm nec munire locum, nec figere pedem poſſet, remeandi conſilium capit. Facto, dum recederet, ſpatio Turcæ viciſſim irruunt, hoſtemque per declive proturbant cumulata ſtrage. Subſidiaria legio ad tumuli radices manſerat; eòque, dum ſtreperet pugna, Lotharingius venerat, ab nimia illuſtrium Adoleſcentium audacia iis metuens. Dubius an prælium reſtitueret, ubi novit impervium iter acceptamque, cladem, ſuos in mediam legionem receptos intra munitiones reduxit. Trecenti in ea pugna gregarii cecidere præter ſeptuaginta minorum ducum. Luctum auxit mors Principum Valderſiæ & Piccolominei, alterius Fratris e Vexari ducibus Hiſpanis proceribus, aliorumque precipua nobilitate. Quadringenti vulneribus debilitati; in his centuriones ſigniferique ad octoginta, Commercii Princeps, Vido Staremhergius, Aſcalonæ & alter Vexari Duces, Ausbergi Comes, Villarſi Marchio; extremumque vitæ diſcrimen adiit Princeps Eugenius e ſuprema Allobro-

1686.

Aliquot in eo illuſtres viri necati aut vulnerati.

1686. brogum familia, qui rejecta veſte diu multùmque in ipſa agminis fronte decertavit. Quæ dum aguntur, terra ſub Brandeburgenſibus movit, concuſſa nitrato pulvere, quem duplici inductum cuniculo Thraces incenderant. Nec mora frequentes erumpunt, rati, incautos, dum ardente alibi pugna nihil ſibi timendum crederent, oppreſſum iri. At contra, ut in proximo diligentius excubabant. Tantis proinde jaculis fregere ingruentium impetum, ut turbatos ad primum conjectum in fugam verterint. Mox tamen in Bojoarios ingenti virtute rediere. Rotundum arcis apicem haud parum tormenta dilaceraverant, ſed nondum ita patebat hiatus, ut collato pede manus conſeri poſſent. Huic dilatando ſuppoſuerant nitratum pulverem; verùm inani eventu, quippe qui retrorſum ignem vomuerat, intactis mœnibus. Rem certius molituri, vineas adduxerant ad foſſæ labrum, ibique locum ſtationi occupaverant non ſine acerrima contentione, in qua Comes Fontana pro legato, qui præfuerat rei gerendæ, aliique plures mortem oppetiere. Magnum illinc oppidanis periculum objiciebatur; quocirca ad expediendum infeſtum marginem educuntur. Pulſi primùm, poſtridie ſub ſignis, & ingenti agmine pugnam renovant. Locum frequentiori milite inſederant Bojoarii, ab heſterno periculo redditi cautiores. Itaque atrox prælium initur. Par erat amborum virtus, impar conditio. Thraces ſpreto pyrobaliſtarum ictu, manibus pedibuſque enixi, in agge-

Turcæ adverſus Brandeburgenſes irruunt. Quo ſucceſſu.

Rurſus in Bojoarios.

Dirum ibi prælium.

ge-

gerem proſiluerant, continuoque ſuorum adventu, 1686.
cùm impellente multitudine dilatari cogerentur, ſtationarios corporum potius mole quàm ferro pulſos, loco divellunt. Hi ordine primùm ſe referre, quamquam ex alto immineret hoſtis; mox vacillante greſſu, quippe declivi impeditoque itinere, diſtrahi; effuſo demum curſu atque adeo meticuloſe terga dare, ut cùm plures ſuæ gentis & Miſnienſium cohortes e propinquis caſtris auxiliatum veniſſent, non modò non ſe tenuerint, ſed illas, communicato pavore, ſecum abreptas in fugam traxerint. Turcæ magna cum fugientium cæde ad machinas jam proceſſerant, corruperantque infixo canaliculis clavo tria majora tormenta, mortarium unum; terreni quoque aggeres delebantur, nec ullus erat ſæviendi finis; cùm Octovir tanta ſuorum injuria conſternatus: en, inquit, meo iterum periculo redimenda meorum eſt ſalus. Durum eſt, nonniſi me præſente eos vincere: at pulchrum ut a me diſcant verum decus, & vires capiant. Hæc dicentem excepit ingens prætorianorum globus, citatoque curſu ad prælii locum profectus, ſuos aciem reſtituere ac ſiſtere pedem jubet. Verùm vincebat imperium metus; & ipſe, prætorianique turba propulſi vix conſiſtere gradu poterant. Plures tamen quà minis quà precibus ſibi adjunxerant; & quantùm licebat, modò abrepti modò impellentes, ad hoſtem enitebantur; & pugna oritura videbatur atrox & luctuoſa; cùm horrendus fragor, & lux ſpiſſo pulvere oculis ſub-

Bojoariorū periculum.

Octovir ad illud accurrit.

Quo ſucceſſu.

1686. ducta, tellus quoque ſub pedibus nutans, utramque aciem pavore adeo attonitam reddidere, ut quiſque ignarus, quid iſtud rei eſſet, & ſibi metuens, hoſtium oblitus ad ſuos retroceſſerit. Ubi deſedit turbo, patuit quid actum foret. Arcem Bojoarii, dum ingraveſceret pugna, frequentiori ollarum procella percutiebant. Harum una penetrato ſpecu, ubi ingens ad tormentorum uſum bellici acervus pulveris aſſervabatur, concepto igne, longe lateque incredibili niſu quicquid obvium habuit, diſſipavit, diffracta murorum mole, laceratis ſupra mille Mortalium cujuſque ætatis corporibus, corrupta proximo in horreo magna frumenti vi, roſtro quoque propugnaculi fere mœnibus nudato, quamquam parum diſperſo interiori aggere. Tanta clades magno fœnore acceptum a Bojoariis damnum rependit; quorum in eo certamine ad trecentos necati, dejectuſque a foſſæ crepidine, & tumuli dorſo miles. An etiam prætoris emolliiſſet animum, inclinaſſetque ad deditionem, Lotharingius per literas tentare voluit, miſſo qui eas deferret Comite Kinigſego, datiſque trium horarum induciis, quæ diligenter ſervatæ; quin etiam inter propinquas ſtationes amice familiariterque ſermones intermixti; adeo invicem hoſtes alterius admiratio virtutis cœperat. Lotharingii literis a prætore in hæc verba datum reſponſum: non ea ſe hactenus ignaviæ, non oppidum imbecillitatis argumenta dediſſe ut deditionis ſpem fecerit. Nunquam

Quomodo dirempta pugna.

Caſu incenſus martialis pulvis magnum arci damnum affert.

Prætor Abdius ad deditionem ſolicitatur.

Ferociter reſpondet.

quam tantum in ſe dedecus admiſſurum. Germani abſiſterent potius oppugnatione, ac meminiſſent: Martem communem, fortunam volubilem eſſe. Quò nunc propenſura ſit, in incerto manere. At iſtud haudquaquam ſibi dubium: illam, ut ad ſe accedat, illicere & ſua fide & militum virtute, non deſiturum. Lotharingius comperto, hoſtium ferocitatem nonniſi armis domari poſſe, huc omne conſilium vertit. Suffoderant Cæſariani, molliendo aggreſſuris itineri, jam lacera tormentis mœnia, ſubjecerantque ſulfureum pulverem. Verùm, ut in hac non ſemel oppugnatione, infelici eventu, ſeu cunicularioruin imperitia ſeu fraude, ſeu ut peritiores exiſtimabant (nam & oppidanis quandoque accidit) collis indole, qui ſæpius rectà penetrari ingentium ſaxorum obice prohibebat; & circumeuntes obliquo & cæco itinere fallebat locus; quin etiam, cùm nonnunquam altiùs robuſta mole fulciri caveæ exterius latus non poſſet, faciebat acclivitas ut illac ignis erumperet, quia major in vertice obſiſtebat terræ cumulus, ut modò res fuit. Etenim martialis pulvis in flammam converſus viam ſibi è tranſverſo fecit, ejectaque humo ducentos Cæſarianorum vario mortis genere contrucidavit. Quamobrem una machinarum ope excindere oppoſitam a præſidiariis rudi congeſtu loricam, iterque expedire opus fuit. Rem hoſtis deturbaturus, intentos operi ab omni parte aggreditur; ſed ſtatim repulſus ceſſit. Hunc Brandeburgenſes proſequuti, intrarunt inſi-

1686.

Varii cuniculorum eventus, & quare.

 dias

1686. dias, in ædium ruinis prope interiora urbis mœnia collocatas. Telis circumquaque oppreſſi (nam & curulia tormenta baliſtæque ex alto jaculabantur) magna cæde majori tumultu referebant ſe ſe, & Turcæ infeſtis gladiis hærebant tergo. Jam prope ad machinarum locum acceſſerant, nec ibi res manſura videbatur, niſi Lotharingius cum ſubſidiaria legione eò volans, repreſſa Turcarum audacia, depuliſſet a ſociis periculum; redditoque iis animo redire ad pugnam ac ſecum inferre pedem, parta demum ſed cruenta quidem victoria, ſuaſiſſet. Exercitus quotidianis conflictationibus minuebatur. Satius proinde viſum, quicquid militum minutis præliis periturum foret, in unam ſuperandæ urbis aleam dare. In id poſtridie, qui fuit VI. Kal. Sextil., Lotharingius de majorum præfectorum ſententia ſtatuit, ingenti certamine armorum fortunam periclitari. Quocirca milites curare corpora, atque animos parare juſſit. Equitatum, qui trans Danubium commodiori pabulationi, & coercendo Agriæ præſidio, ne infeſtam commeatibus navigationem faceret, ſtativa poſuerat, ſilentio noctis redire juſſit, tabernaculis & paucis excubiis in ſpeciem relictis. Ei locum aſſignat ad caſtrenſe vallum, ſi fortè Viſirius, qui accelerare cum valido exercitu viam nuntiabatur, equitum alas ad maturandam obſeſſis opem præmitteret. Sic deinde rei patrandæ ratio conſtituta. Tria Cæſarianorum millia, magno Theutonici Ordinis Magiſtro e Neoburgenſi familia duce, ſuis

Brandeburgenſiū periculū a Lotar. repreſſum.

Lothar. Oppidanos omni vi aggredi ſtatuit.

Ordo rei gerendæ narratur.

ſuis adverſum vineis conſcenderent clivum, qua parte murum continentibus ruinis ſtraverant per centum paſſus; decem Brandeburgenſium centuriæ, quibus ipſe ſupremus earum præfectus Sconingius, dum facinori darent operam, præeſſe voluit: quà ille ſibi, anguſtiorem licèt, aditum patefecerant. Illos par trium millium ſubſidiarium agmen, hos duum millium proſequeretur. Bojoarius ex altera parte irrumperet, quantis ſibi poſſe viribus videretur. Simul exercitus in omnem caſum paratus, inſtructis ordinibus hæreret armis. Ubi illuxit, catapultę majores viam, ea nocte palis longuriiſque obſtructam, aperuerunt. Dein ſigno accepto, proceſſere acies pacato greſſu, ne ordines per impeditum cæmentis iter diſſolverent. Turcæ horrendis clamoribus obviam fuere. Pugna primùm manualibus ollis multoque fabrefacto igne, mox ferro atque haſtis incaluit. Cædebantur paſſim corpora multo morientium gemitu, nullo ſuccedentium pavore. Utrinque obſtinaverant animis, vitam potiùs quàm locum dare; & diu ferociter retinuere, quamquam feriendo urgendoque magno viciſſim impetu compingerentur. Primi Cæſariani inclinarunt, partim terra ac ſaxis contuſi, partim voragine abſorti, quam rupto ſpecu egeſſerat ignis e martiali pulvere ad dextrum latus alta ruina eductus. Dum perciti alii metu, alii vulneribus tumultuantur, repentè oppidani clamorem tollunt; intentis gladiis in hoſtem procurrunt; impeditum turba, & fallente ruinis ſolo non ſine cæde expellunt

1686.

Facinus deſcribitur.

1686. lunt in medium clivum. Ibi præfectorum voce honorariæque exemplo Juventutis, quæ aderat plurima & frontem obverterat, recreata ſtetit aliquandiu nutans acies, repetiitque pugnam. Verùm undique telis ab omni parte micantibus conciſa, rurſus propellitur. Id ubi vidit Lotharingius, ſolicitus, ne hac demum clade ſpes ſibi expugnandæ urbis penitus præcideretur, ſubſidiarias cohortes admoveri juſſit. Ipſe galea protecto ſolùm capite, ſtrictoque gladio diſcurrens per incompoſitam aciem, partim militum inertiam increpat; partim revocat animos; ſe, ſi cunctentur, aſcenſurum minatur atque experturum, iis ſi quid curæ ſit periculum Imperatoris ſui. Jam ad primos ordines pervenerat, cùm milites pudore incitati ac veriti ejus vicem, ſe ſe invicem adhortantur, editoque ingenti clamore tanta vi pedem inferunt, ut tum demum victa fuerit oppidanorum ferocia, ultraque murorum ſtragem repulſa. Obrutum illic ruinis locum Turcæ ſuſpenderant novem minoribus caveis in furni morem conſtructis. Has bellico prius refertas pulvere, ubi ſeſe ibi conſtipaſſe Germanum militem conſpicantur, repentè per vices inflammant. Flammæ vi divulſa teſtudo ſimul cum egeſta materia projecit in altum corpora virorum non ſine gravi gemitu & cæde. Hinc vacillare acies; quæ novo identidem ictu repercuſſa confuderat ordines, & fuga paſſim intercedebat. Non amplius milites præfectorum vocem, non præfecti ingenitam virtutem audiebant. Omnia timor, ſtrepitus

Quo eventu finé habuerit.

pitus

pitus, horror occupaverat; & hoſtes immiſſis eminus cominuſque jaculis tumultum augebant. Enituit in hoc tanto rerum diſcrimine Lotharingii incredibilis animi conſiliique vigor. Nam ubi majus occurrebat periculum, nunquam non præſens affuit; & modò ſubmittere feſſis integros, modò adhortari, uti præmii & gloriæ memores extrema conarentur, abſolverentque jam prope perfectum opus. Itaque pro ſe quiſque collectis viribus in oppidum tendere; & quamquam a fronte a latere tela conjicerentur, arma atque corpora oppidani opponerent, igne ferroque mortem objicerent; attamen nemo gradum cohibuit; quin & aliqui ignito pulvere in aerem jacti, ubi concidiſſent, contuſi licèt ac vulnerati in pugnam redire viſi. Denique, vincente omnia pertinaci virtute, per ſuorum atque Hoſtium cadavera in primum oppidi ſpatium pervaſere. Sub idem fere tempus pari ſtrenuitate nec minori concertatione Brandeburgenſes diruta mœnia, quæ ſibi ex adverſum erant, traſcenderant. Illinc ſcorpionum ictu ab intermediis turribus Turcas dejiciunt. Animus erat ad interiorem foſſam ſuccedere; ſed immiſſa protinus Janizarorum legio conſilium turbavit. Nova enim exorta pugna, nec prius dirempta, quàm Germani, abjecto progrediendi propoſito, primo in limine pedem ſtatuerint, aggeſtaque macerie ſe permunierint. Inter hæc Bojoarii ex altera parte mille quingentorum agmen admoverant ad majus in arcis angulo propugnaculum, ubi pervium ruinis erat.

1686.

Lothar. ſtrenuitatis bellicæque ſcientiæ magnum in eo prælio documentum dedit.

Prima Budæ mœnia ſuperantur a Cæſarianis.

A Brandeburgenſibus quoque.

Bojoarii arcis partem vi obtinent.

1686. erat. Durum & illic prælium. Non enim remiſſiùs, quàm ex adverſa parte, oppidani renitebantur; & duæ interiores a latere turres ingenti miſſilium procella confertam aggredientium aciem proſcindebant. Id milites irritatos periculo, ut ſe celerius ſubducerent infeſto loco, inſtigabat ad perrumpendum. Sed æque obfirmati Thraces veſtigio non movebantur; quum Octovir, comperto, ſocios jam mœnia tranſgreſſos, nobili invidia atque ira percitus, hoſtium pertinaciam quantacumque militum ſuorum clade expugnari juſſit. Illi tum demum ceſſere loco; & hi continuato curſu ad geminas turres, quæ primæ ab duplici arcis ala prominebant, profecti, vacuas occupant, in ipſamque arcem obvertunt ſeptem muralia tormenta, unde ſibi, ſubeuntibus muros, plurimum damni obvenerat. Non parvo Chriſtiano ſanguine eo die litatum eſt. Trecenti gregarii, centuriones minoreſque duces triceni letho abſumpti. Ad octingentos vulnera pervenere, pleroſque illuſtri genere, aut qui ordines ducerent; cæteris graviora accepit Erneſtus Starembergius legatus. Nec Lotharingius invulneratus abiit, crus ſaxo ictus. Turcas haud leviori clade affectos, ex diutina obſtinataque pugna conjici poteſt. Pauci ſequuti dies, per quos promovendis vineis, lacerandis aut perfodiendis penitioribus propugnaculis data ſolùm eſt opera. Nihil tamen niſi cruentum, acerbiſſimo invicem telorum conjectu. Quæ dum aguntur, Bojoarius Lotharingiuſque, priuſquam ex-

Quanta utrobique Chriſtianorũ cæde.

Lotharingius vulnus accepit.

1686.

extre mis viribus ferro decerneretur, prætorem iterum ad deditionem per literas ſolicitarunt. Ille reſponſum dedit: Budam inſignis præfecturæ caput, ſedem purpuratorum alteri adſcriptam; in alienas tradere manus, ſuæ non eſſe poteſtatis. Eam tamen geminis, quas vellent, Hungaricis urbibus redempturum. Mox duo miſſi centuriones addidere: & ipſam, dummodo hoc pretio pax inter utrumque Imperium conveniret, ſe daturum. Comperto, nonniſi ferro expugnari urbem & prætoris animum poſſe, huc omnem adjecere curam. Jam aggerem duxerant ad foſſæ labrum, & quà tormentis quà ſulfurato pulvere late mœnia diruerant. Sed oppidani patentia ruinis occluſerant ſubitaria lorica, cujus quod interdiu lacerabatur, noctu ſarciebant; atque ita ad congrediendum nectebant oppugnatoribus moras, veritis ne, ſi ad reliquas difficultates accederet impeditum iter, inſigni ſe damno repulſum iri. Has ut abrumperent (nam & Viſirius accelerabat) a. d. III. Non. Sextil. ex condicto extremam vim oppido parant. Fortè ſulfureus pulvis (quo ſuccenſo Cæſarianorum cunicularii ſubvertere ſuffoſſum aggerem arbitrabantur) interiùs, eo incolumi, viam ſibi furenti fecit. Quo viſo Lotharingius pedem legiones, ne in apertum diſcrimen eas objiceret, ſuſtinere juſſit. At ipſo ſtrepitu certior factus, Bojoarios prælium iniſſe, ne ſocios mutua deſtitutos ope deſeruiſſe redargueretur; proſequi ac dare ſe in aleam voluit. Utrinqne, tamquam in extremo caſu civi-

Prætor Abdius rurſus ad deditionem invitatur.

Ejus reſponſum.

Oppugnatio acriter continuatur.

Atrociſſime intenditur.

1686. tatis, atrociſſime dimicatum eſt. Majores duces atque ipſe Lotharingius aderat; quorum conſpectu milites recreati, pugnam intrepidi, & nihil minus quàm objecta pericula metuentes, ſuſceperunt. Verùm ex ipſa ſtrenuitate clades augebatur, quam Turcæ omni telorum genere prope impunè ac tecti vallo, gravem intulere. Quocirca brevi temporis momento trecentis deſideratis, ne internecione deleretur agmen, ſe recipere coacti ſunt. Interea Bojoarii ruinas aſcenderant, atque ita majorum præfectorum, quin & Octoviri voce ac manu in prælium agebantur, ut non pauci in atrium prætoriæ domus, quæ una per totam fere arcem diffunditur, penetraverint. Ibi e tectis feneſtriſque magna in eos ingruit ignis & jaculorum vis; qua alii interempti, alii protruſi &, quò ultra procederent, ignari, ad captas jam antea munitiones non minori, quàm Cæſariani, damno ſe retulere. In eo certamine EugeniusSabaudus ſagitta, Ludovicus Badenſis glande ſauciatus. Biduo poſt turris altera ejuſdem prætoriæ domus aperta ſubterraneo impulſu, in eorum poteſtatem venit. Sed jam rei ſumma in Solymano Viſirio erat, qui collecto ſexagenum millium exercitu in proximis collibus ſe ſe oſtentabat faciebatque obſeſſis animos, & ſi paullum durarent, auxilii ſpem. Lotharingius ad hoc repellendum ſe comparaverat, juſſis legionibus, quæ per diverſa diſperſerat loca, ante Solymani adventum ad ſe convenire; haud ignarus, quid ille militum ſecum duceret, quid ſibi dira oppugnatione conſumptum fuiſ-

A qua Chriſtiani recedunt multa ſuorum ſtrage.

Princeps Eugenius Sabaudus & Ludovicus Badēſis vulnerati.

Viſirius cū exercitu ad opem ferendam advenit.

fuiſſet. Jam ſuas Carrafa, Dunevaldus, Haislerus adduxerant; & Scarffembergius e Tranſylvania in viam protinus ſe dediſſe renuntiabatur. Ad octo quoque Hungarorum millia Eſtheraſius Palatinus in caſtra contraxerat; & Comes Budianus duum millium equitum globum, quo per eos dies regionem late vaſtaverat, retuleratque inter alias ingentem Budenſium mulierum & puerorum prædam, qui cum nobiliori gaza, viginti lembis excepta, ad D. Margheritæ inſulam ſub ipſum Germanorum adventum deſcenderant. Suppleto exercitu, copias diviſit. Quatuor peditum, tria equitum Germanorum millia, decem Pannonicas, viginti Croatorum turmas urgendæ, qua parte cœperat, oppugnationi tuendoque vallo in caſtris reliquit. Ipſe (traductis in eamdem inſulam gravioribus impedimentis cum ſauciis, morboque affectis, juſſoque Comite Peterhaſio prætexere duobus Hungarorum millibus ulteriorem Danubii ripam, ne illinc Agrienſis prætor opem ſubmitteret) cum octodecim equitum, duodecim peditum millibus in primos colles profectus, ſtativa poſuit. Viſirio, (ut re monſtratum eſt) haudquaquam in animo erat, acie decernere, ſed inſtructo ad pugnam exercitu, dum hoſtis in eam ſe comparat, per vim aut occaſionem recenti milite inſtaurare oppidi vires, quibus ad hyemem ſe ſuſtentaret. Non enim ibi eum longiùs ſub dio & infeſtis circùm itineribus diverſaturum, dubitari poterat. Conſilium prudenter ad militum ſuorum genus aptave-

1686.

Cæſarianorum copiæ hinc inde ſupplentur.

Quomodo a Lothar. diſtributæ.

Quantas adverſus Viſirium extra vallum eduxerit.

Quid Viſirio propoſitum.

Et quare.

1686. rat. Quippe aliquot in iis legiones veteranorum, qui ad periclitandam in acie pugnam, pauci; ad aliquod tentandum facinus & ſtrenuitate & numero ſatis erant. Reliqua tyronum turba ut multitudine Cæſarianos ſuperabat, ita longe viribus minor, ſui ſolùm oſtentatione quidpiam terroris incutere poſſe hoſti videbatur. Hoc propoſito, quatuor millium equitum alam primùm ſuccedere vallo jubet, ut procurrendo refugiendoque, velut impar ad decertandum, negligentiam in hoſtes induceret; ipſa fidentius & loco & pugnæ aſſueſceret. Semel atque iterum Bojoarios aggreſſa, ad primum telorum conjectum circumegit equos, occurrenſque, dum retrograditur, centum quinquaginta Hungarorum turmæ, quæ ſpeculatum exierat, pene omnes occidit. Firmatis hoſtium conſpectu, nec infelici periclitatione animis, paucos poſt dies exercitum latiſſima directum fronte propius Germanorum caſtra ex altioribus collibus, tamquam certamen provocaturus, lento demiſit gradu; & Lotharingius ne moram præliandi faceret, copias eduxit. Aberant quingentos paſſus; cùm e ſiniſtro Turcarum cornu exire ingentem militum manum, latoque gyro progredi conſpicatur. Erant quinque Janizarorum, prætorianorum equitum tria millia, quos Solymanus, dato ſingulis trium Hungaricorum aureorum congiario factaque largioris ſpe, cum decem campeſtribus machinis Seraſcherio attribuerat, ut viam ſibi vel extremo conatu in oppidum ſterneret. Quo cognito, Du-

Curat opem in Urbem immittere, & quomodo.

Dunevaldum pro legato duobus Germanicis legionibus, & ala Hungarorum equitum iter præcidere, atque obviam ſe dare hoſtibus jubet. Utrique ubi ex adverſo fuere, aciem dirigunt, pedites equitatu muniunt. Primi Turcæ iniere pugnam, decem bombardarum ictu, quas in tranſverſo tumulo collocarant, proludentes. Ea procella turbati Hungari, haud parum inclinarunt, & Turcæ ſe ſe inferebant; cùm Germanæ legiones duplicata fronte ferociter in equites pediteſque jaculatæ, primò equeſtre agmen circumflectere cogunt. Illud Hungari collectis animis inſequuti, ultra Janizarorum aciem pepulere. Mox peditatum, ſecundis petitum jaculis, adeo conſternant, ut illico nutare, ſe ſeque citato referre gradu occeperit; dein brevi mora fugam arripuit, fruſtra novis legionibus, quæ prælium reſtituerent, a Solymano immiſſis; cùm præſertim illum recedentem conſpicerent, ac detrectantem cum Lotharingio, qui exercitum in id promovebat, acie confligere. Stetit Germanis victoria haud amplius centum vicenum nece. Turcarum cecidere mille quingenti. Quinquies centeni capti cum quadraginta militaribus ſignis, & majoribus, quas ſecum adduxerant, æneis catapultis. Occiſorum capita, ereptaque ſigna in urbis conſpectu poſita haudquaquam fregere indomitos Budenſium animos. Quin læti improſpera per eos dies ſeſe aggredientium fortuna, pugnandi alacritatem auxerant. Una enim ex incendiariis ollis dudum ignem attulerat ingenti ma-

1686.

Quid rei impedimento fuerit.

Pugnatur ab Turcis, qui auxilium ferebant.

Ancipiti prælio.

Poſtmodum eſſuſa fuga.

Quanta utrinque cæde.

Cæſarianorum diſcrimen ad vineas.

nua-

1686. nualium pyrogloborum acervo, quos Cæſariani in poſtrema obſidionalis aggeris munitione ad militarem uſum congeſſerant. Ii ſiquidem circum ruentes, necem multis, longe pluribus vulnera inflixerunt. Tres quoque ſubvertendis mœnibus cavati ſpecus, rupta exterius compage, viam in oppidum voragine interruperant. Itaque oppidani modò hàc modò illàc erumpentes, moleſtiam plurimaque invehebant incommoda non ſine oppugnantium cæde. Et quamquam Bojoarii egregia virtute prætoriæ domus angulum occupaſſent; tanta ibi fuerat ipſorum ſtrages, ut hoſtis non multùm doleret ſeſe illinc expulſum, tot ſimul reliquis earumdem ædium ſubſtructionibus aditum prohibentibus. Crevit huic quoque audacia ex trecentorum militum ſupplemento, qui ad ſe per Germanorum munitiones ſub idem tempus penetraverant, fecerantque ſpem mox longe plures, felici eventu monſtratum ingreſſos iter, in oppidum pervaſuros. Pars erant duum millium Janizarorum, quibus, delectu habito ex omni exercitu, negotium dederat Solymanus, uti conſcenſis equis, & quinidenis equitum centuriis protecti, raptim in urbem ſe ſe immitterent. Prima luce clam per D. Pauli vallem ſubjere hoſtium aggerem, &, qua educendis legionibus patebat via, per infrequentes cuſtodias magna pars inter utrumque obſidionale vallum evaſerant. Fortè Haiſlerianorum equitum legio abditum illic ſinum inſederat ante lucem, ut præſidiariis, ſi caſu erumperent, ex inſi-

Turcarum trecenti in Urbem pervadunt.

Et qua ratione.

ſidiis reditum interciperent. Hæc ubi Turcarum turmam, tranſgreſſam aggerem, velociter mœnia ſubeuntem vidit, a latere occurrens, primò turbavit progredientium curſum. Mox equeſtris Capraria legio, quæ in proximo caſtello excubabat, celeriter infrænatis equis carpens a tergo iter, detinuit. Reliqui per tumultum & cædem receſſere. Quingenti Janizari perniciter ex equis deſilientes, ulterius proximumque urbi vallum tranſcendunt. Dum tamen breve, quod ſupererat, ſpatium conficiunt, ducentis pyroſcorpionum ictu mors illata. Cæteri auſtrali clivo, per quem utpote confragoſum obſidionalis agger non ducebatur, in oppidum pervadunt. Magna hinc Germanis injecta cura circumvallandi ſe diligentius, intercludendique vel audacioribus aditum ad opem ferendam. Igitur catenas objiciunt, ubi interruptus agger iter dabat equitatui vehiculiſque; continuant ripæ vallum; armant lembos ad flumen interſepiendum; reductumque intra munitiones exercitum dividunt ad eas tuendas. Agitari deinde cœptum inter majores duces, an oppugnatio ex una tantum parte urgenda foret, quæ modò per infrequentiores milites pluribus diſtracta locis vix non langueret. In hanc ſententiam Lotharingius propendebat, ratus oppidum, per centum paſſus mœnibus a ſe nudatum, ſi quadrato agmine peteretur, fruſtra tutaturos hoſtes. Id ſane Bojoarium urebat, quaſi & minus ipſe in re gerenda profeciſſe videretur, & omnem alter captæ urbis gloriam aſſu-

1686.

Cæſariani diligentius vallum muniunt, occluduntque.

Ambigunt quomodo oppugnatio nem urgeant.

Quæ Lotharingii ſententia.

Quæ Bojoarii.

1686. aſſumere ſibi vellet. Honoris ambitus, quo nihil ſuſpicioſius, excitabat ſopitos nonnihil animos ad æmulandum, ſcindebatque ipſorum conſilia; & metus erat, ne id tandem officeret rerum ſummæ. Cæſar diſſidii compos factus, & multa hinc veritus, Comitem Theodorum Stratmanum rurſus ad exercitum miſit, qui Octovirum in Lotharingii ſententiam, & ſin minus, eò ſaltem pelliceret, ut partam jam ſibi egregia virtute laudem quadam ingenii facilitate cumulare vellet. Mediis conſiliis, quibus ubi interſeri poſſunt, facilè diſcordes animi conglutinantur, res compoſita; decretumque ut pergerent ambo vineas ad muros agere; eos tormentis diruere; ſubitaria opera, quæ indidem ſubſtituebantur, æquare ſolo; aggeſtis ruinis mollire iter ad invadendum. Simul frequenti ſtatione ad aggerem excubarent, ne clam aut vi ſubreperet ad urbem hoſtis. Ubi verò novis legionibus, quæ non longe diſtarent, ſuppleſſent exercitum, tunc audacioribus conſiliis geri negotium poſſe. Interea Solymanus decem militum millia ſupplementum acceperat. Itaque frequentibus nuntiis cùm intelligeret oppido inſtare ſupremum diem; priuſquam Germani recentibus accreſcerent copiis, ſuppetias ire atque ultima conari ſtatuit. Tria iterum elegit ex omni exercitu Janizarorum millia, quos Hungaricis decem aureis donatos, pollicituſque, in poſterum duplici ſtipendio merituros, in tres dividit globos. Hos ad occaſum perrumpere hoſtium clauſtra, ubi Pannoniis legioni-

Inter ſe diſcordes.

Cæſar eos componere ſtudet miſſo ad exercitũ Stratmanno.

Bene ſuccedit res.

Et quid decretũ.

Viſirius iterum conatur opem obſeſſis immittere. Et quomodo.

nibus cuſtodiebantur, & per Danubii ripam in oppidum eniti jubet. Ipſe conſilium capit, ad ortum cum omni exercitu impetum dare; & ſi arrideat fortuna, dum incaleſceret pugna, globum alterum, qui ripam legeret, in arcem immittere. Perfugarum monitu re patefacta, Lotharingius ad Pannonicas ſtationes octingentos Germanos addit, edicitque, milites ea nocte armatos cibum & ſomnum capere. Ubi illuxit, eo quo diximus ordine Turcæ ad vallum deſcendunt. Selectæ Janizarorum cohortes per cædem ac vulnera primæ illud ſubeunt, tantoque impetu connituntur ut nihil ad eos refrænandos potis fuerit. Tripartitò, ut ſuperaverant aggerem, denſatis ordinibus pergunt ire; ſed iis Germani celeriter obſepiunt viam. Illi prætentis gladiis urgent ſimul ac digladiantur, & quamquam ferro aut plumbea glande laniati paſſim occumberent, ſecum tamen auferebant impulſos hoſtes. Ita paullum progreſſi, equitum Cæſarianorum vi per latus protruſi, denique diſſolvuntur. Ubique ſuper mortalium vires decertaverant; ſed atrociùs apud aliquot machinarum, quas, ſtationariis poſt longam dimicationem vacillantibus, diffregiſſent, ni Mercius Haisleriuſque pugnando potiùs quàm adhortando accendiſſent militum animos ac pugnam reſtituiſſent, Mercio tribus vulneribus debilitato. Qui pauci ſuperfuere in pugna hoſtilibus gladiis, eos, per tentoria vehiculaque diſſipatos, calones lixæque ad unum, multa prius Germanorum ſatiatos cæde;

1686.

Loth. ar. quo pacto ſe opponit.

Quo ſucceſſu.

1686. confecere. Quæ dum aguntur, Viſirius, explicato ab Danubii ripa exercitu, ex ea parte vallum aggreditur. Senſere primi agminis impreſſionem hoſtes, nec pertulere, dato Barbaris ad tranſiliendum ſpatio. Atrox ibi conſeritur prælium, contendentibus utriſque locum retinere. Sed Octovir novis inductis cohortibus, recreatiſque voce & conſpectu ſuo militum animis, citò ultra munitiones eos repellit. Nihilo tamen ſecius in magno diſcrimine res verſabatur. Nam dilatata Turcarum acie prolixior tutandus erat aggeris tractus, quàm pro viribus poſſent; & harum partem in ſe averterant præſidiarii, tum temporis arce egreſſi. Opportune a Lotharingio aliquot Cæſarianorum centuriæ laborantibus ſupervenere. Hinc fractus aggredientium impetus, ademptaque perrumpendi ſpes. Solymanus cùm hac non ſuccederet, copias quadrato agmine in lævam flectit, ſi fortè humiliores aggeres, & mollior alicubi pateret via. Ibant retentis ordinibus, tametſi majoribus minoribuſque telis fœdiſſime lacerati, atque identidem in vallum ruebant, ferocia aut ſpe ducti. Sæpius depulſi, venere tandem ad latiorem aditum, quà iter carpentis erat. Hunc revulſis palis, diſtractiſque obtentis catenis, momento expediunt. Mars ibi atrociſſimus fuit. Nam Turcarum validiſſimi ſe ſe invicem adhortantes, facto cuneo per apertum vallum ſtationarios propellebant ingenti niſu; & cùm reliquum agmen ad circumpoſitum aggerem conaretur, nulla inde ſubſidia, quò majus vocabat pe-

Maximi Turcarum conatus, ut aliqua ex parte vallum tranſcendant.

Sed ubique Cæſariani reſiſtunt.

Turcarum extremus conatus.

periculum, deduci poterant. Opis tamen aliquid a Lotharingio ſubmiſſum, qui circumcurſantem hoſtem oculis ex editiori loco proſequutus, ubi diſcrimen ſuorum vidit, eò cum ſtrenua Brandeburgenſium manu ſtatim accurrit. Turcæ horum impulſu continuere nonnihil impetum; audebant tamen, & in quam partem inclinatura victoria eſſet, ambigebatur; cùm repentè Solymanus, ſtupentibus inſperata ejus trepidatione Germanis, cani receptui juſſit. Audito enim, globum militum per inferiorem Danubii pontem ad hoſtes traduci; ratus, ut fama erat, Scarffembergium cum omnibus, quas ſecum ducebat, copiis adveniſſe; ſuis timuit ab recente milite. Falſa Viſirii opinio (quippe ſex tantùm equeſtres legiones maturato itinere pedites anteverterant) magnam Germanis, dubio adhuc Marte periclitantibus, curam ademit. Adeo vel mendax rumor in re militari facere momentum poteſt. Peditatus biduo poſt, atque ex inferiori Pannonia quatuor equitum millia Comite Piccolomineo pro legato duce vallum ingreſſa, perculſas recenti ſtrage laboribuſque Cæſarianorum vires haud parum refecere. Aucto his copiis exercitu, Bojoarius Lotharingiuſque majoribus præfectis in conſilium adhibitis de ſumma rei capita conferunt. Tuebatur ille ex aliquorum ſententia: prius hoſtem aut collatis ſignis, aut ſi recedens pugnam detrectet, hærendo veſtigiis, longius ab urbis conſpectu removendum eſſe. Nunquam enim oppidanos manente auxilii ſpe deditio-

1686.

Lotharingius ad ingens ſuorum periculum accurrit.

Turcæ improviſò recedunt.

Quid, ut recederent, in cauſa fuerit.

Cæſariani conſultant quid ſibi agendum ad Budæ expugnationem.

Bojoarii ſententia.

1686. nem facturos; ea ſublata, ſtatim & ſponte ſua. Cogi verò ad paciſcendum non poſſe, parato ingenti exercitu ad opem ipſis ferendam, inſultandaque aggredientium terga. Quòd ſi exercitus in aciem educatur, & prælio confligat, quis dubitet, veteranorum adversùs tumultuarias copias victoriam, & victoriæ præmium non modò Budam, ſed univerſam Pannoniam fore? Hæc Lotharingio non arridebant, affirmanti: quod in propria ſit poteſtate, alieno arbitrio non committendum. Commiſſurum autem, qui Budæ fatum ex prælii fortuna pendère velit. Tot enim apertam locis, nudatam mœnibus ac prope intermortuam refringere ingruentium impetum haud potis eſſe. Prælium autem (in quo non ſemel leviſſima momenta rerum Imperatoris conſilium, militum virtutem eludant) nunquam non anceps ac dubium. Quamquam, ajebat, ſi certum foret hoſtem dimicaturum, haud abnuerem laceſſendum, ſubeundaque incerta Martis, non Budæ præmio, quod longe faciliùs referri poteſt, ſed in ſpem debellandi. Verùm cùm pateat, ſeſe Viſirium in certaminis aleam dare nolle, quid lucrabimur provocando? Ille pedem referet; nos inſtabimus referenti; eo longiùs rejecto, ſi regrediamur ad oppugnandum; eamdem nobiſcum redibit viam. Interim nullo ſui metu ſtabit Buda; & nos itineribus & commeatuum inopia in hoſtili ac deſerto ſolo conſumpti, tempus in hyemem traducemus, dimiſſa, quæ modò ſe offert, rei bene gerendæ occaſione. Quòd ſi copiarum

Ab ea Lotharingius diſſentit, & quid cenſeat agẽdum.

rum

rum parte, quota ſit opus, extrema vis oppido inferatur, cæteri ante vallum in aciem producti detrudant, ſi modò quid audeant, externos hoſtes, puto nihil nobis, quominus negotium feliciter abſolvatur, impedimento fore. Pugna proinde, dicet aliquis, vitari nequit. Quid verò differt, eam offeras, quod dudum execrabaris, an non recuſes? Haud parum quidem. Multa enim adjumenta ſunt vim repellenti, quæ inferentem deficiunt; machinæ, locus, minus tumultuaria pugna, compoſita magis acies; &, ipſo naturæ documento, minori periculo propellitur hoſtis, quàm ſuperatur. Hæc vicit ſententia, Stratmano leniter indicante, ſic Cæſari gratum fore; a quo diſcedens ſecretò acceperat, ſibi ſemper, dummodo Bojoarius haud ægre ferret, ea placitura, quæ Lotharingio maxime probarentur. Is igitur poſtridie Kal. Sept. corpora primo mane cibo reficere & curare milites imperat. Mox duodeviginti equitum, duodecim peditum millia extra vallum educta ita adversùs Viſirium locat, ut pugna decertaturus videretur. Simul ſex alia Cæſarianorum millia, totidem Brandeburgenſium, fortiſſimum quemque legit, quos in duo dividit agmina, agmen in duos globos, unum alteri ſubſidiarium & pari numero. Illos Scarffembergio, hos tribuit Crojæ Duci, quibus per oppoſitam quiſque ſibi mœnium ſtragem in urbem irruat. Et Bojoarius ad occupandum reliquum arcis mille quingentos milites, totidemque priori ſubſidiarios globo, in acie ſtatuit.

1686.

Ejus ſententiam omnes complectū-tur.

Quomodo Cæſariani ad poſtremā Budæ aggreſſionē ſe cōparaverint.

1686. Non fugit Budenſem prætorem, parari oppido poſtremum fatum. Quod ut arceret, ſua & præfectorum voce milites admonet, ut ſacramenti, quo ſe devoviſſent, memores ad extremum pugnent; utque propoſito ſibi ante mentis oculos: ſatius eſſe, perlitum hoſtium ſanguine in acie mori, quàm dura ſervitute preſſos, videre raptatas conjuges liberoſque, atque inter vincula & verbera miſerrimam vitam ducere; pertinaciter dimicantes aut patriam ab interitu, aut ab dolore & luctu ſe redimant. Dein partitis, quæ adhuc ſupererant, quinque armatorum millibus; duo millia ſecum retinet ad impediendum, quod cæteris latiùs patebat, per centum paſſuum ruinas, Cæſarianis iter. Globum alterum ſupremo Janizarorum duci ad prohibendos, facto ſibi anguſtiori aditu, Brandeburgenſes; alterum proprætori, (utrique denas centurias) muniendæ adverſus Bojoarios arci tribuit. Mille ad ſubitarios caſus in foro locat. Demum (ut e captivis poſtea compertum & ipſa monſtratum re) quoſdam fidiſſimos jurejurando adegit, ut ſi victricia hoſtium ſigna, profligatis dejectiſque e mœnium ruina oppidanis in urbem penetrare videant; publicis & privatis ædibus, quot plurimis poſſint locis, ignem inferant. Dum ſe ita ad repellendos hoſtes comparat prætor Abdius; mirari Solymanus, quid tandiu præter expectationem quieſceret hoſtium acies. Poſtmodum, quid illis in animo eſſet ſuſpicatus, immiſſa equitum ala, quæ laceſſendo cieret turbas, averteretque

Quomodo oppidani ut ſe defendant.

Prætoris adhortatio.

Prætor aliquos ſacramento adigit, ut Urbem incendant, ſi captam videant.

dive-

divexandæ urbis conſilium; ubi non pedem Germanos efferre vidit, & jaculis tantùm ſubmovere irruentes equites; quo remedio afflictis oppidanorum rebus ſuccurreret, volutare ſecum, ac diverſis curarum fluctibus agitari cœpit. Intèr hæc dies ad octavam horam pervenerat, cùm Lotharingius vocato ad ſe Comite Ænea Caprara. Hìc, inquit, mea tu vice perſungere; tuæ verò ſint partes, tenere locum, atque hoſti, quacumque ſe flectat parte, agmen opponere, ne pervadere in urbem poſſit. Laceſſat, ut lubet; tu tantùm obnitere, contemptor inanis gloriæ, quam feliciter pugnando fortè putares acquiſiturum. Nam vera, vincendo non audendo, paritur. Credo exercitum fidei ac prudentiæ tuæ, quippe quam ſciam nec militum ardore nec hoſtium incurſu ad capeſſendam pugnam attractum iri. Hæc ubi dixit, ad vineas progreſſus, ſex tormentorum boatu dari ſignum ad invadendum juſſit. Trifariam illico movere acies; erant in prima fronte, pectus & caput ferro tecti, pyrochytrophori atque e minoribus tormentis jaculatores, flammam telaque ad removendos hoſtes ingeſturi; in ſecundis ordinibus haſtati mixti honorariis militibus, qui gladiis & pilis urgerent. Nunquam tanta animorum & corporum vi pugnatum eſt. Agmen, cui Abdius præerat, non Cæſarianorum modò impetum ſuſtinere, ſed eos inceſſere, ac veluti lymphatum, quà poſſet, perrumpere; terrorem, vulnera, mortem circumferens. Undique in confertam turbam micabant tela, ſtridebant

1686.

Lotharingius Copiarũ extra vallum imperium Capraræ tribuit; & quæ illi mandata dederit.

Ipſe ad invadendam Budam progreditur.

Ordo ultimæ aggreſſionis narratur.

1686. bant enſes inter ſe colliſi, interno divulſa igne ollarum fragmenta medium petebant corpus. Non pugnam regebat imperium, ſed ira & obfirmata moriendi aut necandi rabies. Cæſariani primò inclinarunt; mox ſubſidiariorum globo aucti roboratique, intra ruinas hoſtem rejecere. Hinc alternatim pulſi impellenteſque, variabant vices, accenſis ad dimicandum animis periculi ac laboris irritamento. Quòd ubi vidit prætor, anxius ne inter ruinas coercitæ ſuorum cohorti, quaſi deſperata victoria, conſideret ardor pugnæ: Quæ, inquit, hæc hoſtium ferocia, quæ, commilitones, hæc veſtra ſegnities eſt? in tanto patriæ diſcrimine haud ſatis eſt pari virtute decertare. Enitendum vel ultra vires; & pulcherrima morte aut victoriâ decus libertaſque retinenda. Hæc fatus, ſeſe cum ferociſſimo circumſtantium cuneo in medium hoſtem immiſit; tantoque ardore certamen integratum, ut bellicoſa illa Cæſarianorum legio propemodum trepidarit. Stetit tamen fulta recenti milite, Lotaringiique aſpectu, qui ad clivi radices cum magno periculo in rem intentus verſabatur. Inter hæc ſanguine & ſudore fluens, multiſque plagis confectus, Abdius ſternitur. Senſere Turcæ prætoris caſum, ac veluti eo moriente ſibi quoque cecidiſſent vires, fracti repelluntur; ſed ita ut ira & furore ſuſtinentes corpora, pugnando caderent, impedirentque ſin minus gladiis, cadaveribus iter. Cæſarianos in urbem ingreſſos Brandeburgenſes eodem prope tempore, edita & ipſi magna cæ-

Quo utriuſque partis diſcrimine.

Prætoris cohortatio in ipſa pugna.

Strenuitas atque ferocia.

Mors.

Turcæ recedunt.

Cæſariani & Brandeburgenſes Budam vi ingrediuntur.

cæde, ſunt proſequuti. Victoriæ plaudentium clamor, mixto mulierum & puerorum ploratu, præſidiarios, qui ad arcem pugnabant, captam eſſe urbem monuit. Ea re perculſi exanimatique, remiſſo, quod adhuc acerrime & promiſcua clade retinuerant, dimicandi ſtudio, Bojoariis dedere locum. Horum in eo facinore invicta patientia fuit. Vixdum enim penitiores murorum ruinas ſubire aggreſſi, diſcedente ſubtus humo, ad ducentos abſorpti aut lacerati ſunt. Immenſa deinde fabrefacti ignis, miſſilium, haſtarumque vi adeo preſſi, ut per tot ſubſtructionum anfractus penetrare & ſteterit ingenti pretio, & præclaræ virtutis fuerit. Superatis munitionibus victores undecumque diſcurrunt. Tum verò patuit objectis difficultatibus odium exaſperari. Nemo vivos capiendi; nemo, in ſumma diripiendi occaſione, prædæ cupidus. Obtruncant nullo diſcrimine inermes armatoſque, viros ac fœminas; uſque ad impuberum cædem ira crudelis pervenit. Vix ab duum millium agmine, quod victoris clementiam obteſtabatur, Imperatorum juſſu temperatum eſt. Reliquiæ pugnantium erant, quos pavor aut hoſtium impulſus in locum duxerat munitionibus cinctum, amni imminentem ſub dexterum arcis latus & urbis mœnia. In his prophanæ religionis Antiſtes, proprætor, &, vel in ipſa deditione ferox Janizarorum præfectus. Cæterùm illata clades, quamquam immitis, neceſſaria videri potuit. Sic enim omnes efferaverant animum, ut prætoris edicto de incenden-

1686.

Mox Bojoarii.

Stragem ingentem edunt.

Turcarum globo clementiam Victoris imploranti, parcunt.

Atrox incendiũ ab ipſis Civibus excitatum.

1686. dis ædibus viri juxta ac mulieres morem plus nimio geſſerint. Ergo tot locis uno eodemque tempore flamma erupit, celeriterque adeo propagata eſt, ut illam Comes Rabatta ſupremus quæſtor vix ab vetuſto D. Stephani Templo, duobus frumenti cellis, publicoque armamentario prohibere potis fuerit. Hic Budę occaſus fuit; urbis, ſitu, propugnatorum virtute ac numero, bellicoque apparatu munitiſſimæ, robur & momentum ſuum, vel dum caderet, indicantis. Octogenos tenuit integros dies oppugnatio, abſumpſitque pluſquam ſexdecim Chriſtianorum millia. Poſtremus actus vicenas amplius horum centurias, tricenas Turcarum, vulneribus aut morte affecit. Repertæ in ea ſunt trecentæ quadragenęque murales machinæ, mortaria ſexaginta, militaris inſtrumenti & commeatuum affatim. Præda militibus conceſſa, futura opulentior, ni multum hauſiſſet ignis, plurimum corrupiſſet. Magna literarum felicitate ab incendio manſit libera inſignis Matthiæ Corvini Hungarici Regis Bibliotheca; quæ integra Viennam deducta, nobiliſſimo incremento Cæſaream locupletavit. Fama eſt, Viſirium facto in aggreſſores impetu periclitanti oppido ſalutem aut excidii moram quærere voluiſſe; at deterritum ſuorum exanimatione, qui ex intimi pavoris ſenſu acceptiſque ſæpius cladibus Numini odio ſe eſſe arguebant, abſtinuiſſe. Igitur ſub Solis occaſum convaſare juſſis, nocturno & celeri itinere prope Murſam ad Dravum ſe recepit.

Buda quot diebus oppugnata.

Quanto Chriſtianorum ſanguine expugnata.

Quæ ibi præda.

Bibliotheca Corvini Regis ab incendio immunis.

Viennã deducta.

Quid Viſirium ad opem, dum Urbs opprimeretur, ferendam detinuerit.

Murſam cũ exercitu recedit.

Finis Libri Quarti.

Liber

1686.

Liber Quintus.

BUda capta ac direpta, Lotharingius præmiſſa levi armatura, quæ palatos, aut impares maturando itineri interciperet, datoque militibus quatridui ſpatio ad reſpirandum; cum omni exercitu, relicto ibi quatuor millium præſiſidio, in viam ſe dedit. Dum iret, certior ab exploratoribus factus, Viſirium munitiſſimo natura loco inter Danubium Dravumque caſtra poſuiſſe, unde invitum ad pugnam elicere, fruſtra eſſet; Iſtrum ad Altinum trangreſſus, copias diviſit. Partem Antonio Carrafæ ad Segedunum, quod non longe diſtabat, oppugnandum; partem Ludovico Badenſium Principi ad aliquem in inferiori Pannonia ex hoſtium metu referendum fructum attribuit; quidpiam ipſe Peſthum reduxit, refrænando Agrienſi præſidio, & ſi foret opus, Hungaris perduellibus. Inde Viennam, (Bojoarius præceſſerat) & paullo

Cæſariani Turcas perſequuntur.

Cum fruſtra id fieret, citò recedūt.

Lotharingius exercitum dividit.

Digitized by Google

1686. poſt Oenipontem ad ſuos rediit. Interea Carrafa Segedunum copias admoverat; præjeratque illum cum aliquot legionibus Averniæ Comes prolegato; qui, dum ſuburbiorum clauſtra ſuperare nititur, glande ictus plumbea necatur. Jacet oppidum, nobile emporium, in dextra Tybiſci ripa adversùs Mariſum confluentem, parum munitionibus tutum; ſed Turcæ loci opportunitatem opulentiamque alacriter tutabantur, freti nimboſi tum cœli, jam jamque appetentis hjemis inclementia, illudebantque Germanis qui ſine muralibus machinis & bellico apparatu illuc venerant. Hi pariter magnas inter ſe querelas miſcebant, quòd nullus ſibi, circa Budam tot ærumnas perpeſſis, fieret laborum modus, nulla tam maligno anni tempore daretur quies. Itaque legatus infelicem expeditionem, ex eaque ſui nominis detrimentum veritus, Zolnochium proceſſerat, arietes inde militaremque commeatum per Tybiſcum amnem demiſſurus; dederatque, uſque dum rediret, rei urgendæ negotium Comiti Wali pro legato; & hic acceptis arietibus mœnia feriebat. Sed milites laborum tædio, & hoſtium contemptu negligenter ſtationes agebant, inſidiis opportuni. Quòd ubi præſidiariis cognitum, clam Viſirio ſubmittunt, illum qui ad aliquid moliendum adhortaretur. Extemplo quatuordecim peditum, ſex equitum centuriæ tranare Danubium juſſæ; greſſum verò ſic temperare, ut concubia nocte Germanos aggreſſæ, editaque quantam poſſent, ſtrage, in urbem pervaderent.

Carrafa ſuas Copias Segedunum admovet.

Urbs deſcribitur.

Carrafa digreditur.

Negligentior Seguduni oppugnatio.

Turcarum agmē illuc a Vſirio immittitur.

rent. Hos paullo poſt quinque ſubſequutæ legiones, quæ primum agmen, ſi adverſa uteretur fortuna, exciperet protegeretque. Walim conſilium hoſtis non latuit. Quamobrem Comiti Friderico Veteranio inſtructori exercitus mandat, ut cum quatuor equitum millibus ex adverſo occurrat, agatque quicquid ex occaſione ſuaque fide eſſe ducat. Iter ſub noctem aggreſſus, jam medium confecerat, cùm antecurſores nuntiant, hoſtem haud procul eſſe. Novit ſimul ex captivis, quos illi arripuerant, primum agmen devio itinere diu incertum erraſſe. In viam redeunti obviam fuiſſe alterum agmen, quod aliquot horarum intervallo ſubſequebatur; utrumque modò ſimul quieſcere, incertum quid ſibi gerendum ſit, cùm tempus abjerit noctu hoſtem, ut imperatum fuerat, inopinato aggrediendi; & ad Viſirium miſiſſe poſtulatum, ut imperio eximeret dubitationem, regeretque anxios animos. Re cognita, ſtatuit idem ipſe conſilium capere, quod eos fefellerat. Illuc proinde accelerat gradum. Caſu per tenebras legionum altera deerraverat; cui revocandæ cùm claſſicum ceciniſſet, Turcarum ſpeculatores, quid rei eſſet facilè conjectati, citato gradu ſuis renuntiant Germanos imminere. Illi confeſtim, miſto pavore ac pugnandi neceſſitate, arma capiunt, infrænant equos, in agmen coeunt, nulloque, ut in ſubita re, certo imperio, prout quiſque coaluerat globus, in hoſtem movent. Verùm vixdum congreſſi fugantur, ſecumque auferunt ſubmiſſas identidem turmas,

igna-

1686.

Iis Fridericus Veteranius obviam mittitur.

Hoſtem aggredi ſtatuit.

Inopinatò illum invadit.

1686.

Fugat. Inſequitur, trucidat, & aliqua potitur præda.

Janizarorum agmé ſtrenue pugnat, ac tandem cedit.

Germani in prædam ſe diſſolvunt.

Turcæ eos prædabundos in caſtris aggrediuntur.

Fit pugna.

Qua Turcæ victi.

Eos Germani inſequuntur.

Viſirius advenit cum ingenti agmine.

ignaras quid timerent & quibus cederent. Germani veſtigio inſiſtunt, unàque in ſtativa ingreſſi obtruncant armatos; quingentis adhuc inermibus, pluribus nondum inſtratis equis potiuntur. Duo Janizarorum millia (reliqui major pars ad primum tumultum fuga ſe ſubripuerant) in proximum vicum tenui vallatum aggere effugerant, armis & qualicumque munitione loci ſe defenſura. Obſtitere atroci pugna, nec ſine ſanguine; pulſi tandem profligatique mortem aut vincula ſubjerunt. Inde Germani ad colligendas manubias effuſi. Et Turcæ cùm neminem inſequentem viderent; rati, id quod res erat, eos incompoſitos prædabundoſque pervagari, ſiſtunt fugam, ac ſe invicem adhortati ut hoſtem, nihil minus quàm ſe redituros timentem, opprimerent, caſtra repetunt. Clamor ab excubiis ſublatus palatis nunciat cavere ſibi. Quo audito, unuſquiſque diſcurrit impavidus ad ſuum equum, & nota ſigna; quod nonniſi a veterano milite fieri poteſt. Compoſito agmine extemplo Turcis occurrunt; & hi nihil remiſſo animi ardore, quamquam diverſa opinati, ruunt in prælium, utrinque novo oblato diſcrimine auctis odiis. Atrociter ſed non diu certatum; mora prius, mox pulſa fugataque Turcarum acie. Germani obſtinato curſu tergo adhærent, exiſtimantes Danubium, qui in proximo erat, intercludentem fugam eos ſibi ad occidionem præbiturum. Jam ex alto ad ripam oculis perveniebant, cùm illam & circumpoſitam oram ingenti agmine ob-

obſeptam vident. Viſirius iſtud (decem erant cum aliquot campeſtribus machinis armatorum millia) ponte traduxerat, cum præmiſſis pridie legionibus Segedunum auxilio iturus. Eo aſpectu Veteranius haud parum commotus, equites juſſit frænos cohibere, vocatoſque circum ſe tribunos paucis alloquitur. Plus viginti paſſuum millia a noſtris diſceſſimus, Commilitones; illuc proinde difficilis reditus, imminentibus a tergo Turcis, atque infeſto itinere inſidiaturis. Et ſi pugnam capeſſimus; tribus ſinguli, ut viſu aciem ipſam metimur, minimùm congrediemur. Quid igitur in hoc rerum diſcrimine ſcientiæ militaris eſt? Noſtrarum copiarum paucitas a pugnando deterret; ſuadet virtus. Quid horum ad ſe inclinet ſententias noſtras? Non hìc ego deſperationem in conſilium adhibendam cenſeo; quæ quidem exacuit nonnunquam animos, ſed & nonnunquam demittit. Una nobis ratio, una belli prudentia audienda eſt. Ad hanc ego, ſi me dicendo præire vultis, pertinere nunc arbitror non pugnare modò, ſed & pugnam laceſſere. Idque non ut vocanti fortunæ pareamus, ſed quia plures opinione hoſtium confligemus, quàm re vera conſiſtimus. Ignoti adhuc ſumus numerum recenſentibus, notiſſimi ſtrenuitatem expertis; nec nos credunt, dimidio prope, quibuſcum pugnavimus, copiis minores, duas de ſe dudum victorias retuliſſe. Hinc verò ut iis accrevit fides, majori nos eſſe multitudine quàm ſumus; ita nobis, majori eſſe robore putandum eſt. Utraque opinio, quæ ſemper in bel-

1686.

Veteranius quid agendum conſultat.

Ejus Concio.

1686. bello maxime valuit, certo mihi portendit omine, hoſtem iterum profligatum iri; nos, ingenti periculo feliciter explicato, gloriæ & prædæ compotes fore. Ducis ſententiam ad unum omnes ſequuti ſunt. Itaque dato equis ad reficiendas vires, quantum licuit, tempore; inſtructas legiones lento gradu promovit. Viſirius, ubi vidit nullum Germanis peditatum eſſe, ſuum cum machinis locat in adverſa fronte; equitatum omnem ad lævam ſeponit; nam dextram palus tegebat. Ipſum jubet circumflectentem equos petere hoſtium latus, ac ſimul a fronte pedites inferre ſigna, ut ancipiti pavore acies diſtracta certam cladem acciperet. Terruit ea res Germanos, veritos, ſi Turcarum numero accederet ars, actum de ſe fore. Sed Veteranius conſilio non magis audaci quàm neceſſario amovit periculum. Dat Caſtellio tribuno quatuor legiones, quas denſatis ordinibus in hoſtilem equeſtrem aciem inducat, priuſquam pedites committant pugnam; juſſo, non inde recedere niſi victorem. Si fortè iniquo Marte diſcrimen adeat, ſpondet ſe in tempore, quantum fas eſſe ducat, ſuppetias miſſurum. Cæterùm adverſantium multitudinem æquet parta tot victoriis ſtrenuitatis fama, effectu ſuperet. Extemplo ille calcaribus ſubditis in hoſtem fertur; qui ut veniebat lunato gyro extenuatis ordinibus, haudquaquam impreſſionem ſuſtinuit, qua parte primùm data fuit. Verùm citò quadrantes ſe reliquæ turmæ Cæſarianos circumdant, atque atrox accenditur pugna. Tum verò apparuit, quid

Duces Veteranio aſſentiuntur.

Inſtruitur utrinque ad pugnam acies, & quomodo.

Veteranii ſuſceptum e re nata conſilium.

Initur prælium quod deſcribitur.

quid poſſit in prælio præjudicata militum opinio. Hi undique agitare equos, gladios vibrare, jugulum petere. Turcæ admiratione fortitudinis ſuſpendere initiò animos, mox comprimere, tandem demittere; & illi eò magis urgentes, feriendo obtruncandoque, ubi confertior turba, ſe ſe immiſcere; quoad turbatos diſſolutoſque in fugam conjiciunt, multaque cæde ferociter inſectantur. Pedites ad ineundum & ipſi prælium maturaverant gradum; non prius tamen illud aggreſſi, quàm fugatis equitibus, ſe ſeque eorum præſidio denudatis. Id ipſis plurimùm dejecit animos; ſed cùm adeſſet Viſirius, fecit imperium & majeſtas viri, ut non penitus abjecerint. Laxatis tormentis, Germanorum pauci ſagittarii, qui frontem conſtituebant, ſublati; & alii periculo & ſuorum cæde irritati, collatis ſignis ad manus veniunt. Cæteri equites ſimul, quà poſſent, celerrimo curſu turmatim admittunt equos. Turcæ primum impetum retudere, factaque utrinque clades. At ferocientibus hoſtium equis adeo diviſi proculcatique, ut, cùm prope indefenſi paterent minacibus gladiis, poſtremò terga dederint. Duæ Janizarorum legiones, quæ in medio erant, diutius adversùs ſagittarios ſe tenuere; donec quadringentis ſuorum interfectis in pedes & ipſi ſe conjiciunt. Germani parum proſequuti pulſos fugatoſque ſunt, laſſitudine confectis equis. Collecta præda abductiſque tormentis cum aliquot militaribus ſignis Segedunum repetunt; ubi Walis, quid iis accidiſſet, anxius, ab

1686.

Equitatus Turcarum fugam arripit.

Peditatus acriter dimicat.

Tandem fugatur.

Germani Segedunum redeunt.

1686.

Segeduni Prætorem ad deditioné vocant.

armis quieverat. Nunc reditu ac victoria lætus prætorem ad deditionem vocat. Is e captivis, ſponte in id rei ſibi dimiſſis, cognita ſuorum clade, pactus præſidii vitam, libertatem, & quantum poſſet unuſquiſque rei domeſticæ ſecum ferre, oppido ceſſit.

Qui deterritus ſuorum clade annuit, & quibus pactis.

Viſirius reductis in vetera caſtra fugientium reliquiis, firmatiſque novo milite clarioribus inferioris Pannoniæ, quæ ſibi ſupererant, urbibus, cum omnibus copiis Dravum trajecit.

Viſirius poſt acceptam cladem trans Dravú regreditur.

Itaque ſuccedenti in eam regionem Badenſium Principi quinque Eccleſiæ oppidum, Darda, Siclum ſponte ſe dedidere.

Aliquot cis flumen Urbes Badéſi ſe dedunt.

Capoſuarum quoque tolerata ſex dierum obſidione in ejus poteſtatem venit. Mox legiones in hiberna deductæ finem laboribus invenerunt. Eadem armorum fortuna Venetos hac ipſa æſtate ſequuta eſt. Militem multa pecunia ex Italia Germaniaque collegerant; e Svecia, ubi Regi ſuo merebat legati munere, adduxerant Comitem Othonem Wilhelmum Konigſmarchum, qui terra bellum adminiſtraret.

Konigſmarchus Venetis meret, et armorum Præfectus creatur.

Dum huic apparando impenditur ab iis cura; Turcæ ad ſuæ claſſis præfectum; qui ne ſine aliquo militiæ duce Peloponneſum deſereret, hjemis tempus illic traduxerat; primo vere ad octo millia convenerant. Conſilium erat, priuſquam Veneta rediret claſſis, quæ Corcyræ hjemabat, Coronem, Zernatam, Chielaphamque adhuc ruinis patentes recuperare, totamque expedire provinciam, dejectis hoſtium præſidiis.

Turcæ collecto agmine in Laconiam vadunt.

Laconiam ingreſſi populatique, Incolarum catervas, ſaltum inſidentes ad obſepiendum

iter

iter ; primo aſpectu fugant, Chielaphæque ſuccedunt cum ſex muralibus tormentis, adeo militiæ rudes (collectitia quippe Indigenarum turba) ut nec in animum induxerint oppidum circumvallare, nec mœnia, quamvis tenui compage, arietando evertere ſint aſſequuti. Id præſidiariis fecit animos ad ea retinenda; cùm præſertim quidpiam extemplo militum ſubmiſiſſet Laurentius Venerius prætor majorum navium, tunc ea litora caſu legens; & Marinus Grittus oppidi præſul injiceret ſpem, actutum Maurocenum Imperatorem, cui, quid Chielaphæ periculi adeſſet, miſſo myoparone renuntiaverat, ſuppetias adducturum. Nec facta evanuit ſpes. Is enim accepto nuntio, ſtatim quinqueremium claſſem conſcendit, quatriduique navigatione ad eam oram decima obſidionis die quatuor millia quingentos milites expoſuit, prima luce ad hoſtem iturus. Sed hic, audito Venetorum appulſu, tacitus eadem nocte celeriter adeo ſe corripuit, ut in itinere machinas, quæ moram faciebant, Venetis prædam reliquerit. Introrſus reductis copiis, traditiſque Iſmaili armorum præfecto, qui ſupervenerat; maris prætor pedibus ſe ad claſſem retulit, quam Byzantium ineunte hjeme dimiſerat hibernatum. Maurocenus acceptis iterum in quinqueremes legionibus ad Leucadem proras direxit, quò ſuas reliquas & auxiliares copias convenire juſſerat. Affuit citò cum onerariis belliciſque navibus quicquid in Corcyra Zancinthoque inſulis manſerat militum; & aliquod Venetiis ſupplementum

1686.

Chielapham invadunt imperite.

Veneti oppidum defendunt.

Maurocenus cum promptiori claſſe ſuppetias venit.

Turcæ audito claſſis ad proximum litus appulſu ſe referunt.

Maurocenus Leucadem ad colligendas reliquas naves pergit.

Iii 2 cum

1686.

Quo numero navium & militum Auxiliares advenerint.

cum Konigſmarcho. Octo quoque Melitenſes quinqueremes decem peditum centurias; prope dimidium quatuor Romanæ; nec ita multo poſt totidem Etruſcæ, unaque oneraria decem & ipſæ centurias ad reliquum exercitum adjecere. Multis ibi ſermonibus agitatum, quò bellum ferendum eſſet; poſcentibus aliis Candiam, aliis Eubæam; illam Turcarum negligentia, populorum deſiderio, ut ferebatur, imparibus quamquam viribus ab occupandæ ſpe non alienam; hanc opportunam, nec reſiſtendo parem; prout quiſque, ambitione aut credulitate, melioris auctor conſilii cenſeri vellet. Litem Maurocenus diremit, fatus: deducenda e Peloponneſo præſidia, ſi aliò procul inde arma inferantur. Non enim quæ hactenus illic Reipublicæ pareant oppida, ea eſſe, quæ ſi auxilio deſtituantur adverſus ingruentem provincialium impetum (quod vel dudum experti fuerant) ſtare ſuis viribus poſſent. Cùm igitur alterutrum ſtatuendum ſit: vel ſcilicet ad retinenda, quæ in poteſtatem venerant, oppida, bellum, ubi commotum jam fuit, urgere; vel eis dimiſſis, alia quæſituros, in diverſam partem transferre; abſurdum videri, quæ in manibus habeas, deſerere ut ſpem ſequaris, iſtamque aut vanam aut minori intentam utilitati. Nam quæ de Candia dicuntur, utcumque vera ſint, illectura, ſi ſapiat, neminem ad eam tentandam. Per ſe quippe nimium vigere arcem munitiſſimam; & ſi negligenter cuſtoditur, facilè ad

De re gerenda in commune deliberant, & quæ dictæ ſententiæ, quibuſque argumentis fultæ.

Mauroceni ſententia, & quibus rationibus inhæreat.

pri-

primum hoſtium conſpectum negligentiam abjici; eòque diligentius, quò prius in culpa. Civium autem in Venetos benevolentiam nullum facinori dare momentum poſſe, invalido ſemper ac timido ad res novandas inermi deſiderio. At Eubæam quis Peloponneſo opportunitate, amplitudine, emolumentis parem dicat? Igitur a ſuperioris anni ſententia non diſcedendum videri; & ſi tunc prudentis fuit, eam ſelegiſſe; modò eſſe, non mutare, ſapientis. Cuncti annuère. Adhuc tamen ambigebatur, quam primùm in provinciæ partem inferenda eſſent arma. Maurocenus Patras, aut Rhium, aut omnino aliùd quidpiam occidentalis oræ, utpote Cephaleniæ Zacinthoque proxima, circumſpectabat. Sed Konigſmarchus multo ſermone differens: longius diſtractis legionibus, non ſecus ac ſi in remotiores, quæ dudum rejectæ ſunt, inſulas deportarentur, quicquid jam ſubegiſſent, in diſcrimen adduci: Meſſeniam monuit prius armis obſidendam, in quam Corones aditum permuniret, & unde Laconia commode teneretur. Placuit dictum, omniumque aſſenſu ea decernitur. Datis itaque Laurentio Venerio quatuordecim bellicis, duabus incendiariis navibus ad obſepiendum Helleſpontum, impediendamque per Ægæum & Jonium mare Turcis navigationem; Maurocenus Navarinum, portu amplo tutoque opportunum, proras obvertit. Eſt in Meſſeniæ litore, ubi ſupra Cypariſſium ſinum in occaſum vergit, alta rupes; quæ in pelagus prominens, objectu molis ab

1686.

Ex ejus ſententia decernitur Peloponneſus.

Rurſus quæ illius pars prius petenda, diſputatur.

E Konigſmarchi ſententia Meſſenia ſtatuitur.

Veneti Navarinum obſident.

Oppidum deſcribitur.

Digitized by Google

1686. ab dextra; ab læva incurvum litus, in tenue promontorium deſinens, portum efficiunt. Fauces occludit Sfacteria inſula; & alter modico intervallo ſcopulus, trino relicto aditu navigantibus. E rupe Navarinum ſurgit, quod Veteres Pylum, Neſtoris Regiam, dixere; celebratum deinde Athenienſium propugnatione, factaque ibi & in proxima inſula obſidentium Lacedęmoniorum ſtrage. Alterum, a Turcis conſtructum in promontorii capite, ejuſdem nominis jacet oppidum; ambo munita priſco more, & machinis armata ad portus tutelam. Nullo impedimento mille paſſus ab vetere, ut vocant, Navarino novem peditum millia, decem equitum centuriæ e claſſe in litus prolatæ, illud confeſtim ſubeunt; quod nulla mora portas aperuit, accipientibus fidem incolis (quadringenti erant, in his centum viginti armorum potentes) ſe ſe Alexandriam cum re domeſtica deductum iri. Natura loci plures dies quamquam tenui inſeſſum præſidio (ut parva olim Athenienſium manu Lacedæmonios) arcere hoſtes potuiſſet; cùm præſertim tres & quinquaginta machinæ ſuccedentibus minitarentur. Illic Veneti circumeuntes portum, cognomini ex adverſum oppido celeriter admoventur. Præerat ei Seffirus vir bello aſſuetus, nec ferociæ immodicus, nec ignaviæ. Ad deditionem ſolicitatus reſpondit: fruſtra id ſecum ſermonis interſeri, cùm prope Iſmailis prætoris, opem adducentis, ſigna conſpicerentur; quo victore, nihil ſibi timendum eſſe; victo, nihil auden-

Navarinum vetus deditur, & quibus conditionibus.

Quamquam plures tenere dies potuiſſet.

Navarini novi oppugnatio narratur.

dendum. Terrorem nihilo tamen ſecius tormentis incuti viſum, diſponique viginti majores arietes, qui muros decuterent; duodeviginti pyrolmos, unde incendio ac ruinis tecta diſſiparentur. Hi, cum primùm non collinearent libratorum imperitia, auxere oppidanis animos; nec, poſteaquam e diverſa parte ſcite magis exploſi dilacerabant mœnia domoſque, ab iiſdem civibus tumultuatum; hortante Seſſiro ut adventantis ſuorum exercitus fortunam opperirentur, levique jactura aut parerent ſibi invicti adversùs ærumnas animi gloriam, ſi hoſtis diſcederet; aut meritum ſervatæ, quoad licuerit, fidei, ſi denique cedendum foret. Non diu fuit, cùm prima Turcarum ſigna in proximis collibus apparuere. Hæc ubi viſa, Konigſmarchus nil ſibi cunctandūm ratus, quominus prælium cieret, ne hoſtibus facta mora fiduciam adderet, ſeptem peditum millia, ſeptingentos equites ad eos adduxit. Cum reliquis equitem Alcenagum retundere, ſi quid molirentur, oppidanorum impetum, & machinis præſidio eſſe jubet. Simul undecim quinqueremes portum per intermedium oſtium ſub ipſis jaculis ingrediuntur; ut illum cymbis, per remotiorem alterum & prope vadoſum aditum alimenta ad exercitum adducturis, munirent expedirentque. Iſmail cognito Venetorum conſilio, nonnihil receſſit, inſtruxitque in aperta cujuſdam collis planitie octo peditum, duo equitum millia, quot ſecum venerant, cum hoſte, ſi fortè ſuccederet, e ſuperiori loco decertaturus. Konigſmarchus lento gra-

1686.

Turcæ in proximis collibus conſiſtunt.

Veneti iis obviā procedunt.

Aliquot ipſorū quinqueremes portum ingrediūtur.

Iſmail ubi exercitum inſtruit.

Konigſmarchus eò ſuccedit, & quo ordine.

1686. gradu ad retinendos ordines iter habebat. In fronte equitatum locaverat Corbonio Duce. Ipſe Melitenſis, Illyrici, Italicique nominis pedites, mediam aciem, ducebat. Claudebat agmen cum Germanorum legionibus Princeps Wilhelmus Maximilianus e regnatrice Brunſuicenſium domo. Ubi Turcarum acies valle intermedia in conſpectu fuit, *Prælium oritur.* Corbonius, vir avidi ad pugnam ingenii, cum omni equitatu accelerat gradum; quin & denſatis circum ſe ſagittariis viam præcipit, pugnæ proluſurus. In primos peditum ordines invectus, jaculis illos ſubmoveri juſſit. Et Turcæ dolo an metu referebant pedem; ſed ita ut compoſiti obverterent ora, telaque ſæpius in ferocientem hoſtem remitterent. Corbonius, quamquam a Konigſmarcho admonitus, *Venetorum periculum, & unde ortum.* ne temere a reliquis ſejunctus paucas turmas in diſcrimen offerret, concitatis equis impellebat cedentium agmen; cùm Thracum repentè equitatus ab utroque emiſſus latere ingruentibus Venetis ſe circumfudit. Magno hi periculo opprimebantur, ni periculum ipſum ad ſe ſe expediendos ferociam atque animos acuiſſet. Turris Alverniæ Principi, quem gloriæ & belli amor illuc adduxerat, dato negotio ut impetum a fronte retineret, Corbonius facto tricenum equitum cuneo modò hàc modò illac *Se ſe magna virtute expediunt.* effundi, atque adeo impellentes contundere ut ſpatium cæteris turmis ad congrediendum dederit; quæ aperto ſibi ad ſuos aditu, primò frontem æquarunt; mox, Konigſmarcho peditum legiones inducente, atro-

atrocem integrarunt pugnam, cedentibus demum Turcis ad tantum animorum ardorem. Quo viſo Iſmail in furorem actus, & ad equites verſus: quæ iſthæc, inquit, rerum mutatio eſt; dudum victores, modò victi? Hanc ne ego mihi, & vobis ignominiam inuri patiar? Non equidem, vel ſi morte redimenda ſit. Agitedum mecum extremis viribus, omnium immemores præterquam vincendi. Dictis veterani ſolùm, qui pauci erant, obtemperarunt, prætorem inferentem equum proſequuti. Venetis veſano impetu conturbati, locum non ita facilè retinuiſſent, ſi Konigſmarchus belli minus arte, ſedatoque in ſubitis rebus animo valuiſſet. Etenim conſtipatis ordinibus, datoque novis cohortibus ſpatio adeo aciem denſavit, ut prætor, quantocumque impetu urgeret, illam perrumpere non ſatis fuerit. Hic verò dum inter primos dimicat, ſummum lævum brachium plumbea perculſus glande, cùm ferocem equum moderari non amplius poſſet; cinctus ſuorum corona prælio ceſſit. Reliqui, collectitia turba, jam tum moti propulſique, terga dedere ſolutis ordinibus, ſed conglobatim. Eos Veneti vix ultra caſtra ſunt inſequuti prædæ aviditate, quæ ſibi e prætenſis adhuc tabernaculis in aperto erat. Turcarum ad quingenos necati, hoſtium minus. Victoriæ præmium Navarinum fuit; unde ſe cum incolis omnique re domeſtica Alexandriam Ægypti cum Venetis navibus diſceſſurum, Seffirus dedit accepitque fidem atque obſides. Claſſis poſtridie e proxima Pro-

1686.

Turcæ vacillant.

Eos Iſmail inflammat.

Pugnam redintegrat.

Iſmail ſaucius ſe refert cum veteranis.

Turcarum reliqui in fugam ſe conjiciunt.

Navarinum novum Venetis cedit & quibus conditionibus.

1686. te inſula, ubi per oppugnationis tempus incommoda ſtatione in anchoris ſteterat, portum intravit. Turcæ deinde ad tria millia navigiis excepti conceſſere oppido, haud parum ollis incendiariis deformato. Mœnium & civium, quos inter prætor Seſtrus, ſtragem cumulavit ſuccenſus in ipſa cella ſulfuratus pulvis; qui ſilentio noctis horrendo fragore debaccatus, tantam oppidanorum perfidiæ ſuſpicionem Venetis injecit, ut anchoralia præciderint, altum repetituri. Quamquam vulgo repentini caſus nunquam non dolus auctor, Turcæ tamen hoc ſcelere immunes habiti; cæteroquin vel ſola criminis opinione ingens futuri hoſtibus præda. Sed rarò quiſquam creditur, publicas privatis ærumnis calamitates ulciſci velle. Navarino capto, exercitus Methonem, decem illinc paſſuum millia, pedibus ire pergit. Urbs ex parte mari alluitur, tenui per ea latera cincta muro. A Borea caſtello clauditur priſca ſed valida munitione. Tormentis illico lacerari cœpta e vicino præſertim æquatoque tumulo. Mortaria tectis ac civibus adeo circùm infeſta, ut nuſquam non extarent fœda ruinarum, & cædis humanæ ſigna. Hinc tamen haudquaquam incolæ deſpondebant animos, ſtragem centum curulibus machinis reciprocantes. Viſum proinde Venetis, aggere contectos duplici via tendere ad foſſæ marginem. Quò ubi facili opere, quippe ibi terrenus ager, perventum eſt; cives ad quatuor millia, rem familiarem ac libertatem pacti, vacuum oppidum dedidere. Turcis ita ab omni Meſſenia Laconiaque dejectis, quò rur-

Sed priuſquam portas aperiret, caſu incenſum Prętoris, & plurium cæde.

Veneti Methonē ad oppugnandum pergunt.

Tormentis oppidum laceratur.

Deditur, & quibus pactis.

rurſus legiones ducendæ, in ſermonem venit. Adeo cunctis proſperitas armorum erexerat animos, ut nil minus quam Naupliam, totius Peloponneſi caput, cogitarent. Verùm pluribus ea ingerebat curam cogitatio, quòd oppidum, cæteris, quæ adhuc in deditionem acceperant, validius majori civium numero, & omne circùm Turcicum nomen ad opem ferendam excitaturum; anceps ac periculoſum videretur, paullo plus decem armatorum millibus pertentare; imparibus ſane viribus, nec aliter quàm comitante fortuna in id facinus periclitandis; quam qui ſæpius fallentem non timeat, aut eam, qualis ſit, ignorare; aut, quid malorum fallendo afferat, neutiquam penſi habere. Incertæ conſultationi finem Maurocenus impoſuit, Naupliam invadendam ratus. Dixit enim: prudentiæ, non temeritatis eſſe, difficillima agendo complecti, ad quæ virtus annuente fortuna ſuadeat. Nam vires ſæpius metiendas non ſuo robore, ſed aliena opinione. Cui unquam in mentem veniſſe, Navarinum, Methonemque uno propemodum terrore ad deditionem redigi, Turcarum exercitum uno conflictu exanimari poſſe. Eveniſſe tamen, iſtaque idcirco rerum felicitate ſpem quoque Nauplia ſubigendæ erigendam eſſe; nec vanis ex adverſo rationibus retinendum victoriæ curſum, quem difficiliùs ingredimur quàm proſequamur. Quamquam, ait, tale facinus nec noſtras excedere vires, nec a militari ſcientia abhorrere. Nobis ſiquidem, accepto Venetiis ſupplemento, ad mil-

1686.

Veneti de Nauplia oppugnanda cogitant.

Plures diſſuadét, & quibus argumentis.

Maurocenus ſuadet, ejuſque rationes.

1686. lia fere duodecim copias auctas; quæ ſi, quamquam pauciores, ad duo illa oppida ſuperanda ſatis fore viſa ſunt; cur majores, ut modò ſunt, ad hoc alterum non videantur? Non enim Navarino aut Methone differre Naupliam loci fortitudine, munitionum genere, præſidii ſtrenuitate; utrobique militibus ex urbana multitudine tumultuariò ſcriptis, non legionariis. At excellere, inquient, numero, cùm frequentiores hìc cives habitent? Quid ſi hinc debilitari affirmem? Imbellis enim turba quò major, eò graviores, dum oppugnatur, tumultus ciet; & armis idonei quò plures, eò faciliùs conjugum ac liberorum ejulatione ad deditionem flectuntur, minus pudore vel minis ab ea deterriti, utpote aut ſuis ducibus multitudine ignoti; aut validiores, quàm ulla in officio vi retineri poſſint. Neque verò ab externis copiis timendum eſſe, quæ ad principis Peloponneſi urbis periculum diligentiori delectu colligendæ ſint; aut reputandum: non eſſe e republica, illas acerbiore hoc vulnere irritatas in nos armare. Sive enim recenti clade fractas novum diſcrimen non ſubituras; ſive, ſi prælium conſerant, inſito jam metu debilitatas majori quàm dudum clade confectum iri. Ab his adhortationibus nemo non audendum cenſuit, ſuſcipiendumque facinus virium fiducia, ſi pares forent; & ſi impares, fortunæ. Re deliberata, exercitus claſſem conſcendit; nam pedibus iter Naupliam arduum & laborioſum erat; quatriduique navigatione ad lævam op-

Naupliæ oppugnatio decernitur

oppidi, ubi collibus ab eo tectum nonnihil recedit, litus tenuit. Ad ſiniſtram Argolici ſinus prope ultimum receſſum Nauplia jacet, altæ inſidens rupi, quæ brevi anguſtoque tractu in mare ſe inſinuat. Mœnia turribus interſepta margini circumducuntur, relicto ſolùm exiguo ad Boream ſitu, unde majora tormenta ex humiliori ſolo ad aquæ ſuperficiem librata, portus oſtium defendunt. Meridianum latus ab continenti murus dividit, quem duplex tutatur in angulis firmiori compage ampla turris, & lata foſſa. Per rupis dorſum ad aquarum divortium alter deſcendit murus, quadratis propugnaculis interjectus, quo urbs ad ortum & occaſum geminatur. In faſtigio caſtellum conſurgit non diſſimili opere ac munitionibus. Portum ampliſſimum claudit ab occidente ipſum oppidum; ab ortu, & meridie litus; fauces obſtringit ſcopulus haud longe a mœnibus diſtans, operibus circummunitus. Dimidium aditus ab continente in oppidum Palamides obſtruit mons, radicibus vix non muris ſuccedens, ſuperboque imminens jugo. Dextrum litus civium induſtria arboribus conſitum, lætumque hortorum amœnitate. Siniſtrum aſperum, &, ubi prope urbem inflectitur, fidam navibus ſtationem præbet. Summum oppidi imperium geſtabat Muſtaphus prætor, qui ſtatim ac Venetos propinquare vidit, ad Iſmailem de ſuo periculo renuntiatum miſit, ſuppetiaſque oratum. Simul e quinque Turcarum civium millibus quindecim bello potentium centurias deſcripſit, pro aris ac fo-

1686.

Oppidi ſitus & munitiones deſcribuntur.

Qui præeſſet oppido, & quo præſidio.

1686. focis, ſuis diſtinctas agminibus, depugnaturas. Hi Venetos ſolutis ordinibus per primos progredientes colles ac prædabundos adorti, paucos oppreſſere, citò deinde, adveniente gravi armatura, intra mœnia repulſi levi utrinque nonnullorum cæde.

Veneti ubi caſtra metantur.

Caſtra Veneti nullo impedimento ſtatuunt inter humiles alios colles, qui oppidi aſpectum adimebant, & aſperiores a tergo montes; vallo & foſſa muniunt.

Iſmail Seraſcherius cum exercitum Venetis accedit.

Vix eò pervenerant, cùm Iſmailem ab Argo, tenui caſtello haud procul ab antiquis Argis, deſcendere cum ingentibus copiis, nuntius affertur. Quatuor erant equitum, tria peditum millia, legionarii omnes, partim robur priſtini exercitus, partim e vicinis maritimæ oræ præſidiis educti.

Quo conſilio.

Arte eludere hoſtem, conſilium cœperat. Quocirca in aperta planitie, velut propediem vallum oppugnaturus, ſederat. Clam verò concubia nocte e proximo litore cohortes aliquot Janizarorum per nondum Venetis navibus impeditum portus oſtium lembis in urbem

Aliquot cohortes clam in oppidum immittit.

immittere conſtituerat. Nec conſilium fefellit, trecentis inductis; nec deſtitiſſet, ni Veneti re comperta ſtationariis quinqueremibus profundum, brevia cymbis concluſiſſent.

Veneti urbem lacerant.

Interea ab una parte novem muralibus tormentis, tribus mortariis litori admotis, majoribus aliquot pyrobaliſtis e Palamide; ex altera duabus pyrolmophoris tecta civeſque lacerabantur. Leviter illi domorum jacturam ferebant, &

Nullo civium metu.

corpora, tutis locis caveiſque abdita, neci eximebant. Patebat proinde, niſi vis mœnibus admoveretur, reli-

qua

qua ad perdomandos feroces animos incaſſum fore. 1686.
Sed Iſmaile exterius imminente, militum partem ad agendas vineas diſtrahere, periculi plenum erat. Illum itaque prælio petendum ſtatuunt, omneſque ibi vires periclitandas. Re conſtituta Konigſmarchus relictis intra vallum mille quingentis armatis, novem peditum millia, decem equitum centurias cum ſex curulibus machinis ad hoſtem duxit. Simul ex composito Maurocenus omnem claſſem, circumductam oppido, ad oppoſitum litus appulit adversùs Argum; ut illinc, facto in ſpeciem legionis nautarum agmine, terrorem hoſtibus, dum incaleſceret prælium, a tergo incuteret. Prætor ubi vidit hoſtem inſtructis ordinibus, pugnam provocaturum, ad ſe accedere; lætus facta ſibi patentibus campis certandi copia (quippe qui longe equitatu prævaleret) hoc ſtatim in cornua deducto, in medium acceptis peditibus, cum duobus æneis tormentis præoccupat in hoſtem ire. Veneti quadrato agmine procedebant, peditatu in primam aciem inducto, juſſoque ad exteriores ordines armare gladiis pyroſcorpiones; quibus prætentis, & agminis firmitate, retunderent equorum impetum; ex interioribus non prius tela mittere, quàm dato ſigno. Equitatus, ut impar, in ſubſidiis locatur; in hoſtes, ſi terga verterent diſſolverentque ordines, irrupturus. Primi Turcæ præmiſſis equitibus intulere ſigna; ſubditiſque calcaribus irritabant prævalidos equos, ut ſe ſe immittentes diſcinderent turbarentque Venetorum aciem.

Oppugnationis difficultates.

Veneti Iſmailis exercitum aggrediuntur. Quo ordine.

Iſmail exercitum in aciem educit.

Prælium initur & deſcribitur.

Hæc

Digitized by Google

1686. Hæc hærens veſtigio, horridaque intentis pilis, nihil movebat. Cùm Konigſmarchus ab interioribus ordinibus per omnem partem in diffuſos diſſipatoſque late Barbaros conjici tela juſſit. Ea procella quadringentos illico humi ſtravit, admonuitque cæteros, ut ad pedites ſe reciperent, æquata cum iis fronte dimicaturi. Commiſſæ pugnæ machinæ proluſerant, majori Turcarum laceratione; quæ tamen non minuit ipſorum ferociam, quominus extrema auderent. Cùm adhuc in ancipiti eſſet, quò inclinaret victoria; prætor, conſpecto progredientium a litore Venetorum agmine (turba erat nautica, quam memoravimus, ad duo hominum millia, & lata ad augendum ſui metum veniebat fronte) veritus, ſuos inter duas acies concluſum iri, in caſtra ſe retulit. Unde celeriter convaſatus, vix exigua Venetis relicta præda, parumque ab iis, dum recederet, divexatus, copias interius reduxit. Pulſo longiùs hoſte, Maurocenus oppidanos deditionem haud amplius moraturos ratus, comiter compellavit. Dato feroci reſponſo, duodecim alias majores machinas, octo pyrolmos a dextro portus latere intendi in oppidum jubet, omniaque ruinis & flamma involvi; ſimul obſidionalem aggerem ad mœnia adduci; caſtrenſe vallum diligentiùs permuniri. Nam metus erat, hoſtem rediturum, auctum tribus armatorum millibus e remotioribus præſidiis, ab Aulone uſque deductis; cùm præſertim ex inteſtinis plurimùm laborarent Chriſtiani milites, vulgato æſtivis ardoribus

Iſmail receptui cani jubet, & quare.

Se refert.

Maurocenus Oppidanos ad deditionem vocat.

Sed fruſtra.

Oppidi ingentes ruinæ.

Veneti morbis divexati.

bus

Digitized by Google

bus & pomorum ingluvie morbo. Dum hæc peraguntur, oppidani ingenti ſtrepitu ſe ſe e portis effundunt, deturbaturi ab aggeribus operas, ædiumque incendium, quo lignea compactæ materia nullo remedio abſumebantur, vindicaturi. Verùm dum incompoſiti, quamquam ſtrenue, circùm diſcurrunt, mœnia repetere coacti ſunt. Inde tamen gravis inceſſit cura Venetos duces, haud levi conjectura in metum adductos: ſi ab interno ſimul externoque hoſte impetus fieret, ſe neutiquam ſatis fore ad eum repellendum. At Turcis ejuſmodi mentem ſuperi ademerunt; & Venetis aliquod ſupplementum opportune advenerat. Interea novis coactis copiis Iſmail ad ſolvendam obſidionem ſe comparaverat, idque extremo conatu pertentare a. d. IV. Kal. Sept. (quem diem ſibi Turcæ fauſtum arbitrantur) apud ſe conſtituerat. Quod ubi e captivo quodam Sarmata, qui deceptis cuſtodibus fugam arripuerat, Konigſmarchus accepit, cuncta accurate diſponit ad eos reprimendos; maxime verò frequentioribus machinis ſtationibuſque firmat vallum, quà per apertam planitiem, utpote equitatu pollentes, irrupturos arbitrabatur. Ejus opinionem ſagaci conſilio Iſmail fefellit. Ad eam partem equites ſolùm impulit, qui hoſtem facta impreſſione concitatoque, quantùm poſſent, tumultu in ſe ſe averterent; pedites ex aſperrimo, qui caſtris imminebat, colle, & quà nullum patère iter videbatur, trifariam partitos demiſit. Humilis ibi, ut in tutiſſimo loco agger, infrequen-

1686.

Præſidiarii erumpunt.

At repelluntur.

Iſmail Venetos aggreditur arte ac ſtrenuitate.

Venetorum periculum.

1686. tiorque miles, una tantum Illyriorum legio. Hanc Thraces ſtrenue adorti, tranſgreſſique vallum turbant urgentque, nec ita multò poſt in fugam conjiciunt. Pulſos excipiunt Melitenſes, Romanæque cohortes, quæ in proximo dari ſibi certaminis ſignum, opperiebantur. Inſtaurata fronte novum prælium exoritur haud impari primùm fortuna, mox ad Barbaros inclinata; inſtabant enim majore copiarum mole. Ad ſuorum diſcrimen Konigſmarchus, extenuatis ubique ſtationibus, cum valida militum manu in tempore accurrit; ſubdit recentes feſſis. Ubi verò atrocius adeſt periculum, ipſe inter primos ordines cuneum inducit, arte manuque ſtrenuus. Strato plumbea glande, cui inſidebat, equo, in alium inſiluit; & quà voce, quà ferro firmat reſtituitque pugnam. Res diu ancipiti Marte geſta; dubiam tandem incertamque victoriam eadem ars, quæ ſuperiori prælio, Venetis conciliavit. Maurocenus enim accepto ſigno: ſuos ingenti periculo dimicare: omne confeſtim nauticum nomen præter vinctos, e claſſe in terram expoſitum, ductare ipſe cœpit, magno ad certamen greſſu, majoribus incedens animis. Quod ut Iſmaili nunciatum, veritus ne ſupervenientes copiæ momentum Venetis ad victoriam adderent, cani receptui juſſit; caſtraque ordine ac ſenſim egreſſus, in adverſum collem, quà deſcenderat, agmen erigit; ratus hoſtes loci iniquitate detentos, ſudore ac pugna debilitatos, non ſucceſſuros, ſibique interim daturos ſpatium temporis, quo cir-

Illud Konigſmarchus expedit, & quomodo.

Maurocenus nautarum agmen in prælium ducit.

Iſmail in collem ſuos recipit.

circumferret per notas valles equitatum in progreſ- 1686.
ſam a litore manum, invaderetque faciliori aditu a tergo vallum. Hæc conſilia Konigſmarchus turbavit; qui ad auxiliares, Illyrioſque, objectos hactenus Turcarum furori, multaque cæde irritatos converſus: ſatis ne vobis, inquit, repuliſſe hoſtem? nec animus eſt, vindictam quæſituris, actutum perdere? Qui veſtrûm primo conflictu ceſſere, fidem faciant vi, non metu ceſſiſſe; qui magnis conatibus reſtitere, partum decus nova cumulent gloria. Ite alacres, & quam inchoaſtis, victoriam abſoluite. Acuitur virtus difficultate, nec quidquam arduum volenti. Intulere illico ſigna, tantuſque cœpit animos ardor, ut prope currerent. Turcæ, quorum audaciam attoniti mirabantur, ſtrenuitatem veriti; protinus, ne ad manus venirent, ſe retulere. Et equites peditum exemplum ſequuti, nulla interpoſita mora in penitiorem provinciam vertunt equos. Cruentam utrique parti pugnam fuiſſe, quamquam ſunt qui Venetis negent, nemo ambiget, ſi & tribus pugnatam horis, & varia fortuna, & obſtinatis animis ſecum ipſe reputare velit. Turcarum cladem Naupliæ deditio excepit, metu non vi ſubactæ. Nam tametſi vallum jam ad foſſam productum foret, & prima cuniculis mœnia ſuſpendi cœpta; diu tamen durare oppidum potuiſſet, valido adhuc præſidio, rupis aſperitate, triplici munitione tutum. Et Iſmail repulſus, haudquaquam fractus, abjerat. Verùm Muſtaphus prætor cum Aſſano fratre, qui & ipſe ſu-

Konigſmarchus ſuos hortatur ut in collem ſe erigát

Dicto parent.

Turcæ audaciam mirati prorſus recedunt.

Nauplia deditur

Quare, & quibus conditionibus.

 pre-

Digitized by Google

1686. premum Peloponneſi imperium obtinuerat, ſibi potius & ingentibus, quas collegerat, opibus, quàm reipublicæ conſulendum exiſtimarunt. Itaque miſſis, qui de tradendæ urbis conditionibus agerent, cum Mauroceno conveniunt, ut quicquid ibi Turcarum eſſet (plus quatuor millibus fuere, in his mille ducenti armati) cum omni re domeſtica in Tenedum inſulam deduceretur, ipſi Venetias. Ubi paucos moratos menſes impium ſuos colendi ritus deſiderium ad Marochi regem ire ſuaſit; ſecuram illic, quippe ob locorum diſtantiam Aulæ Byzantinæ ignotos; commodam divitiarum affluentia; ignobilem otio vitam tracturos. In urbe proximaque ſcopuli arce octo ſupra ſexaginta æneæ machinæ inventæ, in portu duæ quinqueremes. Stetit Venetis nobile facinus minori quàm exiſtimari potuiſſet & vulgari ſanguine; ſed pretium auxit eques Alexander Alcenagus, dum foſſam inter primos ſubiret, telo interemptus; vir clari apud ſuos nominis militari prudentia & rerum in eo bello geſtarum fama. Plures morbus abſumpſit, & aliquos illuſtri genere. Nauplia in poteſtatem redacta, Maurocenus claſſem longarum navium conſcendit, circumegitque, ſi fortè navalis pugnæ occaſionem, eamdemque in ea fortunam nanciſceretur. Cùm autem contrarii venti mare prohiberent, non ita multò poſt Naupliæ portum rurſus tenuit. Ibi enim hjemare conſtituerat, in Turcas intentus, qui in ipſa Peloponneſo locum hibernis ceperant; nautica ſimul tur-

Prætor cum fratre primum Venetias, deinde ad Marochi regem pergit.

Quanti Venetis facinus ſteterit.

Maurocenus claſſem educit.

A Venetis navigare prohibitus in portum redit.

turba ad inſtaurandum expediendumque ruinis oppidum abuſurus. Eò deinde claſſem quoque majorum navium reduxit, haud ærumnis intactam, Venerius prætor. Nam cùm in Tenedum Nauplienſes novem iiſdem navibus traduxiſſet, redeuntem oppreſſit apud Lesbon inſulam Turcica totidem navium, pluriumque triremium claſſis. Dum illæ imparibus quamquam viribus ſe ad prælium comparant, concidit ventus, tantaque extemplo malacia & tranquillitas extitit, ut immobiles inutileſque ad pugnam torperent. Contra Barbari ſuas remulco circumagentes, e majorum latere, ac triremium proris atrociter in adverſas ejaculati ſunt, multa armamentorum ac mortalium ſtrage. Nox certamen, claſſes ventus, qui opportune ſpirare cœpit, in diverſa diremit. Bellum hoc anno in Dalmatia memorabile nihil habuit præter ſævas utrinque populationes, & Singum, fruſtra ſuperiori anno tentatum, a Venetis in ditionem acceptum. Illuc Eques Hjeronymus Cornelius prætor ingentem adduxerat provincialium manum, & paucas e præſidiis collectas legionarias cohortes, unam præſertim latronum, qui diu per Neapolitanum regnum graſſati, ea conditione ut Venetorum militiæ nomen darent, abire immunes permiſſi fuerant. Horum ſtrenuitate oppidum prope corona captum. Adeo ex una eademque indole magna vitia, magnæque virtutes; tantùm intereſt, quò illam flectas. Longe majora per hanc ipſam æſtatem Sarmatæ portendère; nec omen

for-

1686.

Et illuc Venerius ſuas naves adducit.

Ejus claſſis cum Turcica congreditur, ubi, & quo eventu.

Cornelius in Dalmatia Singum capit.

Latronum cohors præcipuas in eo ſubigendo partes egit.

1686. forſitan fefelliſſet, niſi conſilio peccatum foret. Duo

Poloniæ Rex quamobrem Turcicũ bellũ urget. Rex majoribus, quàm antea curis, agitabat animo; primum ne ſua ſeneſceret gloria, jam non diſſimulanter a procerum potentiſſimis invidia atque æmulatione conflictata; alterum, ut Jacobo filio nuptiarum ſplendore, magniſque inde clientelis ad regnum viam ſterneret. Utrumque ab uno Turcico pugnando bello paratum iri conſpicabatur. Hinc enim amplior faciliorque adipiſcendæ laudis materies; ſpes ſimul & ratio conjungendæ cum Auſtriaca Domo neceſſitudinis, unde filio decus ac vires ad paternum obtinendum Imperium augeret. Jam quoque Regina Maria Caſimira ſtudium remiſerat aliò ipſum, ſibi penitus blanditiis devinctum, avocandi; comperto demum, ex una ſolùm Neoburgica ſobole connubium filio, genere illuſtre, potens Sarmaticis clientelis peti poſſe. Nam Luſitani regis filiæ, quam exoptaverat, ſpe deciderat; & puellam e Galliis adducendam, ut Bethuniæ Marchio ſagaciter admonebat, averſabatur. Quippe illam, ſi e regio ſanguine, gravem ſibi natalibus longe clarioribus futuram metuebat; Et, ſi pari ſecum nobilitate, invidebat eamdem, quam ipſa, felicitatem ac decus conſequuturæ. Hærebat quoque muljebri in corde vulnus, quòd, cùm Ludovicum regem de patre inter Gallicos purpuratos cooptando poſtulaſſet, tacite repulſam tulerat. Itaque Joannes rex, cùm nihil ingenitum ſibi adverſus Turcas odium retardaret, alacriter in bellum ferebatur.

Regina quoque ſtimulos addente.

Ad conciliandas filio Neoburgicas nuptias.

Quas e Gallia peti nollet, & quare.

Pri-

Primum ejus ſtudium, ſuperiorum expeditionum impedimenta fugere comparando militari apparatu commeatibuſque. Ad quæ cùm publica prompta deeſſet pecunia, de ſuo centies mille Hungaricos aureos commodavit. Deinde ingenti omnium plauſu Moſchos ad Turcicum bellum ſibi ſocios adjungere aggreſſus eſt. Manebant Sarmatis cum ea gente duodecennales induciæ, quæ anno poſt mille ſexcentos quarto & quinquageſimo initæ, identidem peracta periodo inſtaurabantur. Interea Moſcho parebant duæ in ipſorum finibus validæ civitates, & cognominis tractus capita, Smolenſchum & Kiovia; illud armis ſubactum; altera ſibi a Coſaccis, qui eam ſuperaverant, tradita. Fuere olim Ruſſorum Dynaſtarum ſedes. Seculo poſtmodum reparatæ Salutis decimo quinto a Lithuanis, Poloniſque in ſuam ditionem traductæ haud ſemel finitimis belli cauſam præbuere, modò captæ, modò receptæ; quoad paulo ante conſtitutas inducias in Moſchorum denique poteſtatem conceſſerant. Hoc prætio inter utrumque populum pax conciliata, ictumque fœdus adversùs Thraces. Conventum quippe cum Joanne, & Petro magnis Moſcoviæ Ducibus, ut illæ cum omni circùm regione iiſdem adſcripta jure bono ad Moſchum Imperium accederent. Ipſi contra quædam alibi non magni momenti loca Polonis remitterent, Ad quadringenties mille Hungaricorum aureorum in Sarmaticum ærarium traducerent, Bello e ſociali fœdere Turcas Scythaſque perſequeren-

1686.

Rex commeatus exercitui ære ſuo parat.

Moſchos ſecum fœdere jungi adnititur.

Moſchorum cum Sarmatis diſſidiorum origo.

Quomodo ſæpius illæ compoſitæ, & quo ſtatu nunc eſſent.

Smolenſcum & Kiovia quomodo primùm in Polonorum poteſtatē venerint, deinde in Moſchorum.

Sarmatarū cum Moſchis fœderis icti conditiones.

1686. rentur. Dum ad iſtud magnifico, ut fama ferebat, apparatu ſe comparant, & Rex accipiendis Reipublicæ auctoritate perpetuæ pacis conditionibus Senatum vocat, æſtas abiit. Solus proinde in rem incubuit, quam ſibi hoc anno agendam propoſuerat. Conſtituerat autem, exercitu in Moldaviam inducto, aut Regulum ad ſuam voluntatem, aut provinciam in poteſtatem adducere. Illinc in Beſſarabiam progrediens, Scytharum ſæviſſimas in Polonos injurias ulciſci; atque Arpi celebri ad Naparis oſtium urbe in ditionem redacta, imminere ponto Euxino; Byzantioque unà cum Moſchis, per Boryſthenem fluvium Tauricamque Cherſoneſum proximo vere deſcenſuris, excidium inferre aut minitari. Ei Cæſar, & Pontifex maximus Kamęnecum recuperandum, ſuaque prius repetenda, quàm inhiandum alienis, in memoriam redegerant; veriti funeſtam, ut antea, Sarmatis; inutilem Fœderatis Scythicam expeditionem. Sed objiciebat Rex: Sarmatas campeſtribus vigere pugnis, equitatu pollentes; pedeſtris prope imperitos militiæ; cujus in oppugnandis urbibus præcipua ſit opera. Itaque exeunte Junio Sniatinum, inter Naparim Poratamque amnes oppidum, cum Sarmatarum exercitu ſe contulit, quò & Lithuanis ad conveniendum edixerat. Ubi ex itinere propiùs Kamænecum fuit, tria equitum millia mœnibus obequitare juſſit, fidem facturus: ſe conſilio, non metu illinc digredi. Immiſſa ad decertandum Scytharum ala, poſt levem pugnam Sarmatæ re-

Serò firmatæ.

Idcirco Rex bellum hoc anno, nihil Moſchis adjuvantibus, gerit.

Quam expeditionem ſibi propoſuit, & quo conſilio.

Cur Camænecum non tentaverit.

In Scythas expeditionem ſuſcipit.

Equitum manum jubet circa Camęnecum excurrere.

Turcarum agmini occurrunt, multoſque trucidant.

receſſere. Redeuntibus occurrit Turcarum agmen præda, quam longiùs collegerant, impeditum. Armis petitum facilè fugant, mille contrucidatis. Rex eventu & omine lætus, cùm Lithuanorum copias accepiſſet, Jaſſium Moldaviæ Reguli ſedem, ſuperato Porata amne, advenit. Præmiſerat, qui Regulo, ſi ſecum arma ſociare vellet, amicitiam tutelamque polliceretur. Ille cauſatus, obligatam Turcis obſide filio fidem ſe deſerere, niſi ejus periculo, haudquaquam poſſe; cum omni argento pretioſaque veſte diſceſſerat ad Noradinum Scytharum Regulum; ejuſque exemplo, quicunque ibi fortunis aut natalibus clarior, ſe ſe in montes abdiderat. Rex pacato agmine urbem ingreſſus, cives ſacramento obſtrinxit Poloniæ regno, in cujus olim parte Moldavia recenſebatur; relictoque ibi valido præſidio, ne nimiùm ſe crederet ipſorum fidei, iter progreditur. Ubi ad provinciæ fines perventum eſt, vocatos circum ſe majores duces, his paucis eſt alloquutus. Scythis inferimus bellum, infeſtiſque ſignis ingredimur Beſſarabiam, jam tandem ab infeſtiſſimis latronibus tot acceptarum injuriarum pœnas repetituri. Si adversùs quos arma feramus, ſubjerit animum cogitatio, nulla certior victoria eſt. Quippe gens fugaciſſima non audebit in conſpectum ſe dare noſtrorum militum, nedum virtutem periclitari. Si adversùs quæ loca; aggredimur facinus non leve quidem nec explicatum. Aſperum iter, æſtuoſum cœlum, tellus nihil præter pabulum ar-

1686.

Sarmatæ Iaſſium tenent Moldaviæ caput.

Regulus diſceſſerat, & quid cauſatus.

Nobiliores quoque Cives cum ſplēdidiori re domeſtica.

Iaſſenſes ſacramento Regi ſe obſtringunt.

Beſſarabiam Rex ingreſſurus Præfectos militię alloquitur.

1686. mentis ferens; & cùm omnia ad vitæ uſum è convecto petenda ſint, neceſſaria hinc rerum inopia. Rara in itinere oppida, feſſos urbanis commoditatibus recreatura. Siquidem iſthic mobili plerumque ſede vagantur populi. Hæc tamen, ſæva quamvis duriſſimaque, una ad vincendum ſatis eſt vincendi voluntas; quam puto vobis non defuturam, ſi quot inde patriæ obventura ſint bona, nobiſcum animo complectamur. Primùm, fractis diriſſimorum hoſtium viribus injectoque metu, Sarmatiam populationibus occludemus; nobis viciſſim Thraciam aperiemus. Arpis modò, nobile emporium, noſtra erit; deinceps, ni fallat omen, Byzantium; relataque undique præda, auctique aucto Imperio tributis, urbes noſtras, tot nunc exhauſtas populationibus, manubiis invicem divitiiſque recreabimus. Nec parvi æſtimanda voluptas, quam parit mollitus, incuſſo viciſſim damno, acceptæ dolor calamitatis. Tot igitur tantiſque commodis comparandis dare quidpiam laboris ſolertiæque ne grave ſit. Quàm longe acerbiora venando experti ſumus? Corpora ſæpius levi ſomno ciboque refecta, laſſata per montes ſaltuſque arduis itineribus, ulta calore aut gelu. Et a quibus nos una præſtat invictos fallendi capiendique feras voluptas; gloriæ, ſecuritatis, opum cupiditas non præſtabit? non hæc mihi virtutis veſtræ, meæque gentis opinio eſt. Verùm quia multùm intereſt: inopinatò, an conſultò malis occurras; præoccupavi dicendo animos veſtros, vt vos meis monitis,

ve-

veſtris adhortationibus milites obfirmati, horribilius eorumdem malorum telum, quod eſt improvisò ſe offerre, caveatis. His dictis accenſi duces militeſque, alacres animo ire pergunt. Naparis, longiori quamvis itinere, ripas legunt, ut inde aquari poſſent. Scythæ Noradino duce cum aliquot Turcarum legionibus modico ab hoſtibus intervallo proſequebantur; ut neque illos timore vacuos intactoſque progredi ſinerent, nec ſeſe in univerſi certaminis aleam committerent. Sed hàc illac circumcurſantes carpebant agmen, palatos intercipiebant. Suis tamen concluſi ordinibus, cætera negligentes, Sarmatæ procedebant. Quod ubi Noradinus, & in mediam jam penetraſſe provinciam, vidit; ignem, quà iis iter faciendum erat, adultis herbis nondum falce depreſſis injici jubet; eæque multo jam Sole torridæ longe lateque flammam propagarunt. Primùm ea res Sarmatis ludibrio eſſe, ratis, non ubique per montes & valles immenſamque planitiem pabulum jumentis abſumptum iri. At cùm brevi jam longius petendum eſſet; & digredi ab Napari exercitum, aquarum alibi inopia non pateretur; turmæ verò, quæ identidem mittebantur, exceptæ hoſtium inſidiis nunquam ſine cæde regrederentur; id Regi curam injecit, ne tanta equorum jactura (equis enim cuncti merebant) ſi fame conſumerentur, ingens ſibi clades inſtaret. Itaque pedem, mutàto conſilio dimiſſaque expeditione, referre ſtatuit; ſpe ſimul: poſſe hoſtem, qui veſtigiis hærebat, aut re-

1686.

Sarmatarum itineris ratio, & norma.

Scythæ illos proſequūtur infeſtàtque.

Ignem herbis injiciunt.

Magnum hinc Sarmatis incommodum, & querelæ.

Itaque pedem referunt.

1686. pente, aut vel invitum ad pugnam elici, priuſquam recederet, conſuleretque ſibi loco aut munimentis. At nuſquam incautum reperit. Cognito enim, Sarmatas vertiſſe agmen, rectàque ad ſe progredi; ſtratis arboribus, quæ ibi viam inumbrabant, obſepſit iter, & ſe contexit. Quin & aliquot machinis, nulla tamen cæde, utpote imperite libratis, eos ab ſe longius impellere nitebatur. Rex non tenue illud impedimentum, ſed moram veritus, quæ temporis ſpatium daret ad regionem, qua rediturus erat, flammis depopulandam; parum circumducto exercitu, viam præcepit, levioribuſque tentatus quotidie præliis uſque ad Poratam amnem, Jaſſium repetit. Ibi ad reficiendas legiones paucos moratus dies, abductoque ex arce præſidio, urbem ex longinquitate & exiguis munimentis minime idoneam, quam retineret, deſerit; cùm præſertim nova per hos ipſos dies ærumna vetuſtum Moldavorum in Polonos odium exaſperaſſet. Coſacci enim prædam inhiantes; cùm ſibi ad diripiendum palam oppidum data civibus a Rege fides impedimento eſſet; clam injecto cum ardentibus ſagittis igne Templis ac domibus, plurimam per incendium ac tumultum abripuerant. Hac illi perciti provocatique injuria, Scythas in abeuntes Sarmatas occultis nuntiis accerſunt; ductoſque breviori circuitu per notos calles, iis quà e ſuperiori loco quà ex inſidiis objiciunt, afficiuntque magnis incommodis & plurium nece, quos fame laſſeſcentes equi ab reliquo agmine retardabant. Exercitus tamen

Scythę certamen fugiunt.

Sarmatę Jaſſium perveniunt.

Coſacci eam urbē flammis infeſtant, prędę intenti.

Moldavi Scythas adverſus Polonos accerſunt, immittuntque.

Non ſine iſtorum clade.

men, tot quamvis moleſtiis conflictatus, iter impavide proſequebatur. Soczovam prætergreſſus, aſperrimis ſucceſſerat montibus, unde per difficiles ſaltus ad Poratam amnem, quem iterum trajecturus erat, aditus aperiebatur. Dum caſtra locat, poſtridie in eas anguſtias ſe demiſſurus; nuntius ad Regem affertur, alam ſex millium Scytharum per devia itinera, incolis nota, circumductam, ulteriores fauces eo conſilio præoccupaſſe, ut cùm illuc ſe ſe hoſtium agmen inſinuaſſet, a tergo a fronte concluſum objiceret armis & magnæ cædi. Rex, cùm inacceſſa contemplaretur juga, nuntio diffidere. Miſſo tamen qui rem exploraret; ubi cognovit, vera eſſe, quæ renunciata fuerant, exhorruit periculo vix non obito. Simul verò certior factus, Scythas, ut in loco non ſuſpecto (quippe ratos, ſe clam hoſtibus eò progreſſos) negligenter ſe gerere; confeſtim ſupremum regni quæſtorem cum ſeptem millibus equitum ad ipſos ſilenti agmine ire jubet, atque ita moderari gradum ut dubia adhuc luce, cùm gravior corpora ſomnus occupat, pervenirent. E ſententia res accidit. Sopitos aggrediuntur, inermes opprimunt, territos tumultu fugatoſque diſſipant, illata ſexcentis nece, quadringentis captis, cum mille ducentis infrænatis equis. Plures propinquus Hjeraſus amnis, quem fugiendo intrarant, abſumpſit. Reliqui, hàc illac in profundas valles diſperſi, periculo ſe ſubduxerunt. Ab hac cæde Sarmatæ nullis amplius moleſtiis divexati, ſaltum, Poratam, Naparim tranſgre-

1686.

Scythæ Sarmatis inſidiantur, ubi, & quomodo.

Detectæ inſidiæ eluduntur.

Qua ratione.

Scytharũ cædes.

Poloni tot afflicti ærumnis domum regrediuntur atque in hiberna diſcedunt.

1686. ſgrediuntur, atque in hiberna, tot ærumnis haud parum imminuti diſcedunt. Rex Javorovam petiit, æger animo ex iniqua ſuſceptæ expeditionis fama; quippe cujus prævidiſſet difficultates, nec par viſus fuiſſet ad præcavendas ſuperandaſve. Splendidum quoque facinus, ut prius invidiæ, cùm adhuc in ſpe, ita nunc irritum, ludibrio erat. Javorovæ, quò convenire juſſerat, habito Senatu, pactas cum magnis Ruſſiæ Ducibus pacis fœderiſque conditiones ex ejus auctoritate ratas habuit. Enimvero illos Turcæ, ut ab hoc ſanciendo fœdere diſſuaderent, ingenti curaverant ſtudio. Sed rejecti ob vetus inter utramque gentem odium, inclinatamque modò illorum fortunam; quam impellere, eò Moſchis jucundiùs erat, quò diu gravem experti fuerant. Id ubi ſolemnibus cæremoniis confirmatum fuiſſe, nuntius Byzantium affertur; inceſſit omnium animos timor, ne, cùm ad reliquam procellam dirus hic turbo accederet, de Turcico Imperio actum foret. Hinc ex dolore liberę de Mehemete rege querelę agitari cœptæ primò inter plebem; mox in aula, inipſoque purpuratorum collegio; eòque pervenerunt, ut, ad avertendam iram Numinis, de Fœdifrago in ordinem cogendo fuerit cogitatum. At proceribus viſum, ejuſmodi maximo rerum motu Imperii molem, quæ vacillabat, impulſum iri potius quàm confirmatum; ut, dum affecta valetudine languet corpus, a validioribus temperandum remediis eſt, ne nimia virtute quicquid reliquum eſt virium opprimant. Seditioſa

Rex Javorovam petit æger animo ob improſperam expeditionem.

Ibi fœdus cum Moſchis Senatus Conſulto firmat.

Turcæ illud impedire conati fuerãt, ſed fruſtra.

Magnus hinc Turcarum metus.

Querelę in Mehemetem Regem.

De illius exauthoratione cogitatum.

Cur non decreta.

ditioſa dicta Regem non latuere. Veritus autem concitatam juſto dolore multitudinem, iracundiam compreſſit; ſimulanſque, ejus conſilia, monita, voluntatem pro norma ſe habiturum, avocare ſtuduit irritatos animos ab tumultu. Non tamen ita, ut omnium obſtruerentur ora. Nam pluribus adhuc muſſitantibus, celebris inter eos hypocrita in divinæ Sapientiæ quod fuit olim Templo, nunc prophanis ſacris addicto, dum Rex ab Mehemete pacem ac veniam oraret, e ſuggeſtu his illum affari verbis auſus eſt. Fruſtra Dei opem imploras, Imperator, iners ipſe ac deſidioſus. Comitatur illa hominum ſtrenuitatem, non fovet ignaviam. Exemplo ſint Majores tui, quibus ingens perpetuaque affulſit, legiones præeuntibus conſilio ac virtute. Te fugit in umbra & otio confidentem; quem niſi una venatio virum proderet, inter fœminas recenſeremus. Non his profecto artibus in hanc magnitudinem coaluit Othomanorum Imperium. Crevit adhibito a Majoribus tuis ad rem bellicam ſtudio; corruit data modò a te ſcortis ganeiſque opera. In hæc ærarium effundis, armorum oblitus; utque unus gaudeas, cuncti gemunt. Audi, quid per me tibi Mehemetes obnuntiat. Stabit ſecta, & Imperium noſtrum, ſed diverſis moribus Principe; quos vel ipſe induas, vel alius in ſolium ferat. Ad inſolitam audaciam Rex obmutuit, demiſſiſque oculis veluti ſi tactus Numine, tacitus in Aulam regreditur, anxius ne claſſicum ille ſeditionis ceciniſſet. Poſtridie advo-

1686.

Mehemetes obſequi ſuorum volútati ſimulat.

Ab quodam hypocrita palam ac libere objurgatur, quibus verbis, & ubi.

Rex hypocritæ dictis conſternatur.

1686.

Vocat Purpuratorum Conſilium, eique, ſe populo ſatisfacturũ, ſpondet.

Ad inſtaurandã rem bellicam neceſſaria proponit.

Quicquid in ſe eſt, iſthuc daturũ promittit.

pecuniæ cogendæ rationes expêdit.

A Delubrũ & Hypocritarum patrimoniis tributum dari conſtituit.

Muphtius modeſte reſiſtit.

vocato purpuratorum Conſilio, ſe populi voluntati obſequentem nihil jam præter arma cogitare dixit, & vere primo ad bellum iturum; prius tamen inſtaurandos exercitus, omnique apparatu ornandos inſtruendoſque; ne ſe præſente majeſtas Imperii diſcrimen adeat. Jubere proinde, exquiſito delectu conſcribi milites, curari pecuniam. Quòd ad ſe attinet, ſanctius ærarium in belli uſus aperturum; gemmas, Principum decus, dignitatis ornamenta, venales exhibiturum; commeatum daturum venaticæ turbæ, & iis præterea, qui ad relaxandum regalibus curis animum operam ſibi navent; eorumque ſtipendia militibus adſcripturum. Hæc tamen belli voraginem haud poſſe implere. Cùm a novis tributis abſtinendum ſit, tot jam impoſitis; in animo ſibi eſſe ad voluntariam liberalitatem populos invitare; ſed prævidere, conſumptis, ut ajunt, patrimoniis, pauca inde collectum iri. Quò mentem igitur appellendam eſſe? Eò videlicet, ubi cunctæ propemodum Imperii opes coaluerunt; & ubi in terram defoſſæ, aut in deſidioſos religionum cultores diſtributæ augent incubantium arrogantiam, inertiæ favent. Eas tot inquinatorum ſodalium conſeſſus, vitiorum ſentinæ, avaritiæ deſidiæque domicilia, tot ſuperſtitioſæ pecuniæ gurgites in lucem reſtituant, reddant legitimis uſibus; nec amplius fraudata republica vertant in alimenta luxuriæ laborum ſolertiæque præmium. Perculit prophanæ ſuperſtitionis Antiſtitem Regis dictum. Ipſi tamen, celato vulnere, leniter

1686.

niter in memoriam redegit: ſacra adhuc Othomanicis Regibus fuiſſe ejus Ordinis patrimonia; nec eſſe, cur iis modò violandis cumularet ſibi Mehemetis iram. Cui ille, acerbe ſubridens: macte, inquit, hac tua pietate. Pridem haud impium exiſtimaſti, ſolutis induciis ſuadere bellum; pium modò reputas belli nervos incidere, ſubtracta pecunia. Utrinque reum te prodis; & pœna utrumque delictum ſequi debet. Tu depoſito magiſtratu in Chium inſulam exulatum abi. Vulpeculæ tuæ effoſſis male partis theſauris comprimant aſtutos animos; nec amplius inſidiantes Imperio noſtro, tandem aliquem ſibi ſtatuant obloquendi, irritandi, minitandique modum.

Mehemetes illum objurgat, relegatque in Chium inſulam.

Morem geſſere quamquam inviti; ſed invalidi erant ad reſiſtendum, abſentibus labefactatiſque prætorianis; quorum freti ope adhuc vel ipſi Regi metum incuſſerant. Ita, utriſque debilitatis, magnum ſibi ex ipſa adverſa fortuna conſtituit munimentum ſecuritatis. Adeo nil difficile Principi, ſi tempeſtive. Verùm non in comparanda ſolùm pecunia vertebat rei ſumma. Major erat conſcribendi milites difficultas, maxima reſtituendi militibus animos, tot jam cladibus abjectos profligatoſque. In id Solymanus Viſiriorum princeps ſe dederat omni ſtudio, cunctis militari ætate aut robore, facere ſtipendia, juſſis; curabatque, excurſionibus levibuſque præliis excitatas, ponere legiones metum, atque hoſti aſſueſcere; muniendis inſtruendiſque urbibus ſpem retinendæ Hungariæ ferociter oſtentare. Hujuſmodi ob-

Tributa exiguntur ab Effendiis impotentibus ad reſiſtendũ, & quare.

Conſcribendis militibus Viſirius dat operam.

Eos bello aſſueſcit.

Munit Hungariæ oppida.

1686. obtentu veniam ab Rege obtinuerat Albæ græcæ hibernandi, re vera ſibi timuerat ab Aulæ inſidiis, ubi rarò infortunium culpa vacare creditur. Quamquam delatoribus obviam ierat, accepto a majoribus minoribuſque militiæ præfectis, conſignato literis, teſtimonio: nihil ſe vel providi Imperatoris, vel ſtrenui ducis, vel fortiſſimi quoque militis, quo Budæ caſum prohiberet, prætermiſiſſe. Nihilo tamen ſecius, cùm Numine impellente ruere Imperium videret; nec iis, quæ modò eſſent, viribus ſuſtineri poſſe; ad pacem reconciliandam, quæ tot affectum ærumnis, ut feſſa corpora quies, recrearet, conſcio rege animum, curas, operamque admovit. Itaque ad Hermannum Badenſem, bellici Conſilii præſidem, Viennam legatum cum literis miſit, qui renuntiaret: ſi Cæſarem tot miſertum calamitatum, quas bellum parit, hujus tæderet; nullam per Mehemetem regem fore moram, quin æquis conditionibus abſolveretur. Aliquem proinde ſibi legaret, qui de agendi loco, & re conveniret. Viſirii mandata diverſis jam antea conflictatum conſiliis

Alba græca per hyemem commoratur, & quare.

Rei a ſe bene geſtæ in Budæ oppugnatione teſtimonium ad Regem mittit.

Legatum de pace Viennam mittit.

1687. Cæſarem in ſuam partem, vix abſuit, quin inclinarent. Dividebant ejus animum eædem, quæ ſuperioribus annis, ambigendi cauſæ: ingens a Turcico bello ſpes, non impar a Gallis metus. Et accreverant ſperandi metuendique argumenta. Nam & Buda capta, & tot clades alia ſuper aliam Turcis illatæ, & iis terror inditus adeo, ut nuſquam veſtigio hærerent, ad eos penitus conterendos incitamento erant.

Cæſar an ad pacē ſtatuendam adjiceret animum, ambiguus; & quæ hinc inde rationes

Ur-

1687.

Pontifex max. & Veneti bellū gerendum dicunt.

Urgebant Pontifex maximus, Venetique, prudenter rati: nihil ad perpetuam victoriam adhuc geſtum, niſi penitus debellatum foret. Siquidem potenti inimico aut multum detrahas, quo ei, ſi rurſus invadat, obniti poſſis; aut nihil, ne extimules ad repetendum, uſuraſque velit. Inſtigabat etiam commune Chriſtianæ gentis deſiderium, non ſine querelis conſpecturæ, tamdiu expectatam ac tandem acceptam perdendi immaniſſimi hoſtis occaſionem negligi.

Uniuſcujuſque Chriſtianæ gentis ſimile deſiderium.

Ex altera parte Cæſar quorumdam procerum ſententiis obruebatur, qui, Turcico empti auro, renovandis induciis operam ſuam commodabant. Nam Viſirius hoc etiam ariete Viennenſem aulam ſuſceperat concutiendam; trecentis hungaricorum aureorum millibus per Tranſilvanos legatos, in quos potentiorum licuiſſet, diſperſis. Non unus ea infamia apud vulgus hominum laborabat. Quamquam habita quæſtione nihil reorum inventum; ſagaciter contecto crimine, quod non ſine magno rerum motu puniri poſſet.

Plures Viennæ Turcico auro emti pacem Cæſari ſuadent.

Aliqua tamen iis favebant, quæ rectam hujuſce conſilii ſpeciem exhiberent; bellicos apparatus expedientibus in Alſatia Gallis, pluribuſque per hyemem legionibus eò traductis.

Suadendi verò non vana erant argumenta.

Etenim Ludovico Regi Chriſtianiſſimo haud obſcuris indiciis injecta ſuſpicio fuerat, ingentem in ſe a Germanis aliiſque concitari procellam. Quam niſi in eos ipſe commovere antevertiſſet, damnum Galliæ cumulaturam arbitrabatur.

Ludovicus Galliæ Rex de Germanorum in ſe bello ſuſpicatur.

Superiori æſtate Auguſtæ Vindelicorum fœdere ſe conjunxerant Leopoldus Cæſar, duo

Digitized by Google

1687. Caroli Hiſpaniarum, Svecorumque Reges, Octoviri Miſnienſis, Palatinus, Bojoarius cum omnibus Saxonicæ regnatricis familiæ, aliiſque Regulis ad ſuperiorem, ut vocant, Rhenum incolentibus. Ineundæ ſocietatis auctor ſtructorque fuerat Wilhelmus Octovir Palatinus, negotium Gallis, ſua nimiùm contradicendi obnitendique libertate irritatis, ne ſibi faceſſerent, exhibiturus. Reliquos conjunxerat, ut fama tenuit, ſtudium repetendi, cùm primùm poſſent, a Ludovico rege Argentoratum, Luxemburgum, & quicquid ei Metenſe ac Friburgenſe Forum adjudicaverat. Quamquam ſinguli obtendiſſent mutuam, quibus inerant, Circulorum tutelam. In Circulos enim, unumquemque plures complexum Principes, Germania dividitur. Interea quoad maturum foret, Turcico obdureſcere bello Germanos milites, Gallos pace militiam dediſcere atque emolliri. Rex turbulenta in ſe agitari conſilia, ex intempeſtivo fœdere ſuſpicatus, nihil tamen præter querelas movit, adverſa tum temporis ex tumore tentatus valetudine, nec ſatis certus an ille Calvinianus ſuæ gentis turbo penitus conquieviſſet. Secto deinde per hyemem tumore, ſanitatem receperat tanto ſuorum populorum gaudio, quantus ex ejus periculo dolor fuerat. Ubique data ab iis plurima ſigna geſtientis animi; ſed illud præter cætera illuſtre; dum ad agendas in majori Templo ad aram Deiparę gratias bonorum omnium auctori Deo Pariſios progreſſus, non magnifica ſolùm pompa, regali-

Quæ ſuſpicandi cauſæ.

Fœderis inter plures Germaniæ Principes Octovir Palatinus auctor.

Quæ ejus conjũgendi in ſpeciem cauſæ; quę revera.

Galliæ rex otiũ quęrit, & quare.

A morbo cõvaleſcit immenſo ſuorum gaudio.

Ejus data ſigna & qualia.

lique convivio ab urbano magiſtratu exceptus ; ſed adeo omnium ordinum, perpetuo plauſu ejus nomen acclamantium, effuſa e portis multitudine, in viiſque conſtipata circumſeſſus fuit, ut ſæpius rheda, cùm præ turba non pateret iter, ſubſiſtere cogeretur. Qua ſingularis amoris ſignificatione illum mirificè affectum tradunt, ejuſque diei celebritatem omni triumpho ſplendidiorem exiſtimaſſe. Quàm verò id ſibi jucundum accideret, palam feciſſe ; cùm, dimiſſis ſtipatoribus, integrum diem populo ſe credidit; ratus, civium benevolentia nullum tutiorem Principis cuſtodem eſſe. Igitur poſtquam convaluit, expertuſque intellexit, in tanta ſuæ erga ſe gentis charitate nihil ſibi ab inteſtinis ſeditionibus timendum eſſe; ad rerum externarum curam penitus adjecit animum. Ac primùm de Auguſtano fœdere, quod retinendis vixdum initis vicennalibus induciis ſupervacaneum videbatur, Cæſarem ſciſcitatus; cùm ſuſpicio, in ſe illic conjuratum fuiſſe, haudquaquam eximeretur, bellum moliri cœpit. Id ubi Innocentio patuit, nihil niſi Turcarum perniciem meditanti, doluit fœdus ictum, ut ajebat, inopportune, & inſectandis Barbaris nociturum; anniſus autem, officiis ſedare turbatos animos, Ludovicum monuit: ſi de violandis induciis dubitaret; de pace, cum qua illæ commutarentur, agitari poſſe. Dictum ille verbo tenus accepit, ſpopond itque, ſe, ſi iiſdem, quibus induciæ, pactionibus pax coaleſceret, a quietis conſiliis non diſceſſurum, dummodo ante Kalen-

1687.

Præſertim Pariſiis.

Magna cum regis lætitia, ejuſque ab ipſo data argumenta.

De Auguſtano fœdere Cæſarem interrogat.

Bellum molitur.

Innoc. illum placare ſtudet, ne a Turcico bello Cæſar ſe avertat.

Conditiones perpetuæ pacis cum Cæſare proponit.

das

1687. das Apriles in id conventum foret. Re Cæſari ab Cardinale Bonviſio, Innocentii juſſu, renuntiata; ille mirari primùm: Pontificem maximum, uni intentum barbarico bello, reliqua haud penſi facere. Queri deinde, ea peti, quibus vix ad viginti annos, nec ſine ingenti difficultate, & ſpe, diffidia æquis interea conditionibus diſſolutum iri, Germania acquieverit. Subjicere: fruſtra ſe compellari, cujus minor, quàm tot aliorum Principum res agatur; nec tempus, tanti argumenti negotio ſermonibus emolliendo ſuppetere; proindeque immenſo Chriſtianæ reipublicæ damno ſe illuc adigi, ut nequeat, pacem aut bellum cum Turcis facere; Gallico tumultu ab Hungaria legiones avocaturo, ne bellum urgere poſſit; daturoque iis animos, ut tolerabili lege paciſci nolint. Demum dicère: ſi Rex iſthuc ſolùm referat mentem, ut certò pactæ maneant induciæ, ſe dare fidem, manſuras; et fidem ipſi, maximoque Pontifici publicis etiam teſtimoniis obligaturum. Satis id Regi viſum, fatuſque: ſe non eum eſſe, qui cupiat vel alienis incommodis augeri; otium tenuit. Cæſar hoc vacuus metu, impulſuſque a Sarmatis, Venetiſque; quorum, ut fœdere cavebatur: quid communi conſilio de concilianda cum Turcis pace decernendum foret: ſententiam rogaverat, in bellum cum ipſis propendit, juſſitque reſcribi Viſirii literis: pacem ſe, fœderatoſque haud abnuere, ſi pace ad priſtinos redeant dominos quæcumque vi olim erepta atque uſurpata fuerint. Nam pax injuriarum fi-

A quo rependiatę.

Ejuſque reſponſũ & querelę.

Qui dat fidem de retinendis per viginti conſtitutos annos induc iis.

Ex fide contentus Ludov. Rex quieſcit.

Cęſar urgere Turcas bello ſtatuit.

Niſi graves conſtabiliendę pacis accipiant conditiones, & quas propoſuerit.

Digitized by Google

finis; nec ceſſare injurias manente damno. Tehelium inſuper, flabellum ſeditionis, ſibi tradendum eſſe. Quippe hujuſmodi ingenia, ni caute cuſtodiantur, veluti feras beſtias, labem perniciemque aut inferre, aut machinari. Rejectis conditionibus, pacis nondum maturæ abruptus ſermo, atque omne utriuſque partis ſtudium ad arma converſum. Tehelius hyeme nondum exacta ad Agriam, annona laborantem, reficiendam commeatu cum valida Turcarum, ſuorumque manu progreſſus, Germanorum globum Heuslero Inſtructore exercitus duce obviam habuit. Vix autem commiſſa pugna fugam arripuit, quadringentis deſideratis, leviter & ipſe telo ictus. Illinc flexo itinere ad Segedunum, ſpe ejus, aliquot Hungarorum, quos antea corruperat, proditione recipiendi; cùm ſpes, detentis proditoribus, fefelliſſet, Temiſuarium rediit. At per reliquam ſuperiorem Pannoniam longe graviora molitus eſt. Clam literas ad clientes, amicoſque miſerat, cohortatus ne Hungaricos ponerent animos, plenos in Germanicum nomen odii; amoris in patrias leges, ſuæque gentis decus ac libertatem. Eos ad primos adverſæ fortunæ ictus abjicere, non ignavi inertiſque ſolùm eſſe, ſed ignorantis humanos caſus, Martemque variabilem. Viciſſe quidem adhuc Germanos; ſed prope vincendo fractos, tot copiis amiſſis, exhauſtoque ærario; nec ignorari, quàm ægre inſtaurent vires utrinque debilitatas. Ad reliqua incommoda mox iis Gallicum tumultum ac-

1687.

A quibus viciſſim rejectæ.

Tehelius Agriā Commeatus adducere conatur.

Fugatur.

Segedunum petit ſpe, proditione illud obtinendi.

Sed ſpe deluſus.

Conjurationem ſtruit in ſuperiori Pannonia.

Quibus rationibus clientes adhortatur.

ceſ-

1687. ceſſurum; quo vehementius impulſos quis credat eos ſtare amplius veſtigio poſſe? Contra: Othomanicum Imperium ſua mole adeo conſiſtere, ut omni uſquedum hoſtium conatu concuſſum, vix tantulum, ſi advertant mentem, loco ceſſerit. Teſtimonio eſſe ingentem pecuniam brevi nunc temporis intervallo coacervatam, ingentes copias extemplo conſcriptas, ornatas, adductas. Auderent proinde ſe duce, ac meminiſſent: pro patria mutare fidem non modò honeſtum, ſed pium; non modò utile, ſed jucundum. Sibi nunc largiùs ſubminiſtrari a Turcis milites, pecuniamque; quippe, qui tandem perceperint, ad retinendam Hungariam præcipuum in popularium animis ac robore momentum eſſe. His fretum, certam ſe ſibi victoriam portendere, ſi paullum ipſi adniti velint. Nec quærere ut palam apertoque tumultu, priuſquam in tuto res ſit, adnitantur; ſed ut, facta conjuratione, occultis inter ſe literis unum aliquem diem, atque horam conſtituant, quibus diſperſos per hoſpitia, ſolutoſque metu Germanos milites opprimant; ſimulque armati ſtationes circumſtent, vim obnitentibus illaturi. Quod facilè; cùm ex nimia ſecuritate infrequentes negligenteſque per oppida hibernent nullo inteſtino metu, & procul ab hoſtibus. Se interim cum valido exercitu, quantùm propiùs licuerit, per ſilentium admoto, præſtò futurum, ac memorabile per omnem temporis memoriam facinus ope ſua completurum. Tehelii conſilium mirum eſt, quàm

Præſcribit, quomodo conflata in Cæſarem conjuratione, gerenda ipſis res ſit.

Opem promittit.

avi-

avide ab Hungaris acceptum fuerit; quàm facilè diligenterque explicatum. Et jam, ut in actum erumperet, prope erat; cùm Antonius Carrafa, qui ſupremum per ea loca gerebat imperium, a pluribus præſidiorum præfectis monitus: oppidanos per id temporis frequentiùs quàm conſueverint, veluti ad domeſtica negotia inter ſe convenire, in proximaque diſcurrere oppida, quidpiam e gentis indole ſuſpicatus, hàc illac circumcurſantes detineri juſſit. Adhibitis quæſtionibus tormentiſque, literæ ac mandata, conjurationis teſtes, prolata; ingenſque inventa hominum multitudo, quæ patrando ſceleri nomen dederat. Cautiores fuga ad Tehelium ſe ſubduxerunt. Plures tamen in neruum correpti curam auxere Cæſari; verito, populares non minus, ut antea, illectum iri ad ſeditionem, ſi multo litaret ſanguine; ac ſi abſtineret. Simul anxio, quid ſe hujuſmodi gente faceret, quam nec benignitate nec metu obligare ſibi adhuc quiviſſet. Viſum e re præſenti, quidpiam nocentiorum lictori tradere; reliquos, in carcere aſſervatos, timore ac ſpe ſuſpendere, ne quid interea clientes cognatique moverent, ipſorum vicem ſoliciti. Dum tanti in ea Hungariæ parte fierent ad ſeditionem motus; ipſum quoque regni caput Buda inſidiis petita diſcrimen adiit. Finchius erat nobilis adoleſcens ducali in Boruſſia natus, Salmiæ legionis ſubcenturio, ſtrenui famam, re nonnunquam fortiter geſta, apud majores duces adeptus. Huic e Budenſi præda captiva obtigerat adul-

1687.

Quomodo detecta conjuratio.

Quæſtiones habitæ.

Rei conjurationis deteguntur.

Alii fugiunt, alii capiuntur.

Cæſar quid ageret, anceps.

Paucos necari jubet, reliquos aſſervari; idque quo conſilio.

Buda proditione in diſcrimen venit.

Unde ortum.

1687. adulta virgo; cujus brevi illecebris captus, prædа ipſe manſerat; idque adeo, ut renuenti inceſtos amores ſtabilis conjugii, & ſecum ad Turcas abiturum, fidem dederit. Quærenda erat crimini gratia & præmium, ne ibi vulgaris inopſque transfuga diverſaretur. Et illa: utroque afflues, inquit; ſi, dum certa nocte ad aliquod propugnaculum cum imperio excubabis, meum de prodenda urbe conſilium capies. Enimvero honeſta æque arduaque Amor contemnit. Amanti obſequutus, extemplo animum ad rem nefariam difficilemque admovit. Literas ad Albæ regalis prætorem miſit, quæ illam proponerent, munus paciſcerentur. Erant Germanice ſcripta, ignota prætori lingua. Itaque vocato, qui eas interpretaretur; haud remotis arbitris, cùm nihil arcani allaturas crederet, recitantur. Fortè, humiliori intentus operi, quidam Germanus captivus aderat in cubili. Is a prætore neglectus (ut non ſemel rerum maximarum exiles cauſæ) perfidiam occulto cum aliquot ſociis ſermone deteſtatus, deploravit regiæ urbis caſum, tanto dudum Chriſtianorum ſanguine a Turcis redemptæ, mox levi negotio in ipſorum ditionem redituræ. Hæc lamentantem inter paucos unus audierat ſagittarius eques Arrabonenſis præſidii; qui Albenſi a prætore paullo poſt, ſoluto pretio, dimiſſus, rem ad Baronem Peterſchium arcis præſidem; hic ad Cæſarem detulit. Periculi magnitudo Viennenſem Aulam conſternavit, anxiam ne nuntius imprudenti circuitu illuc præ-

Ejus proditionis ordo deſcribitur.

Quomodo cōſtructum facinus detegitur.

Cæſar ſceleris cōſcius factus, illud prævenire ſtudet.

præmiſſus, ad Budæ præfectum ſerò perveniret. At ipſum rei, ne periret, caute diligenterque gerendæ ſtudium moram Turcis attulerat. Finchio extemplo duum in præſentia, octo in poſterum Hungaricorum aureorum millium factæ ſponſiones; miſſæque Albam græcam Viſirio literæ, oblatam renuntiantes ſpem, roganteſque militum ſupplementum, quo tantum facinus tutò conficeretur. Non enim vel intra mœnia receptis pugnam cum validiſſimo Germanorum præſidio defuturam, quamquam prodito, improvisòque oppreſſo. Et ſummiſſa illico armatorum manus. Sed dum, fallendis hoſtibus, in proxima præſidia dividitur, unde actutum, cùm maturum foret, colligeretur; affuit Baroni Bechio Budenſi præfecto a Cæſare nuntius, qui rem aperuit. Finchius in vincula ductus, faſſuſque Albenſem prætorem a ſe conquiſitum, crimen negavit. Non enim ſibi in animo fuiſſe, urbem in ejus poteſtatem tradere, ſed pactum argentum intercipere, ſimulato ſcelere. Falſi, quia ſilentium tenuerat, redargutus, reum ſe demum dixit, ſed tum potius, cùm ad muliebres illecebras fortem animum, quàm cùm poſtea invalidum, pravaque voluptate captum, ad tantum nefas adjecit. Exorata deinde celeri morte, quòd conſcientiæ cruciatui non ſufficeret, capite pœnas luit. Villicus, qui ejus ferendis epiſtolis navaverat operam, palo infixus. Hoc pacto diſſipatis inſidiis, ad bellum aperto Marte gerendum converſa omnium cura. Adulto jam vere Cæſariani ad

1687.

Cur a Turcis rei peragendæ mora fuerit injecta.

Prodendæ urbis auctor captus.

Crimen fatetur.

Necatur.

1687.

Cæſariani in Hũgaria quo numero, & unde collecti.

duo & quadraginta millia ex hibernis movent. Nam Germaniæ Principes auxiliorum partem ſubduxerant, diverſa in ſpeciem cauſati; re vera, nunquam non ſibi ſuſpectam Cæſaris potentiam, nimiùm creſceret, veriti. Moram educendis legionibus fecerat ſerò conſtituta alendis militibus res frumentaria, primò ob inopiam ærarii; dein tandiu neglecta ab Comite Rabatta ſupremo militarium commeatuum præfecto, quoad nihil de ſuo magiſtratu ſibi fore cum Hermano Badenſi bellici Conſilii præſide, judicatum fuiſſet. Illum enim a ſe aliàs non geſtum iri. Præſentis pecuniæ quidpiam a Pontifice maximo comparatum, traductis in ærarium ducentis quinquaginta ſcutatorum millibus, ea tamen conditione, tunc enimvero vix non præterita, ut centum millia ad inſtauranda Budæ mœnia, purgandaſque munitiones occuparentur. Lis Rabattæ, datis a Cæſare arbitris, adjudicata enitente plurimùm Lotharingio, cui penitus ille obnoxius erat. Et Hermanus ob non ſatis aliquandiu expeditam annonam; quaſi retardare victoriæ curſum Lotharingio voluiſſet; minus commode audiebat. Quin non multò poſt honoris ſpecie ab Aula dimotus, præpoſituſque ampliſſimo totius Germaniæ Ratiſponenſi Conventui, ne gravis amplius, præſidis auctoritate, æmulo foret. Ubi de qua ſuſcipienda expeditione inter majores duces apud Cæſarem actum eſt; cùm variarent ſententiæ; Lotharingio plurimi de hoſte acie invadendo, conſerendaque pugna aſſenſi ſunt. Rei ex hac ſententia peragendæ im-

Annonæ comparandæ tarditas & quare.

Pontif. max. pecuniá Cæſari mittit.

Præcipue ad Budæ munitionem.

Rabattæ ſuprema datur annonæ cura.

Hermanus Badéſis ſpecie honoris ab Aula dimovetur, & quare.

Lotharingii ſententiæ de provocando ad pugnam hoſte ducũ plurimi in Conſilio aſſentiuntur.

1687.

impedimento erat æquatum illi, ut ſuperiori anno, cum Bojoario imperium. Non enim diviſo exercitu confligi poterat; & non uno Imperatore confligere, arduum & impeditum. Huic malo Innocentius curaverat obviam ire, Leopoldum hortatus: Genero ſuaderet ut prius liberis daret operam, quàm ſeſe in belli diſcrimen. At magnanimus Adoleſcens, cùm nihil ſupra rerum gerendarum gloriam famamque nominis haberet, otium renuit. Simul autem moderatus animo ſuo, difficultatem diremit, fatus: ita ſe globi alicujus imperium habiturum, ut Lotharingii, quem ſibi natu & rei militaris peritia majorem præferret, conſilium, ſi diviſis legionibus agendum eſſet; & ſi conjunctis, auctoritatem ſequi vellet. Itaque, dum æſtas inciperet, Carolus, adjectis ſibi ſex Hungarorum millibus, cum dimidia exercitus parte ab dextra Danubii ripa; Bojoarius ab læva cum reliquis copiis viam ad Turcas arripiunt. Longo & laborioſo itinere prope Dravum confluentem perveniunt. Ibi audito, Solymanum Viſirium circa Murſam caſtra locaſſe, conſociatis ſignis ad eum pergunt. Collegerat ille ad ſeptuaginta hominum millia cum machinarum bellicique apparatus ingenti mole. Pontem in eo loco ſupra Dravum paludeſque, ſuperiori anno igne labefactatum, ſumptuoſiùs inſtauraverat; alium adversùs Petri Varadinum jecerat ſupra Danubium eo conſilio, ut ab utraque parte immineret hoſti, poſſetque, hinc Agriam fame jam fere expirantem, illinc inferioris Pannoniæ arces vi-

Sed impedimento erat diviſum copiarum Imperiū inter ipſum, & Bojoarium.

Innoc. clam Bojoarium divertere ob exercitu ſtuduerat, ſed fruſtra.

Hic ſpondet facilè cum Lotharingio ſe cōventurū.

Exercitus ad hoſtem vadit, qua via & ordine.

Murſam petunt. Turcæ quo numero.

Quod ipſorum conſilium.

1687. victu reficere. Ubi ad ſe ire Germanos comperit;

Vallo Viſirius Copias circumdat.

vallo ſub ipſis Murſæ mœnibus excitato, munitoque tormentis, exercitum concludit, lætus adventu hoſtium; a quibus nihil ſibi timendum ob loci naturam munitioneſque; ipſos viciſſim rerum omnium inopia, plurimoque ex occaſione affici a ſe poſſe damno. Nec inde, omnibus circumſeptos, facilè evaſuros arbitrabatur. Regio erat inculta ruſticorum fuga,

Quà Germani procedunt; & itineris difficultates, & quare.

quos aliò frequentes populationes & diuturni incommoda belli, fraudatos agrorum fructu, depulerat. Acceſſerat ad ſtagnantem Dravum incuria deducendi pluvias aquas; unde interjacebant vada, & paluſtre ſolum nulla, aut noxia jumentis pabula exhibebat. Illac Cæſariani, ſuperato prope Siclum amne, pugnæ avidi ad Turcas vadunt. Ubi in conſpectu fuere, & Lotharingius propiùs equo circumvectus vidit, quo mu-

Ubi ad Turcas perveniunt, ab aggrediendis abſtinent & caſtra locant.

nimento contegerentur; rem non temere aggrediendam ratus, caſtra ibi ſuos metari juſſit. Interea utrinque majores machinæ, diverſo tamen ſucceſſu, atrociter jaculabantur.

Machinis petiti nonnihil recedūt.

Nam Turcis patebant e ſuperiori loco hoſtium tentoria, certiſſimoque ictu ſtragem edebant, vix aliquo ſuorum deſiderato. Quamobrem Cæſariani celeriter ſe recipere extra telorum conjectum, & per aliquot dies, educto in apertum exercitu factaque præliandi copia, dummodo æquo Marte, hoſtem laceſſere.

Aciem inſtruunt, ſi hoſtis congredi velit.

Qui recuſat pugnam & quare.

Is cùm intra vallum ſe contineret; illi deterriti iniquitate loci, debilitatique pabuli inopia, remeandi conſilium capiunt.

Illi inopia victi ſe referunt Dravū iterum trajecturi.

Turcæ redeuntium poſtremum carpunt agmen; &, quam-

quam

quam ductum militari ſagacique arte, non ſine cæde progredi, tranareque flumen ſinunt. Eo trajecto, moleſtiis tum demum vacui Mohatium repetunt, ſe ſe invectis Danubio commeatibus recreaturi. Illic octo commorati dies, cùm nullam ſpem eſſe crederent acie cum hoſtibus congrediendi, ſtatuunt Albam regalem ducere infeſta ſigna; prius tamen brevi circuitu Siclum, & quinque Eccleſias oppida exercitum circumducere, deducendis præſidiis, delendiſque munitionibus. Et Siclum Viſirius, oppugnandi cauſa, iter ſuſceperat. Elatus enim proſpero citra Dravum ſucceſſu, in ſpem venerat variaſſe fortunam, miſſiſque proinde ad Regem literis de fugatis Germanis confirmatoque ſuorum militum animo, acceperat, quæcumque vellet atque e republica exiſtimaret, audendi veniam. Itaque certior factus, eos Mohatii, conſilii inopes ac rerum omnium, quid agerent, fluctuare; traducto per Murſæ pontem exercitu cum omni murali apparatu, Siclum ducere aggreditur infeſta ſigna; ſimul obfirmatus animo ſi hoſtis occurreret, collatis manibus acie decernere. At Germani anteverterant. Quod ubi Viſirio patuit, acceleratis die ac nocte itineribus, ad eos contendit; ratus, levibus præliis moleſtiiſque detentos intra paluſtria deſertaque loca, intercluſoſque commeatibus in ultimum diſcrimen adactum iri. Ad Harſchios montes aſſequitur. Quatuor ab iis paſſuum millia, ubi ponè ſylvam lenis aſſurgebat tumulus, caſtra ponit; ſtatimque alam trium millium equitum præmit-

1687.

Turcæ inſequuntur non levi hoſtium damno.

Germani Mohatium repetunt.

Albam regalem ire ſtatuunt.

Sed prius præſidia ab oppidis remotioribus deducere.

Viſirius Siclum petit ad oppugnandum.

De fugatis Germanis gloriatur.

Prius illos aggredi ſtatuit.

Germanos illuc euntes aſſequitur, & quo conſilio.

Ubi caſtra locat.

1687. mittit, quæ Cæſarianis moram faceret. Multo illi adhuc die ſtatuerant tabernacula, ſtationeſque collocaverant. Quamobrem Turcæ vix ſtationarios aggreſſi, in proxima dumeta ſe retulere. Lotharingius viſa Turcarum turma (cùm Scythis plerumque ad excurrendum utantur) non longe abeſſe Viſirium arbitratus; quoſdam e montium jugis ſpeculatos; alios circumcurſando, quidpiam ſibi certi renuntiare juſſit. Comperto, rem non ſecus ſe habere ac repu-taſſet; ipſe, & Bojoarius, convocato conſilio, majorum ducum ſententias perrogarunt. Parvæ negotium erat deliberationis. Quippe Mohatium regredi, turpe ac periculoſum; vanum ac temerarium, hoſtem adoriri, natura tuto conte&ctum loco, numero, & machinis validiorem; ſtultum, morari ubi mox ſibi defuturi eſſent commeatus, hoſti undique affluerent. Siclum itaque progrediendum, ſpernendaſque hoſtiles incurſiones; quibus repellendis ſigna nunquam ſiſtenda; ne ſi crebrò iniretur pugna, duriorem annonam cunctatio faceret. His ita diſpoſitis, prima luce iter capeſſunt. Eo die præibat dextrum cornu Lotharingio duce (nam alternis convenerant honoris cauſa, cùm toto frons agmine explicari non poſſet). Bojoarius proſequebatur, quamquam ſuo die prægrediendum ei foret. Sed, illa rerum conditione, circumagere legiones, non congruebat; inopportunum quoque, tempus terere. Locus erat, ut in intactis aratro campis, quà lætis paſcuis, quà vepribus denſiſque virgultis obſitus; continens ſylva

Præmittit turmas aliquot ad hoſtem laceſſendũ.

LotharingiusTurcarum exercitum omnem adeſſe cõperit.

Ipſe & Bojoarius de re gerenda conſilium convocant.

Statuitur, iter ad Siclum progredi, & quamobrem.

Nec unquam, ſiſtenda ſigna.

Quo irent ordine.

Regio deſcribitur.

va, pratis interius interſecta, latus ad Auſtrum claudebat. Hanc Solymanus, regionis peritiſſimus, clam nocte cum aliquot legionibus occupaverat, juſſis, cùm hoſtis progrederetur, in apertum procedere, telaque e tranſverſo mittere; ſi ingrueret, recedere atque arborum truncis dumetiſque ſe communire. Nec mora ſuſcepto ab Germanis itinere, illi in primum agmen proſiliunt, diſcerpentes jaculis hoſtium latus. Qua re Lotharingius animadverſa aliquot peditum cohortes, equiteſque ſagittarios ex acie eductos, qui pellerent longius hoſtem, tutumque agmini præberent iter, ante ſiniſtrum locat atque inſtruit latus. Non ibi tantùm pugna conſeritur; ſed ala ſimul Turcarum equitum antegreſſa in adverſum ſe ſe erigentibus clivum Germanis obviam fuit. Prælium & illic committitur, leve quidem, Thracibus continuò equos circumagentibus, ſed quod eas legiones occuparet, ne aliò digredi poſſent. Vera interim & atrox pugna adversùs ſecundum agmen inhorruerat. Illuc Turcæ e ſylva prodeuntes magno equitatu irruperant; atque adeo ferociter admittebant equos, ut ad eos propulſandos ſigna conſiſtere opus fuerit. Bojoarius ad primum tumultum accurrerat; ſed manum illico telo ictus, imminuerat ſuis animos, veritis ne lethale accepiſſet vulnus. Quod illi ubi relatum fuit, alacriter ubique legionibus ſe ſe oſtentans exacuit pugnam, obtinuitque, ut collato pede hoſtem propellerent. Et is quidem receſſit ad propinquum nemus. Non tamen diu

1687.

Solymanus viſirius quo ordine ſuos diſponit.

Pugna initur, atque enarratur.

1687. fuit, cùm auctus peditatu, majori ferocitate ac vi rurſus congreditur. Diu & magno Germanorum periculo dimicatum; quippe, qui ſtare juſſi ac ſe ſolùm tueri, ferocem impetum vix ſuſtinebant. Lotharingius enim ad primum prælii nuntium Octoviro in mentem redegerat, quod pridie communi conſenſu e Conſilii ſententia conſtitutum fuerat: caverent a laceſſendo, nec ſe ſe in univerſæ pugnæ diſcrimen darent. Una modò machinarum ope ſe tenuere; quæ in frontem adductæ, frequenter adeo tantaque minuta glande ſunt jaculatæ, ut rurſus hoſtium agmen in ſylvam retruſerint. Patebat tamen citò redituros. Quamobrem Lotharingium monuit Bojoarius: illi ſi prælium inſtaurent, alacriter ſibi totaque acie ſubeundum; non enim aliter a fuga milites contineri poſſe; quibus ea cunctatio infamis eſſet, occultoque metu percuteret animos, hujuſce prudentiæ non ſatis gnaros. Aliam eſſe dicendi in Conſiliis, aliam agendi in acie rationem; & plura in otio decerni, quæ nec belli occaſio nec tempus ferat. Proinde e communi re ducere, magnam adire potius victoriæ ſpem audendo, quàm pigrando ærumnæ diſcrimen. Submitteret igitur quidpiam opis, fideretque ducis, & militum, pugnam poſcentium, alacritati. Ille confeſtim Piccolomineum pro legato cum quatuor equeſtribus legionibus opitulatum miſit, profeſſus: continuis incurſionibus moleſtiiſque ſe divexatum, majoribus copiis extenuari nequaquam poſſe. Cæterùm ageret, inquit, quod in

rem

rem crederet; ſed meminiſſet: in meliori fortuna, 1687.
quali nunc Cæſar gaudeat, cautis conſiliis utendum eſſe. Nunc enim audacter agendo periclitandoque, ſi male res cadat, parta magnis ac diuturnis laboribus momento diſſipari; nec librari æqua lance, perdas ne funditus felicitatem, an quidpiam augeas. Octoviro nondum hæc fuerant renuntiata, cùm tertiò Turcas univerſo prope exercitu e ſylva agmine inſtructo exeuntes vidit. Itaque & ipſe directa acie, locatiſque inter legionum ſpatia majoribus tormentis, obviam proceſſit. Prima utrinque, & ſecunda tela e pyrobaliſtis emiſſa; quo genere pugnæ cùm Turcæ minus valeant, e machiniſque diſcerperentur; ſublato ingenti clamore equites peditesſque intulere ſigna. Par erat animorum ardor, par corporum robur, ac præter Turcarum morem prope par diſciplina. Sed hi numero ſuperabant. Quocirca modò huc modò illuc frequentius, ac veluti facto cuneo ſubibant, cædem & vulnera circumferentes adeo, ut, ubi irruerent, Germanorum acies plurimùm laboraret. Nec ſemel pulſa inclinaſſet, ni Bojoarius conſociatis ſibi aliquot turmis equitum, quibus maxime confidebat, quò vocabat periculum, continuò advolaſſet. Tantus verò ejus erat martialis vigor, tanta militum in eo fiducia, ut quocumque pergeret, fracto hoſtium impetu pugnam reſtitueret. Quæ dum geruntur, ala equitum ſiniſtro Germanorum lateri ſe circumfuderat, & propе erat ut congrederetur. Octoviro ancipiti, quid huic

1687. proceſlæ opponeret, cùm ipſe alibi occuparetur, curam diremit Piccolominei adventus, cui cum ſuis equitibus eam diſſipandam commiſit. Extemplo ille movit, nec Turcę pedem tenuere. At mox, plures ſe eſſe, quàm qui pugnam illaturi venerant, conſpicati; pudore ſimul atque ira incenſi, circumactis fręnis permiſere iterum equos, ducentoſque Commerciæ legionis, quæ longius fugientes fuerat inſequuta, in iiſque Longavillæ Comitem legionis inſtructorem, protinus obtruncarunt; reliquis duplicare gradum coactis. Jam ſuos in aciem direxerat Piccolomineus, qui adventantes impigre exciperent; & novum ibi prælium exoritur. Interea Bojoarius machinas a fronte in latera traduci juſſerat; quæ in hoſtem e tranſverſo laxatæ, integros ordines telis confoſſos dilacerabant. Strata paſſim cadavera, morientium gemitus, tumultuantium clamor, Turcarum denique dejecit animos; qui iiſdem machinis tunc deſtituti, parem inferre cladem haudquaquam poterant. Itaque vacillarunt primò, nec ita multò poſt a Germanis vehementer impulſi, in pedes ſe conjecere. Illi veſtigiis inhærent, quouſque ad ſylvam progreſſi ſe cohibuere, inſidias veriti. Pauci ſpeculatum miſſi, cùm hoſtes illam effuſo curſu tranſiliiſſe attuliſſent; ea potiri, infeſto ſibi nimis loco, viſum eſt. Vix quingentos paſſus proceſſerant, cùm hoſtium caſtra in aperto tumulo conſpexere. Locus erat ab uno latere eadem ſylva, ab altero palude tectus. A fronte

Turcæ tandem pugnam deſerunt fugiuntque.

Germani inſequuntur.

Succedunt Turcarum caſtris.

te erigere vallum inceperant, tormentiſque circummunire. Eò legiones adducere, plenum periculi incertæque aleæ videbatur; cùm præſertim, captivis referentibus, pars exercitus integris adhuc viribus, nec priori defuncta prælio eſſet. Verùm tentoria, utpote in clivo, longe lateque viſa, & ducum plures auro gemmiſque ornati, ab antecurſoribus prope aggerem conſpecti, ingentem prædæ ſpeciem exhibebant, acuebantque milites ad invadendum; palam vociferantes: dari ſibi aſperas præliandi occaſiones, prædandi abripi. Hæ Octoviro gratæ jucundæque voces accidebant, ſponte ſua prono ad gloriam & audaciam. Itaque aggredi caſtra, & militum obſecundare deſiderio ſtatuit. Monitus a majoribus, qui circumſtabant, ducibus, ut prius machinarum ictu diſpergeret oppoſitum vallum; paullum cunctatur, quoad incredibili celeritate adductæ, nullo negotio glebis ceſpitibuſque operæ tumultuario congeſtum decuſſerint. Aciem interea dirigit. In medio peditatum locat, in cornibus alas equitum. Et Turcæ pari modo ſuam direxerant. Primi, & nondum accepto ſigno, ſe ſe equites inferunt. Aliquam fecit moram impeditum valli ruinis iter. Quo, vi adactis equis, ſuperato, ad manus veniunt cum hoſtium turmis; eæque, tanta conterritæ audacia, ad primum telorum conjectum terga vertunt. Janizari, equitum fuga vehementer perculſi, non tamen deſpondent animos; quin illico in quadrum redigentes agmen, hoſti ferociter urgenti impavide

1687.

Horum locus.

Bojoarius instruit aciem.

Vallum invadit.

Turcarū equitatus fugit.

Ianizari acriter ſe tuentur.

1686. de ſe ſe objiciunt. Utrinque pugnatum magnis viribus, majoribus animis; alios irritante deſperatione, alios prædæ cupiditate, cunctos ducum voce atque exemplo. Et niſi equeſtri præſidio Turcæ caruiſſent, dubiam facturi victoriam videbantur.

Sed undique impulſi, tandem in pedes ſe conjiciũt.

Verùm hoſtili equitatu a latere circumventi, incurſu equorum diſſolutis ordinibus inclinarunt. Mox, dum primæ legiones, quæ robur erant exercitus, obnituntur, ſuaque cæde hoſtium impetum remorantur; reliquæ citato curſu fugam arripiunt.

Lotharingius parta jam victoria ſupervenit.

Inter hæc Lotharingius cum dextro cornu advenit. Nam Thracum manus, qua adhuc detentus fuerat, audito caſtrorum periculo ad ſuos receſſerat.

Statuit hoſtem perſequi.

Octoviro gratulatus victoriam, ad eam proſequendam Dunevaldum pro legato cum decem equitum millibus ire confeſtim jubet.

Sed milites ab præda abduci nequeunt.

Sed effuſi per caſtra milites ad prædandum cùm ſerò coaluiſſent, & præter id laſſeſcerent equi; ſaluti fugientibus admodum fuit.

Quãta relata præda.

Prçda; ſepoſitis eneis tormentis octo & ſexaginta, decem pyrolmis, commeatu, bellicoque apparatu, quorum omnis generis ingens copia; magno ipſorum lucro militibus conceſſa. Nam Turcæ haudquaquam opinati, eo die tota ſibi acie dimicandum fore; minus verò caſtra, adeo tuta loci natura, oppugnatum iri; nihil amoverant; ſtabantque nudi infrenatique equi, camelique, expoſita tentoria, jacentia paſſim impedimenta.

Bojoario ditiſſima obtigit.

Octoviro Viſirii tabernaculum obtigit incredibili magnificentia & latitudine (ferunt mille in circuitu paſſus complexum). In ea privata, eaque opulentiſſima,

viri

1687.

viri gaza,& militare ęrarium ad decies centena aureorum millia æſtimatum. Cecidere Turcarum octo millia, octingenti capti cum quatuor provinciarum prætoribus; vulneratorum ingens numerus. Ad quatuor millia partim in fuga interempti, partim Dravo hauſti. Dum enim quiſque tranſgredi pontem nititur, quem commeatus gratia prope Siclum breviori itinere ratibus jecerant; plures accelerante metu moræ impatientes, nando præoccupare viam aggreſſi, vortice abſorpti; plures, qui vagi per ripam tranſeundi tempus præſtolabantur, rupto a ſuis ponte, ne pateret adventantibus hoſtibus, ad unum omnes trucidati ſunt. Chriſtianorum ad mille quingentos necati, quos inter Pluttendorfus pro tribuno Haisleriæ legionis. Major aliquanto multitudo plagis icta, in ipſaque Zinzendorfius Comes, primus Eugenię legionis ſignifer. Hæc eſt nobilis prope Mohatium pugna, læta obito prius ingenti periculo, præſenti ſucceſſu, ultione veteris cladis, qua per id fere locorum centum ſexaginta unum ante annos, ut memoravimus, Hungarorum exercitus cum Ludovico rege paludibus hauſto, a Solymano Turcarum Principe propemodum occidione deletus; apertumque in florentiſſimum tum temporis regnum iter Barbaris. Fortè congredientes exercitus curioſiùs inſpecturus Carolus poſtremus Mantuanorum Ducum, illuc appulerat, Vienna digreſſus; in idque Harſchios montes aſcenderat. Quæ res militibus ſermones dedit, ludibrioque habita, quaſi in communi periculo

Quanta Turcarum ſtrages.

Quanta Germanorum.

Eodem loco ingẽs relata a Chriſtianis victoria, qua jampridem accepta clades.

1687. culo cavere ſibi voluiſſet. Adeo, ubi publice res agitur, famæ conſulendum, & in omnium oculis aut nihil gerendum, aut virtute commendatum.

Victoriæ nuntius Cæſarē eò magis exhilaravit, quò Hungaria adhuc aperta erat, ſi Turcæ viciſſet.

Victoriæ nuntius miro quodam gaudio Cæſarem perfudit, anxium ne quid ſibi afferret mali nunquam non dubia prælii fortuna; & gnarum: apertis adhuc Budæ aliorumque oppidorum, quæ in ſuam ditionem venerant, mœnibus; ad ea Turcæ ſi illata clade reverterentur, facilè abreptum iri. Itaque poſtquam Lotharingii literis audierat, ipſum, acie dimicaturum, ad hoſtes ire; indixerat ſupplicationes, obieratque ſumma populi frequentia, ſuſpenſi incerta expectatione eventus, & ne iterum atroci periculo reſpublica objiceretur.

Eoque nomine Viennæ ſupplicatum.

Hoc vacuum metu alia, ſed mitior, inceſſit cura de Tranſylvano Regulo; quem Antonius Carrafa paullo poſt renuntiavit, aperte opem ſuam Thracibus deſpondiſſe, & mox allaturum.

Tranſylvaniæ Regulus Turcis auxilium ferre conſtituit.

Clam perpetuò eos juverat fovendis Hungaricis ſeditionibus, ductus ſuo ſuæque gentis in Germanos odio; curaveratque Cæſari fucum facere, non ignaro quid ille ageret, ſed ſimulanti, ne infenſius noceret. Dudum verò per Viſirii literas, quas glorioſe diſperſerat, certior factus: Germanorum exercitum Murſa repulſum cladem accepiſſe, eòque adactum ut brevi commeatus inopia conficiendus eſſet; rem maturandam exiſtimavit, ut Viſirio probaret, datam ipſi fidem e voluntate, non e rerum ſucceſſu perſolviſſe. Itaque delectum habebat, parabat

Maturatque ſubmittere.

ſabat arma, Teheliοque adnitente Hungarorum clientelas in Cæſarem ſolicitabat. Quod ubi norunt a Cæſare Bojoarius, Lotharingiuſque, qui diverſis inter ſe ſermonibus agitabant, quò ad colligendum victoriæ fructum arma inferenda eſſent; extemplo in unam eamdemque ſententiam coiere; ut ſcilicet Lotharingius in Tranſylvaniam iret cum exercitus parte; cum altera Bojoarius trans Dravum, geſturus quicquid ex occaſione ſuaque fide gerendum putaret. Non enim verendum erat, ne Viſirius facta e reliquiis tanti exercitus ingenti manu ad alterutrum aggrediendum viam caperet; occupatis ejus militibus metu, ipſe atroci ſuorum ſeditione. Confeſtim Lotharingius, ne Abaffio ſibi conſulendi ſpatium daret, magnis itineribus ſigna duxit. Accelerando ſtimulum addebat ſtudium citò e ſaltuoſis paluſtribuſque locis evadendi; ubi, vecturæ difficultate, aliquot dies rerum omnium inopia (& panis quoque defecit) exercitum afflictavit non ſine plurimorum pernicie. Decem & octo armatorum millia, ſuperatis invicto robore itineris & commeatus difficultatibus, tenuere provinciæ fines. Ibi capto munitoque Sambloco oppido, caſtra ad reficiendas vires metati ſunt. Inde Baro Hautſcherius legatus ad Abaffium miſſus, qui paucis admoneret: Lotharingium cum exercitu adeſſe, ac percontari: mallet, ſe pacatum an hoſtem excipere. Si primum; daret hibernis locum, præſtaretque, acceptis in urbes præſidiis, amicitiæ atque otii ſecuritatem. Si alterum;

1687.

Lotharingius cum exercitus parte in Tranſylvaniá pergit.

Bojoarius alterá parte trans Dravum ducit.

Lotharingii exercitus in itinere maxima incommoda.

Ad Tranſylvaniæ fines pervenit.

Legatum mittit ad Abaffium, & quibus cum mandatis.

1687. ſciret: potentiores non ſine uſuris abripere quicquid ſibi negatum fuerit. Non amplius in ambiguo eſſe, quid ipſe cum Turcis Tehelioque in Germanos moliretur; ſibi tamen per Cæſarem adhuc licere, ſi velit imperata facere, gratiam reconciliare. Si abnuat, æquo ſimul animo ferat, ſe veterum injuriarum & perfidiæ recentis rationem repoſci. Regulus inopinato Cæſarianorum adventu aſperoque nuntio conſternatus, clam primò ad Viſirium legavit, qui, quanta Turcarum res in Tranſylvaniæ periculo ageretur, renuntiaret, rogaretque opem. Deinde, moram facturus, Thelecium conſiliorum ſuorum participem ac prope moderatorem, aliosque Aulæ nobiliores ire ad Lotharingium juſſit oratum, ut accepto, quantùm ſibi opus foret, commeatu, ab Imperii finibus abſtineret, quouſque Cæſarem per legatos adiret, ſibique cum eo conveniret de conditionibus. Ille verſutiam Hominis aſpernatus, Claudiopolim nobilem urbem legiones adducit. Expedito bellico apparatu, præfectus, qui hactenus renuerat, libere cum ſuis copiis dimiſſus, portas aperuit. Inde Cibinium pergit Reguli ſedem. Advenienti cives obviam effuſi, in ejus arbitratum ſe dedidere. Non enim ab iis Abaffius obtinuerat, ut patriam tutarentur; veritis direptionem excidiumque, ſi impares, ut erant, ad obnitendum, arma caperent. Cibinii exemplum ſequuta Alba Julia, cæteraque nobiliora loca; per quæ milites diffuſi, laute, ingenioque ſuo, diverſabantur; obſtupefactis civi-

Abaffius deterritus ad Viſirium clam mittit opem oratum.

Et Aulæ primores ad Lotharingium oblatum cōmeatus, dummodo a Tranſylvania abſtineat, quoad per legatos Cæſarem conveniat.

Lotharingius exercitum infert, & quas Urbes ceperit.

Germani in Tranſylvania arbitrio ſuo vivunt.

cibus ad tantam labem. Abaffius collectis undique præſidiis Fogaratium in validiſſimam arcem ſe recepit. Ibi compe,rto vacillare Turcicam rem, ſeditionibus impulſam; auditoque, ſuos legatos a Cæſare ad Lotharingium remiſſos, cum eo de componendis rebus agitare cœpit. Diu tergiverſatus, has tandem conditiones accepit. Tranſylvania redeat vetere jure ad Hungariæ regnum. Eam tamen Abaffius, ejuſque deinceps filius Michael natu major, quem jam provincialia Comitia Regulum deſignaverant, ſtipendiariam obtineant. Nobilioribus oppidis Germani præſidio ſint. In hos, & in hiberna reliquis copiis frumentum, ſtipendium, hoſpitium tribuantur. Ab omni reliqua moleſtia ſit immunitas; unicuique facultas manendi, aut abeundi quò velit. Cæterùm Regulo ſuo pareant. Suis legibus, probatiſque lege religionibus vivant. Nam alii Catholicam veritatem, alii Calvini, Lutheri, Soccini ſectam ſequuntur. Tranſylvania pacata, Lotharingius Viennam rediit, dato per ea loca armorum imperio Crojæ Duci, tormentorum præfecto. Illuc & Bojoarius jampridem ſe contulerat, unde paullo poſt Monachium ad res ſuas digreditur. Nam cùm per anni tempus (jam enim & fœdus imbribus inceperat autumnus) nihil memorabile ac ſe dignum tentari poſſe arbitraretur; ſuis legionibus in ſuperiorem Pannoniam, ut cum Cæſare convenerat, ire hjematum juſſis, reliquas Dunevaldo e Lotharingii ſententia moderandas tradidit non ſine gravi

1687.

Abaffius Fogaratium ſe recipit.

Inde cum Lotharingio de conditionibus conciliandæ amicitiæ agit.

In quas convenerit.

Præter Catholicam religionem quæ Sectæ in Tráſylvania.

Lothar: Viennam redit.

Bojoarius Monachium.

Dunevaldus ei in imperio ſuccedit.

Digitized by Google

1687.

Ludovicus Badẽſis injuriam ea in re ſibi fieri arbitratus, ab exercitu diſcedit ſine cõmeatu.

Ludovici Badenſis querela, ſibi alium præferri iniquo ferentis animo. Quocirca magno ſupremi ducis contemptu, quem Lotharingius ſimulando neglexit, ſine commeatu diſceſſit. Dunevaldus tribus auctus Hungarorum millibus Comite Battiano præfecto, relegens adverſo flumine Dravi ripam, quoad æſtuaria tranſitum non impedirent, injecto demum ponte ad Turanitiam, eoque utrinque caſtellis munito, exercitum traduxit. Ibi ab Comite Erdedio pro prætore Croatiæ ſeptem ſuæ gentis millibus in ſupplementum acceptis, quibus poſt Bojoariorum diſceſſum reparari eam militum manum Lotharingius juſſerat, caſtra movit. Animus erat, Petri Varadinum contendere, occupatoque oppido ac ponte, quo illic Turcæ Danubium conjunxerant, eos ab omni cis Tybiſcum oram, quæ tunc modicis præſidiis tenebatur, & ne Agriæ obſidionem diſſolverent, prohibere. Sed Viſirius præcaverat, firmato ſex millibus armatorum trans amnem ponte; & ipſe prope oppidum ſtativa habebat. Quod ubi Dunevaldo innotuit, conſilium ad expediendam ab hoſtibus Sclavoniam vertit, ſuis per ea loca hiberna traditurus. Primùm Bochinum adiit arcem, quæ progreſſuris reditum ad pontem intercepiſſet, quæque vix duos morata dies in ejus poteſtatem venit. Dein Valponem iter continuavit, admotæque muris machinæ ad oppugnandum. Dum, quæ ſunt opus, comparantur; feſtinanter a quodam ruſtico nuntius affertur: ſe modò illac progreſſum Turcas

Dunevaldus Dravum traducit exercitum.

Auctus copiis ad Petri Varadinum ire cogitat pontem ibi occupaturus.

Sed illum Viſirius valido præſidio firmaverat.

Itaque Sclavoniæ oppida petit occupatque.

Turcæ metu abacti Murſa diſcedunt.

vi-

vidiſſe Murſa diſcedentes. Miſſus ſtatim Lodroni Comes cum ala equitum, qui rem perſpiceret. Conſpecto agmine, Barbari gradum accelerant, veriti, mox omnem exercitum affuturum. Incendendi oppidi & commeatus, ut deſtinaverant, ſpatium hic timor ademit. Sex erant Turcarum millia, quos Viſirius re frumentaria bene conſtituta, pecuniaque donatos ad tutanda mœnia confirmaverat. Verùm comperta ſuorum Albæ græcæ ſeditione, deſperatoque ſubſidio, ſi vis inferretur, ceciderant animis; metu conſilium vireſque debilitante. Oppidum ſex quinquageniſque tormentis jam antea, Dunevaldus quinque modò & viginti armatorum centuriis firmatum, Aſpremontio pro legato in tutelam tradidit. Ipſe Valponem regreſſus, præfecto qui adhuc obſtiterat, renuntiato Murſæ caſu, vim non expectandam ſuaſit. Poſegam inde, regionis caput, adducta militum manu, vacuam hoſtibus reperiit. Alia circumire juſſi validiora oppida, cuncta nudata præſidiis obtinuerunt. Nam Turcæ pavore ſtupidi, veluti facta conjuratione, trans Savum amnem conceſſerant, vix in ejus ripà uno aut altero retento munitiori loco; abductiſque ſecum popularium plurimis; igne, quoad licuit, corruperant prædam & commeatum. Quocirca regio, ferax cæteroquin & ampla, alendis per hiberna militibus non ſuffecit. Tantam belli felicitatem cumulavit exeunte autumno Palota arx ſub ipſis prope Albæ regalis mœnibus; quæ ipſam arctius clauſu-

1687.

Qui & quot erãt.

Dunevaldus Murſam tenet, præſidioque firmat.

Poſegam in ditionem accipit.

Turcæ trans Savum ſe referunt paucis ad ripam retentis oppidis.

Palotta Cæſarianis deditur.

1687. ſura erat, ac præſidiariorum excurſiones refrænatura. Majus ineunte hjeme incrementum acceſſit

Agria in deditionem venit.

Agria munitiſſimum oppidum in deditionem accepta; quæ tertium jam annum obſidebatur, & partim militum conſtantia partim eluſis corruptiſque argento cuſtodiis modice identidem victu recreata ſe

Quomodo ad id coacta.

ſubſtentaverat. Præerat illi Ruſtenus prætor, vir egregia fide, conſilio, ſtrenuitate, cum tribus Janizarorum millibus, & quingentis equitibus; tenebatque præſidio tria circum in proximis jugis caſtella Sirepum, Saravaſcum, Zinochum; unde frequentes in circumpoſitam regionem populationes; collectumque populationibus aut pecunia frumentum, & pecorum præda furtim deinde in oppidum

Oppidi momentum.

invehebantur. Magna utriuſque partis in Agria res agebatur; quippe quæ immineret ſuperiori Hungariæ, unde aliis provinciæ recuperandæ, aliis retinendæ ſpes, prout in utrius illa ditionem cederet. Hinc Turcis ingens ſtudium, dataeque non ſine milite, pecuniaque, & dudum vicenis quinis aureorum

Turcarum ſtudium illud retinendi.

millibus Tehelio partes immittendi commeatus, cujus tantùm inopia periclitari poterat (nam ad vim juſto exercitu opus erat); tentataque ſæpius, ſed eo duce irrito conatu, res. Germanos, ne bene

Germanorum occupandi.

hoſtibus ſuccederet, haud impar manebat ſolicitudo. Quæ tamen nonnihil adhuc neglecta ne amplius conſilium falleret, Carrafa legatus initio veris

Auriæ obſidendi arctius quàm adhuc fuerat, negotium datur.

negotium dederat Marchioni Joanni Baptiſtæ Auriæ equeſtris ſuæ legionis pro tribuno ac moderatori, ut

cum

cum ea & quingentis ſagittariis, Hungaris duobus millibus itinera diligentius clauderet, urgeretque obſidionem. Ille primùm circumpoſita caſtella vi cœpit; novum propiùs urbem conſtruxit, unde erumpentibus impenderet; ſata deuſſit; eòque demum præſidiarios adegit, ut conſumptis frugum, carnis omnis generis quadrupedum, herbarumque alimentis, fame victi honeſtis abire conditionibus animum induxerint. Diſceſſere Ruſtenus prætor, & quingenti milites (reliquos inedia, fuga, ferrum abſtulerat) cum civium Turcici generis tribus millibus ac re domeſtica. Reperta decem ſupra centum majora tormenta; mœnia novem caveis ſuffoſſa, in ultimum diſcrimen diruenda. Ita poſt unum & nonaginta annos arx, ſitus opportunitate & munitione celebris, quæ ſæpius fregerat hoſtium vires, in Cæſaris poteſtatem rediit. Idem in Peloponneſo per æſtatem Barbaros inceſſit pavor, viſos ibi quoque animum tamquam fulmine afflatos abjeciſſe. Initio anni magnos extulerant; rati, Venetos gravi peſtilentia oppreſſos facilè profligatum iri. Hanc ex Aſia Naupliam attulerat Gallica navis oneraria, diſperſis in vulgus mercibus ea labe infectis. Principium graſſandi fecit e græci Archiepiſcopi domo, unde repentè in cives militeſque diffuſa, ut in conſtipato ædificiis loco anguſtiſque vicis, ſtragem edebat. Et primò curatio & contactus ægrorum (non enim, ut plerumque ſibi quiſque blanditur, contagioſum rebantur) vulgavit morbum. Hujus deinde me-

1687.

Quid in rem Auria egerit.

Deditur & quibus conditionibus.

Gravis in Peloponneſo peſtilentia.

Unde adducta.

Qua ſtrage graſſaretur.

1687. metu negle&ta omnium cura nocendi vim auxit; cùm nemo vita functos efferret, jacerentque ſtrata domi exanima corpora, quæ tabe tetroque vapore longe lateque virus effunderent. Quapropter egreſſa urbem lues haud parum provinciam peragravit. Ne penitus milites, claſſiarioſque deleret; navibus exceptos Maurocenus illinc abduxit, relicto, quantum ſatis eſſet, præſidio, dataque oppidi præfectura Jacobo Cornelio; quem Corone idcirco evocaverat, ubi curam inſtaurandis mœnibus impendebat. Ægris dubiiſque per Sphagiam Ænuſaſque inſulas diviſis, ne contagione ſerperet malum, claſſem ad Navarinum appulit. Dum illic militum valetudini datur opera; Iſmail prætor legiones aliquot Naupliam improvisò admovit, ſpe, ſe quidpiam, inducta morbo negligentia, profecturum. Fruſtra tentatis mœnibus, Palamidem montem, quem Veneti caſtello munierant, aſcendit. Machinis repulſus, pervagatuſque late regionem, populares igne ferroque divexatos irritavit adeo, ut, verſo in deſperationem metu, facta manu ex inſidiis ſaltibuſque Turcas petitos non ſine cæde abire permiſerint. Inde Patras ſe retulit, eam oram Venetis adhuc intactam tutaturus. Jam ver adoleverat, cùm extincta penitus lue Maurocenus, relictis qui nondum a morbo convaluerant, claſſem Navarino in Leucadem ſolvit; quò auxiliares appulſuras naves, ſpes erat. Hæ autem cùm in Cephaleniam veniſſent, audito Venetam claſſem peſtilentia laborare, ſibi

Illinc Maurocen. claſſe abducit.

In Sphagiam & Ænuſas inſulas.

Iſmail Prætor captata occiſione Nauplię exercitum admovet.

Repulſus regionem populatur.

Ab incolis per inſidias vexatur. Patras ſe refert.

Maurocenus claſſem educit auxiliaribus occurſurus.

Qui metu peſtilentię aliò curſum deflexerant.

ſibi veriti proras verterant. Itaque ſuo tantùm milite ac Reipublicæ viribus rem gerendam conſtituit. 1687.
Octo ei ſolùm erant peditum millia, mille quadringenti equites. Quamquam enim ingens Venetiis Germanici Italique nominis ſupplementum accepiſſet, nimiùm veteres legiones attenuaverat morbus, & plures affecta valetudo retinebat; diſceſſerat quoque Saxonum agmen, cui Octovir, nonniſi ingenti donatus pecunia, militiam ultra condictum biennii tempus prorogare denegaverat; quæ conditio Senatui diſplicuerat, malueratque imminui exercitus quàm ærarii vires, ſeu providere vellet, ne ſemel inducto exemplo cæterorum incenderet cupiditatem. Nam Veneti externo plerumque milite bellum gerunt; prohibito per ſuas provincias, quas tamen frequentiſſimas habent, delectu, ne gens decreſcat, cum eaque Reipublicæ decus, & vectigalia. Quamobrem ſatius ducunt, milites nimiùm magno conducere ab aliquo Germanorum Principum; aut iis tribunis centurionibuſque Italicum nomen cogere, qui (& nonnunquam militiæ inexperti) in id ſe offerunt; ut non ſemel hoc bello accidit. Cum his copiis Maurocenus in oram ſubjectam Patris (diſtat a mari nobile ſed prope immunitum oppidum mille paſſus) vela dedit. Quæ ubi iſthuc directa vidit Iſmail prætor, tumultuariis operibus litus obſepſit, opera ſtationibus communivit. Veneti tentato diſceſſu, curatoque iter ſibi telis aperire; cùm repellerentur, in æſtuarium, quod non longe ſurgebat, in-

Venetorum in claſſe Copiæ quo numero.

Saxones diſceſſerant, & quare.

Veneti plerumque externo milite utuntur.

Maurocenus Patras petit.

Quem in locum, & qua arte deſcendit.

1687. incuſtoditum; utpote natura tutum, proras advertunt. Circa marginem expoſiti milites, citò e vado emergentes, ſtabili ſolo pedem figunt. Vix ſub ſignis ſe compoſuerant; cùm Iſmail certior factus, eos haud procul in terram evadere, alam trecentorum equitum immiſit; opinatus, incompoſitos adhuc & nondum pleno firmatos agmine facilè perculſum iri. Excepti ferociter a Brunſuicenſibus Illyriiſque, qui cornu dexterum conſtituebant, protruduntur. Nihil id tamen ad rei ſummam, quæ in prætoris exercitu vertebatur. Octo & decem erant armatorum millia, ſed plerique ex agreſtium colluvie numerum, non vires augebant. Moleſtiam Venetis faciebat locus, quem prætor ſtativis delegerat. A fronte eadem palus, quæ late protendebatur; a tergo Patræ, edito jacentes tumulo; ad ſiniſtrum latus abruptum per montes iter; ad dexterum, nonniſi remenſo ſtagno, per maris litus. Et commeatui auxiliiſque ex Ætolia per Corinthiacum ſinum patebat via. Ad utraque intercipienda Benedictum Sanutum, Adriatici maris præfectum, cum ſeptem quinqueremibus ingredi ſinum Corinthiacum jubet. Ejus fauces obſtringunt Rhium, Antirhiumque promontoria, relicto paſſuum circiter ſexcentorum ſpatio. Iis caſtella inſident priſca tenuique munitione. Sed machinæ in oſtium intentæ oſtentant periculum ingreſſuris. Has tamen quinqueremes noctu celeriter remis actæ, uno aut altero ſolùm telo confixæ, nullo damno eluſerunt. Interea dum terra ex-

Iſmail equitum turmas in eos immittit.

Quæ propelluntur.

Quo ibi numero, & quo hominum genere Turcarum exercitus.

Quo loco ſtativa poſuerant.

Maurocenus aliquot quinqueremes in Corinthiacum ſinum mittit commeatus prohibituras.

Sinus fauces quibus Caſtellis muniuntur.

Immiſſa ab iis tela quinqueremes eludunt.

exploranrur itinera, Græcus incola Konigſmarchum monet, tutò ſed longo per valles circuitu Patras; indeque hoſtem adiri ex adverſum poſſe. Re animadverſa, legiones illuc ſilentio noctis circumducit. Luce prima, cùm jam in apertum prodeundum erat, viribus quiete & cibo reficiendis aliquod impertit tempus. Deinde adulto ſole progreditur. Turcæ conſpecto longius agmine, in pugnam inſtructi obviam procedunt. Contra Konigſmarchus, primum veritus equorum impetum, ſiſtit aciem, eamque hiſtrice vallari jubet. Nihilo tamen ſecius dextrum cornu, hiſtrice impulſo, quidpiam flexit. Siniſtrum ferociter obſiſtebat. Utrique præpilatæ per tranſverſum trabes, hoſti objectæ, præcipuo munimento erant. Itaque ad eas gladio præcidendas primi Turcarum ordines, jaculorum obliti contendunt operam; & omnes viciſſim ſecundo Venetorum telo conſcinduntur, nemine deinde infeſtum locum ſubire auſo. Pugna tamen miſſilibus deſæviebat, jamque majori ſuorum ſtrage Barbari timere incœperant; cùm alius derepente injectus pavor in fugam eos penitus conſternavit. Maurocenus, ut non ſemel antea felici eventu, mille quingentos nautici nominis in litus expoſuerat, qua parte reſpiciebat hoſtium caſtra, dudum ab iis deſertum, poſtquam compererant, alibi in terram Venetos evaſiſſe. Latiſſima vadebant fronte, ſuique majorem vero ſpeciem exhibebant. Hos Iſmail conſpicatus e tumulo, ubi conſederat prælio moderaturus, confeſtim ad ſuos mittit nuntiatum:

1687.

Konigſmarchus de faciliori Patras itinere monitus, illud tenet.

Turcarum exercitus Venetis obviam procedit.

Pugnatur, & quo ordine ac norma.

Maurocenus claſſiarios in terram exponit.

Turcæ ab iis intercludi veriti fugam arripiunt.

1687. ſeſe a tergo munirent, geminarentque frontem, ne incauti cæderentur. Perculit is nuntius omnium animos dejecitque, metu, ne undique concluſis una tantùm mors ſupereſſet. Itaque poſtremum agmen fuga ſibi conſuluit; & qui in acie pugnabant, ſenſim atque ordine ſe referentes, immiſſo a Venetis ſagit-

Patræ & Rhium a Turcis deſeruntur.

tariorum equitatu Illyriiſque, ferociter proturbati in pedes denique ſe conjiciunt. Eos Patrenſe Rhiique præſidia, improviſo pavore capta, proſequuntur. Partim proximos montes, partim litus, cuncti veluti Numine perculſi, & quaſi facta conſpiratione (cùm tamen ſuorum ducum nemo condixiſſet, nec ab ho-

Qui per iſthmũ a Peloponneſo diſcedant.

Quæ utrinque facta eo prælio cædes, & quæ a Venetis præda relata.

ſtibus impellerentur) in iſthmum gradum accelerant. Periere in ea pugna Turcarum ſeptingenti, Venetorum non ultra centum. Caſtra direpta; captum Imperatorium trium equinarum caudarum vexillum; plurimum ubique bellici apparatus, & cibaria omnis generis inventa. Urgere inditum hoſti terrorem, nec deeſſe occaſioni, Maurocenus & Konigſmarchus ra-

Maurocenus Antirhium claſſem adducit.

Turcæ illud deſerunt incenduntque.

ti; ille Antirhium claſſem adducit; hic iter pedibus Corinthum capit. Antirhium circumſtabant ſex Turcarum millia nuper ex agris collecta. Quæ ubi in ſe proras directas vident, incenſo nitrato pulvere, ejuſque vi disjectis haud parum mœnibus, introrſus

Naupactum Venetis deſeritur.

abeunt. Naupacto deinde, infami piratarum ſedi, claſſis admota, vacuum reperit. Illinc Achaicum

Claſſis aliquot triremibus captis ad iſthmum accedit.

legens litus, quatuordecim biremes prædatur. Ad iſthmum appulſa, eodem fere tempore Konigſmarchum cum omni equitatu expeditiſque copiis obviam

ha-

Digitized by Google

habuit. Dum de Corintho conſulitur, ejuſque oppugnandi vix ſubit impares cogitatio; turba popularium accurrens, oppidum nudatum præſidio, & Iſmailem Turcaſque incompoſitos catervatim iſthmum trajeciſſe, gratulantium in morem nuntiat. Miſſi qui rem inſpicerent; non aliter, ac dictum foret, comperiunt ſe habere, omniaque integra præter quadragenas machinas aut fractas, aut, obſtructo canaliculo ad immittendam flammam, inutiles. Vix renuntiantibus fides habebatur; cùm monſtri ſimile videretur, ſitu & operibus tanti momenti oppidum, nulla cæde, hoſtium arbitrio derelictum. Nam Corinthus ſedet alto abruptoque jugo in iſthmi faucibus, ubi olim Acrocorinthus, veteris Corinthi arx, ſplendidiſſimæ clariſſimæque urbis, antequam Senatus juſſu ab L. Mummio Conſule Romano ob Reipublicæ legatos ſuperbius habitos penitus deleretur. Quæ arx, cùm aperiret in Peloponneſum aditum, tanti per ea tempora ducebatur, ut T. Flaminino Græciæ liberatori Ætoli ejus provinciæ ſervitutem, niſi illinc Romanum præſidium abduceret, exprobarent. Mœnia rupis crepidinem circumducuntur per tria paſſuum millia. Unus ad illa difficiliſque aſcenſus, triplici ſeptus munimento. Accedit ad loci ſecuritatem jugis aqua cùm in puteis, tum e fonte, ſubſtructionibus conſpicuo, erumpens. Ad radices jacet Græcorum ſuburbium; quod deinceps, inutili opere, muro Veneti clauſere. Maurocenus inſperato ſucceſſu lætus, arcem valido præſidio firmat. Deinde auditis

1687.

Konigſmarchus quoque illuc venerat.

Corinthus a Turcis deſerta.

A Venetis occupata.

Deſcribitur. Priſca ejus fortuna.

Provincialiū Legationes ad Maurocenum.

1687. tis provincialium, qui mediterranea incolunt oppida, ſe dedentium legationibus, dataque fide ipſorum tutelam ac felicitatem Reipublicæ curæ fore; Konigſmarchum juſſit, ſibi cum equitatu, magnaque exercitus parte breviſſimo itinere ad Saronici ſinus caput præſtò eſſe, cùm illuc, claſſe Peloponneſum circumvectus, appelleret. Ipſe, reliquis copiis in naves impoſitis, vela dedit. Sinus fauces egreſſus, ſeptemdecim majores naves ſibi junxit; quas, earum præfecto Laurentio Venerio ut ad ſe adduceret, imperaverat. Cùm enim captarum urbium præſidia, & belli incommoda exercitum attenuaſſent, ſupplere illum claſſiario milite, earumque navium robore quinqueremes firmare ad aliquod ſuſcipiendum facinus, e republica exiſtimaverat; cùm præſertim nulla Turcarum claſſis Ægeum navigaret; & in prædandis onerariis, unde Byzantii ad ciendos tumultus ingraveſceret annona, parum proficeret. Quippe quæ vim inſidiaſque eluderent portuum frequentia, ut nuper Rhodi; & undique ad eam levandam Chriſtiani mercatores, quibus in Aſia commercium erat, magno conducti pretio concurrerent. Rebus ita diſpoſitis ad Chelonitem promontorium, Zacintho inſulæ quindecim millium intervallo oppoſitum, anchoras jecit, arcem in eo ſitam occupaturus; quæ ſtatim, incolumi dimiſſo præſidio, in deditionem conceſſit. Progreſſus in Laconicum ſinum prope Eurotæ amnis oſtium conſedit; Miſitræ non longe intra terram poſitæ, ni cederet, deſcenſionem facturum mi-

Qui claſſem conſcendens Peloponneſum circumit.

Venerii naves ſibi jungit.

Chriſtianæ naves commeatus ferùt Byzantium ad levandas annonæ anguſtias.

Maurocenus claſſe ad Chelonitem promõtorium appulſa arcem ibi poſitam a Turcis relictã occupat.

Miſitræ minitatur.

1687.

minitans. Inſidet montis dorſo duo non amplius paſſum millia ab ruinis celeberrimæ Spartæ; retinetque adhuc, quamquam humili ſorte, Laconici tractus principatum.

Quo loco jaceat.

Ad eam oppugnandam ineunte vere ſex Laconum millia proceſſerant duce Nicolao Polano, Zarnatæ propinquæ urbis præfecto; qui ab ſeptuaginta tantùm præſidiariis, dum captum ſuburbium populando pervagantur, ingenti plaga perculſi fugatique fuerant.

Prius fruſtra illam Nicolaus Polanus obſederat.

Nunc oppidi prætor, audita ſuorum ad Patras clade, & Mauroceni adventu, confeſtim miſit, qui, pactus civium libertatem, urbem dederet. Accepta in id fide, traditiſque armis & equis, inter mœnia ſe continere juſſi, quoad certum foret, neutiquam ibi, ut rumor erat, peſtilentiam graſſari.

Nunc deditur, & quibus conditionibus.

Quamquam diu concluſis, multaque perpeſſis incommoda fides ignobili exemplo haudquaquam ſervata.

Fides præſidiis haud ſervata.

Cauſatus enim, illos cum Epidauriis quidpiam contra Rempublicam conjuraſſe; quod ne cogitaſſe quidem ſeu ob locorum diſtantiam, ſeu ob virium tenuitatem exiſtimari poterat; Maurocenus aliquot ſecuri percuti juſſit, prope octingentos ab decimo ſexto ad quinquageſimum annum remo, infra eam ætatem ferme ſexcentos ſervituti addixit; prætori invalidiſque ſenibus centum data ſe redimendi, ſi vellent, venia; fœminas navibus impoſitas aliò traduci & liberas abire placuit. Id ne actum ipſorum odio, qui nimiùm diu reſtiterant; an ſupplendorum remigum cauſa, incertum.

Quid de oppidanis præſidioque actum.

Claſſis ſuperato Maleæ promontorio ſeſe in Epidaurum Limeram,

Claſſis Malvaſiâ pergit.

quam

1687. quam nunc Malvaſiam vocant, circumegit. Id unum oppidum per totam Peloponneſum Turcarum præſidio tenebatur, natura loci tutiſſimum; quippe quod mari cinctum alta conſidet rupe, proximo litori ponte conjuncta. Non alia ejus obtinendi ſpes erat, quàm fatalis ille Turcarum ex hoſtibus terror, ſi fortè in iſtorum quoque civium animos penetraſſet. Quod tamen tantùm abſuit; ut vocati ad deditionem,

Mœnia machinis, pyrolmis tecta verberantur.

miſſilibus reſponſum dederint. Igitur mœnia duodecim majorum navium tormentis, ædes pilis incendiariis verberari cœptæ; Venetis in aliquem caſum intentis, quem aut incendia aut civium tumultus

Ab urbe in naves tela immiſſa.

afferret. Non minus ferociter præſidiarii in ſubeuntes naves jaculabantur.

Quarum una incenditur.

Quarum una Antonii Caratini Genuenſis, viri ſtrenui, a ſulfurato pulvere in ipſa cella, incertum quo caſu, concepto igne momento abſumpta (& timor fuerat ne in tres alias propius vagantes flamma pervaderet) Maurocenum ad-

Maurocenus illinc in Saronicũ ſinum diſceſſit.

monuit, majus claſſi quàm urbi periculum inſtare; ſuaſitque omiſſa verberatione in Saronicum ſinum iter progredi. Ibi in naves acceptis militibus, quos Konigſmarchus adduxerat, de re gerenda conſilium

De re gerenda deliberat, & quæ proponatur.

habuit. Chalcis aliis in mentem venit. Sed argumentum inditi Turcis metus, quo uno proponebatur, Epidaurus refellebat. Nec dubium erat, quin illam Iſmail per pontem, a quo circa Thebas non longe caſtra poſuerat, commeatu ac milite confirmaturus eſſet. Præterquamquod Euboicus ſinus poſt autumnale æquinoctium, quod imminebat, nautis

ſuſ-

ſuſpectus eſt. Exiſtimabant alii Atticam, quæ ex adverſo erat, brevi navigatione petendam, occupandaſque Athenas; non quòd magni in ea momenti rem geſturi eſſent, ſed ne nondum idoneo tempore otiari viderentur. Hæc placuit ſententia, factaque illuc vela. Piræum ingreſſi, expoſitoque exercitu, Athenas petunt. Tenue Græcorum ſuburbium tenet inclytæ nobiliſſimæque olim urbis ſolum; humanæ inſigne monumentum viciſſitudinis, qua tanta illa Templorum, Ædium, Murorum, Navalium magnificentia, de quibus alio in volumine plura ſcripſimus, abiit in fœda miſerrimaque tuguria. Arcis locus, qui utpote in alta rupe Acropolis nuncupabatur, nunc etiam mœnibus & aliqua munitione cingitur, præbetque Turcis ſedem ac domicilium. Integrum ibi, quamquam pluribus ornamentis ſpoliatum, manebat adhuc ſplendidiſſimum Minervæ templum, græcis latiniſque literis celebratum; faciebatque intuentibus, mole atque elegantia, veteris majeſtatis fidem. Diſtat oppidum a Piræo quinque paſſuum millia; ad quem olim inter duo immanis ſubſtructionis murorum brachia iter fuit. Illuc Veneti cùm infeſta admoviſſent ſigna, ſuburbium nulla protectum lorica confeſtim occupant. Arx ſubituris minitabatur. Itaque expeditis machinis, ferreæ pilæ mœnibus incutiuntur; eaque dehiſcunt. Nihil tamen oppidani ad deditionem commovebantur, freti rupis aſperitate & ſpe, Iſmailem ſuppetias daturum. In id quidem militum globum, ſi

1687.

In Atticam navigat.

Expoſitis militibus Athenas petit.

Urbs deſcribitur.

Oppugnatur.

Iſmail ſuppetias venit.

1687. ſi arrideret occaſio, raptim adduxit. Sed Venetorum

Et pedem refert. equitatum in ſe irruere conſpicatus, æque celeriter pedem retulit. Hinc primùm fracti civium animi; mox templi & ſuorum ſtrage penitus dejecti. In eo, ut in munitiori loco, condiderant nitratum pulverem, locaverantque imbellem turbam, ne ſuos lacrymis emolliret. Rupto olla incendiaria lacunari, pulverem flamma corripuit; qui ſtatim ingenti fragore debaccatus, fani parietes, quibus tot ſæculis pepercerat tempus edax, deplorabili ruina illiſit, non ſine ſtrage & biſcentum Mortalium cæde. Itaque cives ad tria millia, in his quingenti armorum potentes, pacti vitam & libertatem, Smirnam, ut conditionibus caverant, deducti ſunt. Oppidum militibus locum præbuit ad hibernandum, Piræus claſſi; unde facilis in Peloponneſum trajectus, ſi quid in eam partem Barbari molirentur. Simul proviſum exercitus valetudini, quæ, illic adhuc ſæviente lue, diſcrimen adiiſſet. Hæc per eam æſtatem in Græcia a Venetis ſtrenue feliciterque geſta. Nec diſpar iiſdem fuit in Dalmatia rerum ſucceſſus. Nam & initio veris in aliquod a Turcis diſcrimen adducti ſunt, & medio autumno nobile & illic unum oppidum cum circumjacente ora in poteſtatem redegere. Atlaglichus Boſniæ prætor habito per Epirum delectu, coactiſque decem armatorum millibus Singum exacta hyeme adortus eſt; ratus eo recuperando, factaque inde feliciorum eventuum ſpe, ſuis ibi auſpiciis bellum gerendi, Pannoniique devitandi periculi veniam

Minervæ priſcū delubrum tormētarii vi pulveris diruitur.

Oppidum deditur & quibus conditionibus.

Ibi & in proximo Piræo Veneti hibernant.

Atlaglicus Boſniæ Prætor Singū oppugnandum petit.

ſi-

ſibi datum iri. Et acuebat virum cupiditas recipiendi amiſſum patrimonium, quod ſibi magnis in eo tractu fundis fuerat conſtitutum. Præerat oppido cum quingentis militibus Antonius Bolanus, rei bellicæ Nicolaus Borrius; qui primò confixos telis hoſtes, dum iſti imperite & centurionum coactu vallum ducunt, plures dies a mœnibus ſubmoverunt. Deinde propugnaculum, quod exterius erat, aggredi auſos collato pede ferociter repulere; facta ducentorum cæde, tribus tantùm ſuorum deſideratis. Interea Cornelius provinciæ præſes ad afferendam opem mille octingentos e vicinis præſidiis, validamque provincialium manum collegerat. Dum non longe diſtaret, ſignum: citò ſe affuturum, majorum tormentorum boatu obſeſſis dedit. Quo audito Atlaglicus, &, quid rei eſſet, comperto, celeri gradu ſe recepit; ob infelicem expeditionem, quæ plus Venetis curæ quàm periculi injecit, juſſus abdicare ſe magiſtratu. Feliciùs Olcinii piratis evenit per id prope tempus temerarium facinus. Cum aliquot biremibus, ab imo ad caput, Adriaticum ſinum permenſi, appulſique Æmoniam Iſtriæ, abducto inde Joanne Baptiſta Barotio cum conjuge, & adulta filia, & civium pluribus, patriam incolumes repetiere. Prædonum audacia exemplo & pudore Senatum perculit. Nunc verò ſatis habuit, diligentiori cuſtodia piraticam impedire. Miſertus autem ærumnoſæ familiæ captivorumque caſum, illam quinque millibus & quingentis Venetorum aureorum, cæteros

1687.

Veneti ſtrenue ſe defendunt.

Cornelius ipſis opitulatū venit.

Turcæ recedunt.

Atlaglicus Prætura pellitur.

Olcinienſes Æmoniæ Prætorem aliosque in ipſa urbe capiunt.

Qui a republica redimuntur.

 tot

1687. tot invicem Turcarum dimiſſis, in libertatem reſtituit. Reliquum æſtatis parandæ inſtruendæque adverſus Neocaſtrum expeditioni a Cornelio conſumptum. Illam jamdiu ſecum animo deſtinaverat. Sed præcipuas Reipublicæ vires, primaſque curas intendente in Peloponneſiacum bellum Senatu, Dalmatiæ prætori non ſuppetebat unde oppidum, ſtrenue cuſtoditum, omnique ornatum re militari, æquo apparatu tentare poſſet. Nunc irritatis Olcinienſium temeritate Senatorum animis, dari ſibi occaſionem exiſtimavit, qua illos ad hanc alteram & propinquiorem & non minus periculoſam piratarum ſedem occupandam evertendamque incenderet. Itaque ad Senatnm ſcripſit, hortatus, ut dum finitimorum, qui bello idonei eſſent, magna pars in Hungariam profecta, nudatam propemodum milite provinciam deſeruiſſent; ſibi quidpiam ſupplementi pecuniæque ſubmitteret, qua trium millium Chriſtianæ religionis militum in Chelmia provincia (hanc modò Herzegovinam dicunt) delectu habito Neocaſtrum, non vana ſpe, ſub Reipublicæ ditionem ſubjungeret. Placuit Senatui prætoris monitum. Pecunia decernitur. Duo millia & quingenti Germani, qui mox in Græciam ſoluturi erant, Dalmatiam petere; Iſtrorum quingenti dare nomina & conſcendere extemplo juſſi. Actum quoque cum Pontifice maximo; ut, cùm auxiliares quinqueremes peſtilentiæ metus ab Peloponneſo deterruiſſet, ſaltem Liburnico bello præſtò eſſent. Annuit ille, miſitque quin-

Cornelius Senatum ad Neocaſtrum oppugnandum ſtimulat.

Decreta oppugnatione Cornelio bellicus apparatus militeſque ſubmittuntur.

Auxiliaris claſſis opem ad facinus affert.

1687.

quinque Romanas, duas ſibi ab Genuenſium Republica commodatas, octo Melitenſes cum mille quingentis peditibus; ſimul trecentis aliis a magno Ætruriæ Duce impetratis. Hi Venetos circa Pharum inſulam aſſequuti, ſociatis animis, quamquam diviſis claſſibus, ne Cornelio, qui ſupremi Veneti Imperatoris nomine deſtituebatur, morem Melitenſis præfectus gerere videretur; in Rhizonicum ſinum vela fecerunt. Sextili exeunte ad lævam oppidi tenuere litus præter quindecim auxiliares, ut dictum eſt, quinqueremes quatuor Venetæ, octo & viginti biremes, duæ bellicæ majores naves, totidem pyrolmophoræ, onerariæ quatuor ſupra octoginta. In his ad octo armatorum millia. Ingens Illyriorum manus cum aliquot turmis equitum, Antonio Zeno duce, pedibus iter fecit; juſſa prius ad Turcarum in ſe animos avertendos, ſuoſque manubiis explendos (quippe quibus hæc prædandi licentia fidei vinculo & ſtipendio eſt) longius vagari. Eſt in Rhizonici ſinus dextro egredientibus litore, prope ipſas fauces leniter aſſurgens, brevis tumulus, cui humiles a lateribus accedunt colles; duo aſperiores a tergo imminent; frons mari alluitur. Ejus dorſum longa quadrangulaque forma occupat Neocaſtrum, circumactis per mille quingentos paſſus firma ſubſtructione mœnibus, nullo aggere ac foſſa, turribus tantùm priſco more interjectis; quarum quæ mare tangunt, validiores. Medium ſecat oppidum pari munitione murus, & alius in arcis ſpeciem ſummum dividit. Huic duo col-

Neocaſtrum appellunt quo navium numero & viribus.

Neocaſtrum deſcribitur.

1687. colles impendent. Alter caſtellum, quatuor munitum propugnaculis, habet; quod Hiſpani octavo & vigeſimo poſt mille quingentos annos, oppido in poteſtatem redacto, ad ejus tutelam conſtruxere. Alter a S. Veneranda nuncupatus nullo protegitur munimento. Caſtri mœnia ſeptem & quinquaginta majores catapultæ, mille quingenti milites tutabantur; quorum ad quingentos Baptiſmo initiatos (deerant enim e ſua gente, in Hungariam profecti) mercede ex Epiro conduxerat prætor, magno vir animo & militari ſcientia. Reliqui cives armis, quippe qui piraticam facerent, aſſueti. Hi deſcendentibus in terram Venetis in ipſo litore ſe ſe objecere. Sed navium tormentis ſubmoti, dedere tranſilientibus locum, acie in primos colles reducta. In hanc primi Auxiliares moverunt agmen, inceptaque dura pugna. Nam Turcæ aliquot per ea loca diſperſas domos ingreſſi, tutò ex iiſdem jaculabantur. Et Veneti patentem ipſorum aciem impellere non audebant collato pede, ne progredientes, a tergo a latere telis exciperentur. At ubi parietes navium catapultis in eas obverſis lacerari cœpti, Turcæ in S. Venerandæ collem inſtructis ordinibus ſe retulere, majori illata quàm accepta cæde. Hanc Venetis acerbiorem fecerunt aliquot alba ſignati Cruce, dum nimis audacter in prælium ruunt, interempti, aut vulneribus debilitati. In eo colle ſubitaria lorica tecti præſidiarii ſeptem dies ſe tenuerunt ingenti hoſtium pernicie; quos telis, mire jaculandi periti, conti-

Quantum ibi Turcarum præſidiū.

Quibus adjecti plures Chriſtiani nominis.

Et Cives bello validi.

Fit deſcenſus.

Turcæ ſe opponunt.

[I]nterius e reci-pere coguntur.

Intra oppidum tandē abiguntur.

tinuò tranſverberabant. Et illinc, admotis bombardis, tandem ejecti, intra mœnia ſe recepere. Veneti ſubeuntes, collocant ibi machinas ad murorum, ædiumque ruinam. Alias cum pyrolmis ad alterum oppidi latus, quod in Catharum vergit, conſtituunt, & illinc ad mœnia vallum producunt. Maritimæ quoque non parcunt fronti, illam perpetuo e navibus telorum impetu dilacerantes. Tantus undique incuſſus terror nihil tamen oppidanorum animos emolliebat; quin interdiu noctuque erumpentes injiciebant operibus moram, dabantque tempus opi afferendæ, quam ſibi non defuturam, ab Huſſaino Boſniæ prætore fidem acceperant. Et is quatuor conſcriptis armatorum millibus in iſtud ſe comparabat. Quod ubi Cornelius, certior ab exploratoribus factus, cognovit; alterum quoque oppidi latus, unde patebat iter in Herzegovinam, quà Turcæ opitulatum progreſſuri erant, obſepire ſtatuit. Miſſæ lembis ad eam litoris partem aliquot Legiones; in his una Melitenſium ſtatim ac pedem in continenti poſuit, ad occupandas ſuburbanas, quæ mœnibus ſubjacebant, ædes inceſſit. Fit illinc oppidanorum impetus; ſtrictis gladiis congrediuntur; ſimul verò ex ipſis mœnibus pyrobaliſtę micabant telis, conficiebantque ſuccedentium agmen; idque ea procella conſternatum in fugam vertit. Nemo hoſtibus ſe ſubduxiſſet, niſi alba ſignati Cruce ante primos ordines congreſſi, nonnihil tergo inhęrentium ferocitatem retudiſſent, quinque ſui Ordinis deſideratis, tredecim ſauciis; gregariorum quinque & viginti morte

Neocaſtri oppugnatio deſcribitur.

mul-

1687. multatis, vulneribus ad ſexaginta. Oppido ab eo quoque latere adversùs externam vim circumvallato, Huſſainus advenit. Anguſta fronte, ut major impreſſio fieret, dirigit ſuas copias; jubetque vallum tranſcendere. Loricam provincialium cohortes armabant, primum Barbarorum incurſum excepturæ, gens negligentia diſciplinæ prope ad ſtatariam pugnam inutilis. Et nunc, dum telis incępta pugna, ſtetit; ubi ad gladios perventum eſt, ignobilem arripuit fugam, inſequentibus Turcis non ſine ſpe: cùm multum jam ſpatii confeciſſent: ad męnia pervadendi. Viam Italicorum agmen intercepit; quod ſtatim ab inito prælio ſe inſtruxerat, moveratque ad opem ſociis ferendam. Nec ita multo poſt Herzegovinienſium, qui Venetis merebant, manus, e biremibus in terram deſiliens, a latere ſupervenit. Ab his, undique tela conjicientibus, Turcæ parumper cohibiti; mox, continuò ſuccedentibus aliis, augeſcentes, non ſine magno hoſtium diſcrimine rurſus inſiliunt. Re animadverſa, Cornelius facto aliquorum globo ſe ſuis in conſpectum dedit; elataque voce: veſter, inquit, adeſt milites Imperator. Non eum, opinor, objectum periculo derelicturi eſtis. Enitimini ſecum; & quid veſtra poſſit virtus, gloriæque amor, coram oſtendite. Ea vox agmini infudit vires, reſtituit pugnam. Nec diu Thraces tenuere pedem; hoſtium pugnandi pertinacia, primorumque ſuorum cæde fœdam in fugam conſternati; trecentis humi relictis, & in hoſtium poteſtate ſeptem militari-

Huſſainus Prætor opitulatum ſuis venit, & pugnam init.

Dalmatæ fugam arripiunt.

Magnum utrinque periculum.

Cornelius ſuos inflammat adverſus hoſtem.

Turcæ repelluntur.

ribus ſignis, aliquot captivis; ſauciis majori numero. 1687.
Venetorum haud exigua clades; nemo tamen ſanguine aut præfectura illuſtris cecidit. Cornelius ab ea re feliciter geſta oppidanos in deditionem vocavit. Cùm nihil proficeret, integrari ab omni parte pilarum ollarumque procellam juſſit. Harum una ad alteram maritimarum turrium delata ſulfureum pulverem, qui illic aſſervabatur, incendit cum aliqua murorum, & magna centum quinquagenumque ſtrage ex imbelli turba; nihil tamen prætoris civiumque ad ſuorum calamitatem inflexis animo ac robore. Inter hæc vergens ad Orientem lorica & turrium altera tormentis decuſſæ per quadragenos paſſus urbem nudaverant. Sed aries altiùs incuſſus, ruderibus mœnium radices contexerat, ne machinarum vi ſuffodi poſſent. Et cuniculis eò penetrandi ob loci naturam operaſque inexpertas vix ulla ſpes aderat. Arduus proinde aſcenſus erat, deſcenſus præceps. Nihilo tamen ſecius Veneti difficultatem virtute audaciaque explicandam rati, aciem inſtruunt ad irrumpendum. Locant in dextro cornu mille ducentos auxiliarium; in lævo totidem mercenariorum; cunctis Marchio Borrius præficitur. Oppidani in proximas domos ſe retulerant; unde pyroſcorpionibus, catapultis ex arce aditu per quaſſata mœnium ſubeuntibus interdicebant. Periculo admonita, ſub ipſis radicibus ſtetit acies. Verùm Borrio Melitenſium agmen ad progrediendum hortante, confeſtim illud, præeuntibus alba ſignatis Cruce, magnanimo inceſſit gradu; & lævum cor-

Oppugnatio procedit.

1687. nu diſcrimen non detrectavit. Superato aſcenſu, ubi ſe hoſtium telis aperuere, fœde proſcindebantur. Diu tamen tenuere locum, oculis metientes, poſſent ne ſaltu ſine certo periculo ſe demittere. Cùm nemo auderet; ſignum, ne ibi diutius lacerarentur, receptui datum. Duodecim inſigni corporis dexteritate milites claſſiario melitenſi duce per prominentia muri ſaxa jam antea in oppidum ſe dejecerant, ſtatuerantque edito loco navale quoddam vexillum, quod ſecum attulerant. Ad cujus conſpectum præſidiarii, qui per aperta viarum & noto itinere in remeantem hoſtem ſeſe effundebant, eò iter flectunt. Et illi abrepto ſigno per eoſdem porrectos lapides ſeſe attollunt. Dum tergo hærent Thraces; primus, qui vexillum geſtabat, cum paucis aliis vix præcipitato curſu neci ſubreptus, ſecum in fugam traxit Baraitenſem legionem, quæ propius mœnia conſtiterat, ignaram quid hoc rei eſſet; tanto reliqui exercitus metu ad illorum fugam trepidantis, ut niſi actutum Cornelius, majoreſque duces ante ſigna ſe contuliſſent, increpitiſque militibus reddidiſſent animos, verendum fuerit ne ingenti clade concuterentur. Stetit ea pugna Venetis quadringentorum vita, nulla propemodum Turcarum cæde. Retinuere tamen turrium alteram ruinis finitimam, quam Borrius dejectis propugnatoribus initio prælii ſubegerat, firmaveratque milite & ſubitario vallo. Pro tanta oppidanorum ferocitate patebat, nonniſi operibus expugnari oppidum poſſe. Quæ cum lente procederent, Cornelius

æſtua-

1687.

Cornelius aliquot naves mittit Olcinium, illic Turcas, ne Neocaſtro auxiliari poſſent, occupaturus.

æſtuabat, veritus appetentem hyemem, ſparſumque rumorem: non diu fore quin obſeſſis prætor Epiri auxiliatum veniret. Huic, ne iter arriperet, occupando, Petrum Duodum cum iis navibus, quæ ſibi ad ſinus Adriatici tutelam datæ fuerant, Olcinium ſimulata oppugnatione invadere; & operibus circa Neocaſtrum accelerandis Comitem Polanum (quem Veneti diſcedentem e Græcia Illyricis pari imperio præfecerant expeditionibus) diligentiùs navare operam juſſit. Is enim de cunctatione minus commode ex affecta jam ætate apud exercitum audiebat. Per hos ipſos dies Cornelio auxit curam infractus Dalmatarum conatus; qui, ſi oppidum ſibi diripiendum permitteretur, facto per ſtrata murorum impetu ſpem dederant ſubigendi. Nam re quamvis obſtinate geſta, cedere tandem oppidanorum ferociæ coacti ſunt. Non ita verò audax illa exulum Neapolitanorum cohors, quam ſociam acceperant ad regendam pugnam. Quippe intrepida ex alto adhuc muri ſupercilio præceps in oppidum ſe dejecit; progreſſaque ad primam domum, quæ cæteris eminebat, ſtabilem in ea fixit pedem, non ſine perpetua civium, illinc jaculis confectorum, cæde. Hi tamen nihilominus animo inexpugnabiles erant; & cùm frequenter erumperent, inirent prælia, vallo inſultarent; ſerò perdomitum iri videbantur. Itaque Imperator ad belli artes jungere conſilium ſtatuit. Agit cum quibuſdam apud ſe merentibus Epirotarum, ut ejuſdem religionis populares ſuos, qui in oppidi præſidio verſabantur, ad

Cornelius Chriſtianos præſidiarios ſolicitat ad defectionem.

 tran-

1687. transfugiendum ſolicitent. Nec vano eventu. Etenim occultis ſermonibus ſubagitati, clam duos ad Cornelium mittunt, qui de conditionibus paciſcerentur. Data fide, congiarium accepturos, & ſi velint, ſtipendia deinceps facturos Reipublicæ; poſtridie cum ducenis quadrageniſque rediere. Nec ita multo poſt cohors alia in maritimam turrim, quæ ſibi ut in ſuſpecto minus loco credita fuerat, Venetos accepit. Id demum, poſt toleratam octo & viginti dierum oppugnationem, vicit oppidanorum pertinaciam, ac de deditione agitari cœptum. Facilè in eas leges conventum, ut prætor & ſeptingenti, qui adhuc ſupererant bello idonei, armati; imbellis turba (mille quingenti erant) incolumis abiret. Unuſquiſque rei familiaris, quantum humeris poſſet, ſecum abduceret. Tanta ubique rerum proſperitas, qua hoc bello Venetis nulla major, Venetias renuntiata, civitatem mirifice exhilaravit. Prius ibi cognitum de Peloponnenſo. Biremis victoriæ nuntia, ornata hoſtium ſpoliis, vixdum longe viſa populum incredibili frequentia in forum accivit. Nuntius turba omnis generis circumfuſus, rogatuſque adventus ſui cauſam, ægre per continens agmen data via, ad Principem ducitur. Is fortè Comitia creandis magiſtratibus in majori Aula tunc habebat. Redditas literas cùm more Majorum, qui, niſi in Senatu, prohibet, non reſignaret; tantus repentè Patrum intus, Plebis extra curiam clamor obortus eſt, impertiri gaudio poſtulantium, ut de Sexvirûm, ſolio aſſidentium, Col-

Nec vano eventu.

Ea re conſternati Neocaſtrenſes deduntur, & quibus conditionibus

Veneti rerum felicitate lætiſſimi.

Quid egerint accepto victoriæ Peloponneſiacæ nuntio.

legii

legii ſententia ea ſolutus lege, publice extemplo recitari juſſerit. Ubi auditum: Turcarum exercitum fuſum fugatumque, Reipublicæ incolumem; Peloponneſum in poteſtatem redactam; integratæ ingenti plauſu geſtientium voces; & ut quiſque non audierat, ab aliis edoctus, animum ſuum lætitiis omnibus occupatum in circumſtantium oculis aperiebat. Diſcurſum inde circa Templa Superûm ad grates agendas; & Dux nulla mora Patribus comitatus in D. Marci deſcendit. Supervenere poſt paucos dies a Dalmatia læti nuntii, qui gaudium, effuſæ jam in plurima exultantis animi ſigna, civitati cumularunt. Ob res utrobique feliciter geſtas ſupplicationes indictæ, celebratæque ab conferta omnium Ordinum multitudine. De præmiis deinde Senatus conſultus, æneam ab imo pectore ſtatuam in Decemvirûm Aula Mauroceno decrevit, addito in epigrafe Peloponneſiaci titulo; novo in ea Republica exemplo, in qua nomine victæ a ſe gentis nemo antea fuerat nobilitatus. Konigſmarcho auctum quatuor ſcutatorum millibus ſtipendium. Cornelius in ampliſſimum Marciorum Curatorum collegium extra ordinem cooptatus. Alia aliis pro merito; ipſis monumentum virtutis, cæteris incitamentum.

1687.

Quæ premia Mauroceno aliiſque data.

Finis Libri Quinti.

Li-

Liber Sextus.

DUm laudibus ubique Germani, & Veneti ob res bene geſtas in cœlum feruntur; Sarmatæ, ac Moſchi adverſo rumore conflagrabant; viſi, nimiùm factam de ſe dudum expectationem feſelliſſe. Hanc, miſſis per hyemem legationibus, quæ grandia pollicerentur, confirmaverant. Tres a magnis Ruſſiæ Ducibus legati Viennam, unus Venetias objere; vacuis tantùm officiis eos Principes, ingenti comitatu ipſorum ærarium pro alimentis onerantes. Ab Sarmata Premiſliæ Epiſcopus fœderatis fidem fecit: nunquam Regem ſeorſum ab iis (qua de re quidpiam in ſuſpicionem venerat) cum Barbaris conventurum. Sed mandata ſimul occulta ad Cæſarem habuit de nuptiis Jacobi filii; ad Pontificem Max: de largiori pecunia, qua poſſet in bellum uti. Adulto jam vere Moſchi cum ducentis popularium, centum Coſacchorum mil-

Moſchi Legati grandia polliciti, & quò ierint.

Sarmata legatus quid Romæ, Viennæ, Venetiis egerit, ac promiſerit.

Moſchorum exercitus quo numero & apparatu adverſus Scythas moverit.

millibus, quadringentis machinis (fama fortaſſe, uti mos eſt de ignotis, rem augente) iter in Tauricam Cherſoneſum Principe Baſilio Gallizino duce aggreſſi ſunt. Scythæ ad tantam in ſe concitatam multitudinem (quam, frequenti hujuſmodi expeditionum exemplo, fame & pabuli inopia diſſipatum iri non dubitabant) impavidi, equitum alam per id tempus in Podoliam, Volimniamque dimiſerant, retuleruntque ingentem captivorum & pecorum prædam, non minori hoſtium damno quàm ignominia. Interim Moſchi ſigna ad Boriſthenem, quà tranſitus in Cherſoneſum erat, admoverant. Scythæ trans flumen quicquid ſuæ gentis, atque armenta contraxerant, corruperantque igne per vaſtas, unde abſceſſerant ſolitudines, non aridas ſolùm in mapalibus, ſed pubeſcentes in agris herbas. Id Moſchis eò graviùs accidit, quò non præviderant. Nihil tamen de ſententia mutarunt, freti commeatibus, quos ſecum ferebant; & equos ordeo ſuſtentari poſſe, quouſque ad amnem progreſſi, latiſſimos inde Cherſoneſi campos ſibi aperirent. Hos enim, ultimum ſuis gregibus ſubſidium, flamma depaviſſe hoſtem, non reputabant. At illuc ubi perventum eſt, Scythas prætexere conſpicati ulteriorem ripam, pontem injici prohibituros, nec ſibi navium copiam ad irruendum ſuppetere, & propter alvei latitudinem emiſſa e ſuis tormentis jacula hoſtem ab adverſa ripa non ſummovere; paucos ibi morati dies, & fruſtra Polonos, qui conſilium & opem ferrent, præſtolati;

1687.

Scythæ nullo ab ipſis metu Sarmatiam depopulantur.

Moſchi Cherſoneſo accedunt. Scythæ trans Boriſthenem ſe referunt. Inceſis cis flumen herbis.

Magno Moſchorũ incommodo.

Qui Boryſthenem tranſire nequeunt & quare. Quocirca redire viam coacti.

1687.

Non modica clade.

lati, viam redire coacti ſunt, ingenti equorum, quos macies abſumpſerat, non modica Mortalium clade; Scythis nocte dieque incurſando laceſſendoque agmen carpentibus.

Cum præſertim veriti ſint, ne a Coſaccis deſererentur.

Cauſam quoque reducendis copiis probabilem præbuit data ſubleſtæ fidei ſuſpicio ab Samuelovitzio Coſaccorum præfecto; cujus e re non erat, acerbiori plaga Scythas contundi, quorum metu quærebant Moſchi ſuæ gentis gratiam, eique leniter dominabantur.

Eorum Dux in vincula conjectus juſſuſque cauſam dicere.

Quocirca repentè ſubductus, juſſuſque e vinculis levare ſuſpicionem, & cauſam dicere.

Irrita Moſchorum expeditio ludibrio habita.

Hæc ſuſcepta glorioſo apparatu Moſchorum expeditio, nulloque negotio ludificata, vulgi ſermonibus ludibrio fuit.

Specimen tamen ab iis datum tantarum virium ſermonem & metum dedit.

Verùm prudentioribus curam injecit: tantam hominum multitudinem, omni armorum genere ac tantis inſtructam machinis, poſſe aliquando, ſi accederet ars & diſciplina (& jam, ut accedant, plurimùm ſtudent) moleſtam finitimis, aliis periculoſam evadere.

Cum præſertim ad bellū facti videantur.

Nam reliqua ipſis ad bellum idonea ſunt: corpora, cœli ac telluris aſperitate, quibuſcumque incommodis; animi (lege ac more) vel duro imperio aſſueti.

Scythæ iterum Sarmatiam vaſtant.

Moſchis intra ſuos fines regreſſis, Scythæ Podoliam Volimniamque diris iterum populationibus divexarunt;

Kamanecum victu & milite firmant.

munitoque ingenti ſuorum manu & magnis commeatibus Kameneco; quid Sarmatæ aggreſſuri eſſent, nullo metu expectabant; quippe quos ſcirent domeſticis diſſidiis, reique publicæ negligentia debilitatos.

Sarmatæ bellum cum Turcis negligunt atque averſantur; regia itidē Domus; & quare.

Nec a vero res abhorrebat. Belli tædium cunctos jam vix non cœperat. Illud & regià Domus averſabatur; ut

ut Regis valetudini infeſtum; bellicis jam prope laboribus imparis; cupidi ſimul ob gloriæ deſiderium; & proceres, ut adhuc inglorium ærumnoſumque; & plebs tributis exhauſta, ut ſumptuoſum. Rex ſolùm ſeu pudore datæ non ſemel fœderatis fidei, ſeu veteri vividoque in Turcas odio, ab armis animum non avocabat. Sed ægre ab Republica exprimens, quæ in id opus erant; dubiuſque, ſeſe ne iterum in improſperæ expeditionis aleam permitteret, an exercitum moderandum relinqueret ſupremo Sarmatarum militum præfecto, quem nollet facinorum plauſu, ſi Mars arrideret, augere conceptam jamdudum ſpem: Regnum ſibi olim delatum iri; ex hujuſmodi fluctuatione remiſſius agebat, traducebatque tempus. Jam æſtas incœperat, nec plus quatuor peditum, duodecim equitum millibus ad ſigna convenerat. Qua ille territus copiarum paucitate, non amplius, quin eas ducendas Lithuanæ, Polonæque militiæ præfectis relinqueret, hæſitavit; ſed ita ut ipſe non longe abeſſet, &, ſiquid fama dignum inciperent, illuc ſtatim Principem Jacobum ſibi legaret, qui patris referret majeſtatem, ac regni æmulo immineret. Aliquam enim proſperi ſucceſſus fecerat ſpem clades per eos dies Kameneci præſidiariis illata ab quinque equitum millium ala; quæ, ſatis vel intra teli conjectum circa oppidum vaſtatis, erumpentes illos ingenti numero non ſine ſexcentorum nece intra mœnia repulerat. Et hac ipſa quidem illecti ſucceſſus proſperitate, ſupremi duces ad illud tentan-

1687.

Rex in illud intentus.

Anceps an exercitum ducat.

Cur nollet aliis ducibus tradere.

Demũ ire ad bellum recuſat, nimis tenui exercitu comparato.

Kamenæci præſidium a Sarmatis perculſum.

Quocirca oppidũ tentare ſtatuunt.

1687. dum adjecerant animos, non æquis viribus, ſed invitante fortuna. Itaque ad fallendos hoſtes ſimulato conſilio, ad Naparim progrediuntur; ponte, ut ſuperioribus annis, ripas conjungunt in ſpeciem trajiciendi; re vera ut ad eam partem Turcas, Scythaſque longius ab Kameneco abducerent. Quod ubi e ſententia factum comperiunt, raptim ad oppidi mœnia flectunt agmen; diſpoſitiſque circum machinis magnam excitant telorum ignitarumque ollarum tempeſtatem, eo conſilio, ut, ſi daret ſe fortuna ferretque ignem ad ſulfuratum pulverem, aut ædes magnis incendiis ac tumultu abſumeret, occaſionem urgerent, inducerentque oppidanos ad deditionem. Vixdum jaculari cœperant, cùm affuit a Rege Filius. Compreſſere duces ex improviſo adventu animi dolorem, nec recuſarunt quin claſſicum apud ipſum caneret, daretque militarem teſſeram. Curas tamen æque partiti ſunt, ut quiſque partem ſuſciperet rei gerendæ. Dum ſedulò agunt, non minori ſtudio præſidiarii extinguebant exorientes flammas, remiſſiſque telis eam ſtationem hoſtibus infeſtam reddere conabantur. Nec diu abfuit, quin Princeps Jacobus illic jaculis corriperetur. Nam intrepide ad aggerem machinas contegentem, ut libratores in rem acueret, progreſſus, eo diſciſſo, ſtratus ac ruina prope obrutus eſt, nullo tamen edito pavoris ſigno; quod ipſi ſuæ gentis, audacibus faventis animis, gratiam conciliavit. Jam ſeptingentis flammiferis ollis (tria millia adduxerant) arcem con-

Simulant Sarmatæ Naparim tranare velle, & quare.

Deinde Kameneca cum iter flectunt, & machinis verberant.

Jacobus Regis Filius ad exercitum pervenit.

Honores ipſi habiti in ſpeciem imperii.

In vitæ diſcrimẽ ab telis venit.

contuderant, nullo præſidiariorum motu; & Turcarum, Scytharumque exercitus remenſo Napari iter ad opem ferendam accelerabat, cùm illico ab Rege, nuntius advenit: vaſa machinaſque colligerent, reductiſque legionibus, tuto loco ponerent caſtra, ne præſidio & adventantibus copiis circumfuſi, minori ipſi numero, majori periculo quàm ſpe dimicaturi eſſent. Poſtquam biduum in arcem ſævierant, otioſe diſceſſerunt, non auſis præſidiariis agmen tentare. Et qui Thracum paulo poſt ad auxiliandum ſupervenerunt, contenti hoſtium diſceſſu, non ultra oppidum protulere ſigna. Etenim afflictis in Hungaria ſuis rebus, domeſticaque in eo exercitu ſeditione perculſi, conſulendum ſibi potius, quàm hoſtibus inſtandum exiſtimarunt. Mox quoque a Mehemete rege, utpote ea peſte intacti, ad Regiæ tutelam evocati, illuc moverunt; quamquam vixdum viam aggreſſi, comperto quanta ibi eſſet tumultuum moles, & ſeſe impares (niſi fortè correpti reliquorum exemplo) ad ſuſtinendam, iter intermiſere. Hyeme appetente Sarmatæ in hiberna deducti ſunt. Scythæ vacuam provinciam nacti, Volimniam tertiò longiuſque depopulati, viam in ſuas ſedes manubiis aucti continuarunt. Hæc quinto ſacri belli anno adverſus Barbaros ab Germanis; hæc a Venetis; hæc a Moſchis, & Polonis geſta. Principio hujus anni diem ſuum obierant Eleonora auguſta, & Henricus Condæi Princeps; illa ſecundis nuptiis e Gonzaga Domo data uxor tertio Ferdinando Cæſa-

1687.

Turcæ auxiliatũ veniunt.

Sarmatæ Regis juſſu obſidionem ſolvunt, & qua de cauſa.

Diſcedunt nullo impedimento.

Nam Turcarum exercitus a Mehemete Rege ad ſui tutelam vocabatur.

Qui tamen parũ progreſſi, ſteterũt, & quare.

Scythæ tertiò Sarmatiam depopulantur.

Eleonora auguſta & Henricus Condeus moriuntur.

Digitized by Google

1687. ſari, quem una tantùm auxit filia, Lotharingio nupta; hic e regia Gallorum ſtirpe, bello & magnis virtutibus clarus exercuit, dum adhuc puer quartuſdecimus Ludovicus, civiles diſcordias ferociter adeo ut nemo duriùs; poſtquam ille ex ephebis exceſſerat, in gratiam reconciliatus, tanta fide ac ſtrenuitate ſuam ipſi probavit operam ut nemo ſupra. Qua tamen parcè Rex uſus eſt; ne ſi nunquam, illum metuere; ſi ſemper, eo indigere videretur. Eodem anno depravari falſis opinionibus Religionem inventum eſt. Earum auctor Michael Molinos ſacerdos Hiſpanus, qui Romæ nulla earum artium, unde hominum exiſtimatio ac dignitas manare ſolet; ſed obſequio ad principes viros, arcanæ cujuſdam in excolendis animis ſcientiæ oſtentatione ad otioſæ deditas pietati mulieres viam ſibi ſtraverat. Et illinc ei demum nomen atque auctoritas. Errandi initium, ut plerumque, ex aliquo vero cœpit. Ajebat: tum denique ab hac fæce humanitatis purgari Mortalium animos, cùm ſui penitus obliti, & nihil ſe eſſe cogitantes, toti ſe Deo permitterent; in ejuſque ſinu velut in portu conquieſcerent. Illum ſequerentur proinde quò vellet; nec eſſent, quò vellet, ſoliciti; elatique ſpiritu in altiſſimum Divinitatis jugum, nihil, quæ ſenſibus fierent, penſi haberent. Addebat ſimul, tantam animorum tranquillitatem, ſuique abdicationem non multi laboris nec ſanctiſſimæ vitæ præmium eſſe; ſed cuique promptam facilemque, tantùm ut mentem ad res divinas appelleret,

Michael Molinos pravarũ opinionũ auctor Romæ detegitur, & in vincula ducitur.

Quomodo in hominum famam & exiſtimationem venerit.

Unde errorũ ſuorum initiũ, quæque doctrina ab eo tradita.

Quæ falſa & hæretica inde deduceret.

iiſ-

iiſque ſe inhæſiſſe profiteretur. Illa deinde a recta fide abhorrebant, quòd affirmaret: animos ea fungentes ſtupida pace, atque hauſtos numine, degere actionis expertes, ac moveri veluti inanimes, non ſe movere. Hinc ſupervacaneum, ſibi ipſos conſulere, vacare precibus, & piis operibus; implorando divorum patrocinio, & Chriſti meritis, Eccleſiæque Indulgentiæ participandis dare operam. Qua quidem doctrinæ perverſitate vel aliquos captos homines non imperitos & probis moribus, mirum profectò videri potuit. Demum ut falſam religionem voluptatum quoque illecebris commendaret, ſubjiciebat: quicquid in eo ſtatu animorum infandum ac ſceleratum agerent corpora; non illis, qui longe abeſſent, crimini tribuendum eſſe, ſed malo Dæmoni, qui ſenſus ſpecieſque irritaret, innoxiis animis. Hæc tamen primò paucis tradita; deinde per viros mulieresque vulgari cœpta. Principio arcanis congreſſibus fœminas ſolùm, nec quemquam virorum admittere. Deinde conducta domus, ubi permixti infandos agebant cœtus, in omnemque libidinem extincto pudoris diſcrimine ſeſe effundebant. Tantùm ſcelus urbis amplitudo, intentis ibi ad ſua negotia Civium animis, diu celavit. Illinc egreſſum, omnemque late Italiam Galliæque partem pervagatum, ſe tandem prodidit. Datæ illico a Pontifice maximo ad omnes Epiſcopos literæ, ut quiſque ſuo caveret gregi, & in ſontes animadverteret. Quæſtiones conſtitutæ; ea morum & doctrinæ labes depul-

1687.

Additæque fœdæ libidines.

Nefarii ſectatorũ congreſſus.

Cur non modico tempore ſcelera iſta latuerint.

Secta in Italiam Galliamque diffuſa.

Quid geſtum ad eam expellendam.

1687.

Molinos publice Romæ hæreſim a ſe inductam deteſtatur; ſua ſcelera fatetur, perpetuo carceri addicitur.

Cum reliquis ſectatoribus.

Lavardini Romam legatio a Ludov. Rege decernitur.

Quo jure immunitatis Romæ Legati fruerentur.

Unde illud ortū.

pulſa, purgataque noxiis religio. Molinos Romæ invectam a ſe nefariam hæreſim, ſeſeque ejus obtentu inquinatum omni atroci libidine, in ſolemni conventu deteſtatus, ad ſanamque mentem, voce ſaltem, redire viſus, perpetuo ac duro carceri addictus; cum reliquis mitiùs actum. Hanc, quæ Romam diu tenuit, curam altera excepit ex Gallica legatione ab Henrico Carolo Beaumontio Marchione Lavardini ſub autumni exitum obita. Non enim pacifica fuit, ſed militari prope more. Cauſam præbuit Immunitatis jus, quod illic non tantùm ſibi in ſuis ædibus, ſed lato circum ſpatio jamdiu regii Oratores vendicabant. Illa jure gentium incœpta, quo legati vel apud hoſtes ſacroſancti habiti; obſcuris deinde initiis ad ipſorum plerumque domos, conciliante reverentiam munere, pervaſit. At Romæ eò tandem irrepſerat, ut plures inſulas complecteretur; eaque ora prorſus apparitoribus, tribuniſque capitalibus vi ac minis interdicta erat; reperiebantque obærati, ubi æs alienum impunè retinerent;

Ejus abuſus.

& Rei in ipſo Principis conſpectu (Aulicorum lucro ſæpius empta, aliquando ad conciliandam legationi majeſtatem data criminibus ſecuritate) oſtentarent ſua ſcelera flagitiaque. Interdum ſuccreſcentem refrænaverant illam ſeveris legibus Sixtus IV., XIII. Gregorius, quintuſque itidem Sixtus. Nunc verò ab aliquot annis nullo impedimento vigebat; eòque ſimul proceſſerat, ut nihil impeditius Romæ, quàm crimina coercere. Nam, ut quiſque potentia aut di-

Prius a quibus ſummis Pontificibus refrænatus.

Sed deinde firmius invaluerat.

dignitate excelleret, aſylum circa ſuas ædes aperuerat; Pontificum negligentia vel majoribus occupatorum curis, vel in re conniventium, quæ ſibi, ob exactam ætatem non longa functuris dominatione, moleſtiam; utilitatem extraneis Succeſſoribus paritura tantùm eſſet. Innocentius ſtatim ac in ſupremam Sedem aſcendit, huic malo occurrere aggreſſus eſt. Oravit proinde ſummos Reges, qui Romanam Aulam ſuis legationibus frequentabant: ægre ne ferrent, ſi diſcedentibus iis, qui nunc adeſſent, legatis, non alios accepturus eſſet, quàm qui publico documento ejuſmodi ceſſiſſe jure profiterentur. Cavit deinde, ne qua pars urbis non legibus obnoxia, non aperta apparitoribus foret; juſſitque, novos legatos, ſi obniterentur, aqua & igni ab Eccleſia interdici; cæteros pro ordinum diverſitate pœnis cohiberi. Chriſtina Svecorum Regina eo ſe jure protinus abdicavit. Reliquis ademptum. Regum Oratores, qui tunc erant (nihil enim lex impediebat) retinuerunt. Non ita multo poſt abjere Hiſpanus & Venetus. Huic nemo ſucceſſit. In alterius locum ſuffectus Cocogliudi Marchio, prius pro legato non ſe gerebat. Dein quoque, eo ſibi publice abjudicando jure, prævertit legationis tempus; ſagaciter arbitratus: ſi Gallici æmuli Oratoris exemplo reviviſceret, ad ſe facilè, parta ſibi interim Pontificis gratia, rediturum. A Cæſare nullus aderat. Britannicus legem acceperat. Gallicus unus manebat Æſtræi Dux; & hic exeunte ſuperiore anno fato ceſ-

Et ad Potentiores quoque traductus.

Innoc. XI. monitis primum Regibus profitetur, nullos deinceps Legatos accepturum, qui ejuſmodi juri non renuntient.

Pœnas in id conſtituit.

Qui eo jure ſtatim deceſſerint.

Moritur Æſtrei Dux Gallicus Legatus.

ſe-

1687.

Cui a Rege Lavardinius ſuffectus.

Quæ ipſi mandata ab ipſo Rege.

Et is ſponte dimiſſurus jus illud velle videtur.

Sed viciſſim quidpiam a Pontif. max. accipere, quidue obtinere cuperet.

Rex Britannicus diſſidium componere aggreditur, ſed fruſtra.

ferat. Dum obſcura expectatione, alium ne ſibi Rex legaturus eſſet, res pendet; auditur, Æſtræo Lavardinium ſucceſſorem datum, qui priſcam legatorum conſuetudinem tutaturus eſſet. Ab Rege tamen Pontifici maximo renuntiatur: ea illum mandata habiturum, quæ grata & placitura forent. Nemo non conjectabat, id eò tendere, ut Rex nonnihil retento Aſyli jure, mox remiſſo, palam fieri vellet, ſe illud Pontifici dono dare, non a ſe repeti. Eſſe quoque in ipſius animo videbatur, quidpiam de re paciſci. Nam cùm jamdiu Innocentium rogaret; Cardinalem Furſtembergium ut ne abnueret ea lege ſolvere, quæ de gemino Pontificatu prohibendo eſt; quippe cui Argentoratenſem obtinenti impedimentum afferret, ne ſucceſſor Colonienſi deſignaretur; & ille, occulta ne cauſa, an Cæſari ab re ſummopere abhorrenti (de qua multus redibit ſermo) gratificaturus, cùm obfirmate recuſaret; ſperabat Rex, ejus animum hoc tandem oblato munere expugnari poſſe. Interea Lavardinium, quæ ad ornandam legationem opus erant, tardiùs moliri, & lento gradu iter aggredi Romam, juſſit; ne Innocentio mutandi conſilii tempus deeſſet, ubi, quod jam cœperat, deferbuiſſet. In id Rex Britannicus adnitebatur, ſæpius admonens: magnanimos viros (qualem nemo non eſſe Chriſtianiſſimum Regem fateretur) ſi cedas, vinci; cùm vel ipſa benignitate cæteris præſtare velint. Sed uterque nihil remiſit; & Lavardinius in viam ſe dedit. Eam turmatim quadringenti emeritis ſtipendiis mi-

1687.

minores duces præoccupaverant, conduxerantque domos circa Farneſias ædes, gallici Oratoris ſedem. Pontifex ſapienti conſilio erga potentiorem, nihil movit; tacite pridem ſolùm auxerat urbanum præſidium eo militum numero, qui ſatis eſſet ad compeſcendos repentinos tumultus; ad vim repellendam non eſſe videretur. Monitis deinde purpuratis Patribus, Magiſtratibus, Proceribus, Aulicisque, ne ullo Lavardinium officio proſequerentur, in Regia ſe concluſit. Ille militari pompa, ducentis equitibus multaque familiarium turba ſtipatus, a. d. XVI. Kal. Decembres urbem ingreditur. Duum Purpuratorum Eſtræi & Maidalchini, Oratorum omnium, pluriumque procerum, quibus Ludovici gratia nihil antiquius, familiæ ſexjugis curribus a ponte Milvio ad Farneſias ædes advenientem deducunt; ipſi poſtmodum ſalutatum veniunt, omnique officiorum genere complectuntur. Prima ejus cura, palam edicere, circumpoſitam ſuæ domui regionem immunem eſſe debere; & ut ſit, ſe curaturum; periculo proinde ſuò caverent apparitores. Id unum grandi ſupercilio; cætera verecunde. Orare deinde ſummis precibus Pontificem maximum, ut ſeſe ad pedes exciperet, ea Regis nomine renuntiaturum, quæ commotam ſedare tempeſtatem poſſent. Abnuit ille effatus: nunquam ſe pro Legato habiturum, qui Romæ aſylum aperiret; eademque iterum ac tertiò per temporis intervalla rogatus, reſpondit. In ea tamen animorum diſſenſione nihil ab officio alienum, & quies

Pontificis in hoc rerum ſtatu prudens conſilium.

Lavardinius Romam ingreditur prope militari pompa.

Qui illi obviam ierint.

Officiis deinde proſequuti fuerint.

Ius immunitatis tuetur.

Pontificem orat, ut ſe ad ejus pedes admittat, quæ placere poſſet, relaturus.

Sed incaſſum.

Hæc quiete agebantur.

1687.

erat. Cùm ecce tibi anniverſaria nati Domini nocte Lavardinius in D. Ludovici gallicæ nationis publice

Unde majorum turbarum initia.

Miſteriis intereſt, eorumque particeps ſit. Doluit Innocentius diploma ſuum, quo aſyli propugnatores ab Eccleſia depulerat, ludificatum. Quamobrem

Innoc. Templum D. Ludov. ejuſque Sacerdotes Sacris interdicit.

Lavardinius ejuſmodi edicto Legatorum jus violatũ profert.

Geſta in Senatu Pariſienſi.

Templum, ejuſque Sacerdotes Sacris interdici voluit. Hinc graviorum acerbitatum initium. Nam & poſtridie Lavardinius, vulgatis literis, violatam eo edicto ac diplomate legationem proclamavit. Et non ita multo poſt Dionyſius Talon Regiarum Cauſarum patronus in Senatu Pariſienſi cauſam atrocioribus egit verbis, conqueſtus: Regem vetuſta Romæ aſyli prærogativa deturbandum curari; implorare proinde futuri Oecumenici Concilii opem, ad ipſumque provocare, ac petere ut, quæ poſtulet, Senatus auctor fiat. Hic Romana abjudicavit acta, deditque provocationem. Abrogata itidem Romæ, quæ Senatus. Hactenus verbis. Mox non parum

Controverſia irritatur ob negatam ab Innoc. Cardinali Furſtembergio Colonienſis Archiepiſcopatus ſucceſſionem.

rerum acceſſit. Cùm enim Colonienſe majoris Templi Collegium ſucceſſorem Archiepiſcopo ſuo Cardinalem Furſtembergium deſignaſſet, negaretque Innocentius, id ſe unquam ratum habiturum; hoc novo ictu recruduit Ludovico aſyli vulnus, moleſtiſſimumque dolorem movit. Quo percitus, cauſa-

Galliæ Rex Avenione potitur.

tus autem Lavardinii legationem deſpicatui ductam; Avenionem cum omni in Galliis Pontificio Imperio in poteſtatem redegit. Addidit: Parmenſium Ducem in Caſtri Ducatum commodatis octingentis coronatorum millibus, quibus obnoxius erat, e Piſa-

no

1687.

Alia decrevit Romanis incommoda.

Fatus nihil hae ad ſacrum Principatum pertinere.

no fœdere ſe reducturum. Cavit, ne ſuæ gentis pecunia Romam deportaretur; edixitque: controverſiæ Palatinæ Innocentio pacificatore ſe non amplius uſurum, fatus: hæc non ad ſacra ſibi ſummopere veneranda, ſed ad regia Romani Pontificis jura pertinere; quæ quòd laceſſitus infregerit, mirum nemini videri poſſe. Et Romæ Lavardinius minus ſibi, quàm antea, modum fecit. Palam in Templum maximum D. Petri in aliorumque Divorum oratum ingreſſus, oſtendit, parum, quod iis ſibi interdictum eſſet, ſolicitari. Ad hæc ſingulari prudentia tacuit Innocentius, ne Regi, tam diligenter utrumque Pontificis maximi Imperium diſtinguenti, occaſionem præberet, illud ſibi, in quo longe minus valeret, vel in Italia turbandi. Interea maximi rerum motus in Britannia, Germaniaque ad Rhenum Ludovicum ab minoribus curis avocarunt, ſuaſeruntque, Romanæ contentioni minus operam dare. Itaque Lavardinium poſt ſeptendecim menſes, quibus Romæ diverſatus fuerat, in Galliam redire juſſit. Eadem militari pompa, qua venerat, diſceſſit; ſingulis e ſuo viciſſim ingenio rem æſtimantibus. Aliis Pontifex, quòd legationem repudiaſſet, ſuperior viſus; Rex aliis, quòd jus aſyli tutatus eſſet. Omnium judicio ſeveritatis uterque immodicus; ille, quia nihil regiæ dederat majeſtati; hic, quia nimium.

Lavardinius Romæ aſperior quá antea.

Innocentius diſſimulat.

Rex gravioribus diſtractus curis Levardiniú Roma diſcedere jubet.

Qui eadem pompa, qua venerat, digreditur.

Quod ejus rei fuerit hominum judicium.

Res deinde, Alexandro octavo ineunte Pontificatum, compoſita. Is enim Calniaci Ducem, qui legatus ad Comitia venerat, libenter ſuſcepit; cedentemque

Quando Aſyli controverſia, & quomodo compoſita.

 illi-

1687.

Avenio Pontifici reſtitutus.

Ioſeph Auſtriacus Hungariæ Rex ſalutatur.

Regni Comitia, Cæſaris poſtulatis exagitátur.

Quæ poſtulata forent.

Variæ diverſorũ Ordinum ſententiæ, & quæ cujuſque eſſet.

illico aſyli jure libentius audivit. Cumulavit lætitiam Avenio in ſuam mox ditionem reſtitutus, reconciliataque Regis gratia. Adeo plerumque animorum potius, quàm rerum difficultas dirimendis diſſidiis obeſt. Exitu anni, quo hæc geri cœpta, Leopoldus Cæſar abdicavit ſe Hungariæ regno, eoque Archidux Joſeph, qui deinde Imperator ſalutatus eſt, a. d. V. Idus Decembres inauguratur. In id per autumnum Poſſonium Comitia indixerat, quæ diu tenuerunt (diſcordibus circa poſtulata Cæſaris animis) diverſis opinionibus exagitata. Poſtulabat autem, quæ hactenus Hungari pernegaverant, ut Pannoniam in poſterum hæreditatis & primi Nati jure Germanica Auſtriaca ſoboles, deinde Hiſpanienſis cerneret; utque lata ab altero Andrea lex abrogaretur, qua ille tertiidecimi ſeculi anno ſecundo & vigeſimo regreſſus ab Hjeroſolymitano bello, optanſque inſignem civibus ſervatæ ſibi domi militiæque fidei gratiam referre, cavit: impune civibus fore, ſi cui aliquando Regi legitima violanti jura immunitateſque, reſiſterent. Aderant in Concilio duodeviginti Antiſtes, quini viceni Proceres, ſeptem ac viginti Optimates, oppidorum legati ad centum (Comitia quatuor hiſce ordinibus conſtituuntur). Epiſcopi, Cæſaris beneficio Pontificatum adepti, Concilio, æqua poſci, ſuadebant; quippe eam legem flabellum hactenus ſeditionum fuiſſe, perniciem ac labem reipublicæ; & muneris cenſeri loco, ſi furenti ſica e manibus eripiatur, qua ſe

poſ-

poſſet conficere. Quòd verò ad Primogeniti jure Pannoniam perpetuò adeundam pertineret, nihil in eo niſi Cæſaris beneficentiam ſe conſpicari. Cùm enim jam olim ab initis inter Ferdinandum primum Annamque Ludovici Regis ſororem nuptiis, lege ac fœdere ſequeſtribus, ſancitum fuerit: ſi Ludovicus liberos non ſuſcepiſſet, Regnum in Sororis virum ejuſque ſobolem perpetuò traductum iri; quid aliud nunc poſtulari, niſi ut in eum deinceps traducatur, qui, utpote major natu, tot reliquas provincias obtineat, earumque viribus facilè Hungariam adverſus Barbaros tueri queat. At reliqui, major pars, ab hujuſmodi ſententia abhorrebant. Et quidem muſſitare; inter ſe conferre capita; privatis etiam ſermonibus palam dicere: liberum ſibi adhuc fuiſſe, quem vellent ex Auſtriaca Germanica Gente ſibi regem aſciſcere; cur modò hanc libertatem ereptam velint? cur adjici Hiſpaniarum regnatricem domum? niſi fortè ut ceſſante populi beneficio, ceſſet præcipuum regum in cives benevolentiæ pignus; utque aliquando nobiliſſimum regnum, ne in provinciam redigatur, diſcrimen adeat. Cæterùm nihil modò ſibi fore jucundius, quàm Joſepho egregiæ indolis Principi, quamquam impuberi, regni habenas moderandas tribuere. Hæc plures dies domeſticis ſermonibus agitata, tandem in publicum prodiere. Comes Draſchovitius, magnæ inter proceres auctoritatis, perduellis Nadaſti levir, præſentis olim tumultus particeps, a quo

1687.

Comitis Draſchovitii nimia loquédi libertas.

1687. a quo diſcedens otium tenuerat; ſupplicantis in ſpeciem Concilii cauſam oravit. Sed oblique homo vafer ac diſertus, quod olim fuerat ſuæ gentis decus, quæ in creando rege Comitiorum poteſtas, graviſſimis verbis proſequutus, commovit popularium; nullis unquam calamitatibus ſuarum legum oblitos, animos; injecitque Germanis curam: haudquaquam liberis ſuffragiis, quæ peterentur, probatum iri. Itaque Cæſar, nec ſe victore, nec Thrace depreſſo quidpiam aviti ingenii Hungaros poſuiſſe, quod ſperaverat, conſpicatus; Draſchovitium ne ad priſtinam rediret mentem; ſuffragatores ne, quæ modò eſſet rerum ſuarum conditio, oblivioni darent, moneri juſſit; ſimul e Pallota oppido dudum in poteſtatem accepto, admoveri Poſſonio duas Palfii & Starembergii legiones; obtendens, illic graves annonæ degere, hìc præſidio ab Barbarorum incurſionibus Conventui fore. Ita quies turbulentis animis reſtituta; cùm præſertim ad eos leniendos plurimùm contuliſſet Eſtheraſius Palatinus; & Draſchovitius ex illa vehementiſſima dicendi contentione, animique ægritudine febri correptus, opportune deceſſerat. Antiquata ſubinde Andreæ lex; aſſertæ reliquæ immunitates; Archidux Joſeph omnium plauſu rex cooptatus; regnum hæreditario jure ab Auſtriaca Gente cùm Germanica tum Hiſpanienſi adeundum decernitur, dummodo qui, adjerit intra ejus fines aut prope maneat. Ubi dies affuit initiandi regis, ſolemnis pompa e regiis ædibus ad D. Martini pro-

Et ille & Proceres a Cæſare, quid agere debeant, admonentur.

Aliquot Copiæ Poſſoniã, ubi Comitia agebantur, admotæ.

Quæ Cæſari placita decernuntur, & cujuſmodi illa fuerint.

Solemnis pompa, qua Ioſeph Rex initiatur, deſcribitur.

proceſſit. Germani, Pannoniique nullo inter ſe diſcrimine, & duplici præibant ordine. Aulici Magiſtratus proſequebantur. Hos excipiebant decem Comites, totidem provinciarum, quibus Hungariæ regnum componitur, vexilla gerentes. Accedebant Pontificis maximi, regiique Oratores Hiſpanus, ac Venetus. Ponè iſtos Eſtheraſius Palatinus cum ipſis D. Sthephani primi regis corona ac ſceptro; quæ Hungari ut regni fatale pignus reſpiciunt, eòque diligentiſſime cuſtodiuntur; nunc Vienna adducta fuerant. Cuncti uſquedum equites. Archidux deinde ſexjugi curru incedebat; claudebantque pompam auguſti Parentes haud abſimili rheda invecti. Templum, Archidux medius, ingreſſi, ab Strigonii Archiepiſcopo ad Aram maximam deducuntur. Dum Numen adorant, precanturque pacem Superûm; Palatinus e ſuperiori loco, ad populum verſus, coronam & ſceptrum in omnium oculis ponit. Mox: quod bonum, inquit, fauſtumque ſit vobis liberiſque veſtris, Pannonii; velitis jubeatis, Archiducem Joſephum regem veſtrum conſtitui atque inaugurari? Magnis clamoribus: uti rogas, reſponſum. Quo Archiepiſcopus audito, coronam ejus capiti impoſuit; Palatinus ſceptrum & regale Inſigne, pomum aureum, in manus tranſdidit. Inde Cæſar cum auguſta Conjuge; ſeorſum Rex, ſuis altrinſecus ſoliis ad Aræ maximæ latera conſcenſis, divinis Myſteriis, ea Præſule celebrante, aſtiterunt. Sancte peractis, Rex equo inſidens ad D. Franciſci ducitur ea-

1687.

Poſt inaugurationem quid a Rege geſtum.

1687. eadem pompa. Creatis ibi Germani, Pannoniique nominis ſexaginta torquatis equitibus, luſtrataque ſuperiori urbe, in inferiorem deſcendit. In Theatrum, quod in foro conſtruxerant, progreſſus, e ſuggeſtu civibus apud Antiſtitem ſacramento ſe obſtrinxit, ipſorum jura immunitateſque firmas rataſque habiturum. Tandem oppido egreſſus in propinquum collem, Konigsbergum vocant, gladium ſtringit vibratque adversùs quatuor Terrarum plagas, ſpecie tutaturi regnum ab omni parte, qua vis inferretur; plaudente multitudine, cui, quicquid ex antiquo, venerabile; vetereſque cœremonias jam prope vacuas, rerum oblita, quas indicabant, amat atque admiratur. Sub id prope tempus atrox procella Regiam Orientis invaſit, nec quievit niſi edita ingenti ſtrage, & in ordinem redacto Mehemete rege. Principium duxit ab ultima infauſta pugna. Solymanus Viſirius ſuis e fuga colligendis paucos circa Murſam moratus dies, Petri Varadinum contenderat, aſſiduis increpitus Janizarorum vocibus, acerbe querentium ſeſe in prælio a prætorianis equitibus ignaviter deſertos, nec pœnas proditi exercitus ab iis repoſci. Ibi certior ab exploratoribus factus, Cæſarianos dimiſſis copiis in oppoſita loca ſe diſtraxiſſe; ratuſque Lotharingium, præoccupato in Tranſylvaniam itinere, adducturis Agriam militem & commeatum negotium exhibere amplius non poſſe; illucalam decem millium prætorianorum equitum, ſingulis equis medimno farinæ impoſito, ire jubet; eo quoque

Byzantii ingêtes tumultus.

Vnde orti.

Ianizari Viſirio adverſi, & quare.

Ille equitum manum Agriã mittere ſtatuit.

que

que conſilio, ut iis rixandi cum Janizaris occaſionem tolleret, acciperetque ſpatium ſedandi componendique irritatos animos. Illi ſuſpectam per hoſtile ſolum periculoſamque, ſi Lotharingius inflecteret iter, expeditionem averſati, abnuere; & cùm Viſirius urgeret imperium, obniti, minas intendere, ac libere ſtipendium vociferari, quo quintum jam & decimum menſem deſtituebantur; culpam quoque infelicis pugnæ & malæ geſtæ reipublicæ in ipſum transferre; incuſare interceptæ pecuniæ, qua ſua militibus merces ſolvenda fuerat. Ad hæc Janizari præbere aures, ac ſenſim privatum in equites odium comprimere, commune adverſus Solymanum proſequuturi. Quæ opinio cùm gregarios præcipue ſubiiſſet, eorum animos exaſperavit adeo, ut illum catervatim adierint, ferociterque efflagitarint fraudatam pecuniam, abdicationemque magiſtratus, quem tamdiu in Turcicæ rei perniciem obiiſſet. Ignarus, iſthæc licentia quam partem exercitus corrupiſſet; ne ſeſe in diſcrimen daret, cohibuit iram, ſtipendium cras bona fide erogaturum pollicitus; magiſtratum, dictitans, non in ſua, ſed in Regis eſſe poteſtate, continuet an abdicet. His leniter dimiſſis, accerſit Muſtaphum Janizarorum præfectum, familiarem ſuum; quem, quid iſtud rei eſſet ſciſcitatus, cùm audiſſet: & adhuc illum ignoraſſe factam apud minores duces conſpirationem, & modò nimiùm compertum habere, omnem prope exercitum eam corripuiſſe; concubia

1687.

Qui renuunt.

Libere in Viſiriū obloquuntur.

Cum Janizaris in illum conjurant.

Eorum poſtulata.

Viſirii reſponſi.

Comperta conjuratione clam diſcedit.

1687. nocte per Danubium tenui cymba invehitur Albam græcam. Ibi certior factus, ab eadem lue haud eſſe intactum prætorem præſidiumque, rectà iter Byzantium pergit, præmiſſo qui urbis præfectum (Caimecanum vocant) amicum & familiarem, ut ſibi præoccuparet conciliaretque Regis animum, commoneret.

Byzantium pergit.

Quod ubi novit e ſententia contigiſſe, Mehemetem & ipſe convenit; minuit acceptam cladem; exauget militum arrogantiam, qua per ſuum latus, inquit, regiam majeſtatem vulneraſſent.

Mehemetem convenit, & qui cũ eo habitus ſermo.

Ab Rege conſultus: quod huic malo remedium; non aliud reſpondit, quàm quod pereuntibus igne magnis ædibus: ſi præcidas, unde inflammantur. Juſſus edere inſtigantium nomina, tribunos ſibi graviores inſcripſit. Decernitur ipſorum mors; Janizarorum præfecto, ne quis lictori ſe ſubducat, negotium datur.

Rex plurium mortem decernit, utpote tumultuantium.

Antevertit Aulicorum Viſirio adverſantium nuncius, proſcriptos admonens ut ſibi caveant. Tunc verò iſti furere, palam vociferari: non ſatis Viſirio eſſe, hoſtium ferro objeciſſe innocuas legiones, ſtipendio fraudaſſe, in apertum rurſus diſcrimen dare voluiſſe. Nunc etiam, qui miſerorum cauſam egerint; qui, ne penitus opprimerentur, ſtuduerint, ad necem peti. Quamquam, addunt, non ſoli petimur, non hunc ſibi ſtatuit ſæviendi finem. Cunctos ſibi delendos lacerandoſque propoſuit; ſed ſcit, niſi nobis oppreſſis, ad vos, cuſtodia vigilantiaque noſtra tutos, aggredi haudquaquam poſſe. Quocirca veſtræ proſpicite, milites, ſecuritati; cavete cuſtodi-

Qui re comperta incẽdunt alios ad ſeditionem, & quibus verbis.

bus.

bus veſtris; nolite per Deum immortalem committere, ut qui adhuc vobis veſtroque bono vixerimus, aliena invidia, immaniſſimi hominis odio, veſtroque malo moriamur. His vocibus incenſi milites, in apertam ſeditionem erumpunt. Convocato militari Concilio, quid agant, inter ſe conſultant. Facilè cuique in mentem venit: invalidam eſſe multitudinem, niſi unius imperio regatur. Quare, quem ſibi eligant ducem, percontantur. Erat in exercitu Siaus prætor, vir lingua & manu promptus, magni animi, ſed truculenti. Dudum non minus audaciæ quàm ſtrenuitatis ſpecimen dederat; alterius in Aſiatico tumultu, quem ipſe commorat, illinc præmiis cum quatuor ſuorum millibus in Hungariam abſtractus; alterius, non uno in prælio, & mox in Mohatienſi a ſe primùm inito. Hunc avidum, nec minorem, militaribus comitiis ſupremum ducem creant inſtituuntque; quamquam, ad acuendum deſiderium ſimulata meſtitia, reluctari videretur. Prima ejus cura, exauthorare Janizarorum præſidem, cæteroſque duces Viſirio obnoxios, in eorumque locum fidos ſibi, & capita conjurationis ſubſtituere. Mox ſex centuriones exercitus nomine legatos ad Mehemetem mittere, qui ſublevari debita mercede milites, piari ipſius Viſirii, Caimecani, ærarii vectigaliumque Moderatorum nece male adhuc geſtæ reipublicæ ſubtractique ſtipendii culpam, expoſcerent. Tandem remotis arbitris alloqui majores duces, hortari atque orare, ut non mittendis legationibus, ſed admovendo Byzantium

1687.

Fit ſeditio.

Statuunt ducem ſibi cõſtituere.

Is qui fuerit.

Ejus indoles, mores, res geſtæ antea.

Et quos modò gerat.

Legatos ad Mehemetem mittit.

Et quæ poſtulaverit.

Suos hortatur ut cum exercitu Byzantium eant.

Digitized by Google

1687. exercitu communi ſaluti providere velint. Unum, inquit, timorem eſſe, qui eripere ab invito Rege, quæ petimus, poſſit. Nec metus potentiori, niſi ab inſtantibus & imparato. Itaque non modo eundum ſed accelerandum, ne ſpatium Viſirio detur colligendi novas copias, quas noſtris opponat. Qualiſcumque enim oblata nobis vincendi mora perniciem pareret; diſſoluturo exercitum ſeu regiæ majeſtatis pudore ſeu metu. Intereſt quoque, citò inexpiabili crimine obſtringi milites, nunquam adverſus Principem audaciores & magis fortes, quàm cùm peccaverint. Denique experto credite: tumultus ac ſeditiones, niſi ad extrema perducantur, raro manent.

Ei cuncti aſſentiuntur.

Reſponſum: faceret quod cenſeret e fide prudentiaque ſua. Nec mora magnis itineribus ſigna Byzantium ducit. Ad primum legatorum adventum Mehemetes in conſilium adhibuerat eos ipſos, quorum

Mehemetes conſultat quid gerendum.

Stipendium ſeditioſis pollicetur, reliqua poſtulata eludit.

mors petebatur. Res perpendentes ea tenuit opinio, milites erogato ſtipendio facile quieturos. Data proinde fides, illud mox affuturum. At ubi patuit, in viam legiones Siaude imperatore ſe commiſiſſe, major cunctos inceſſit metus, veritos præſertim ducem rerum novandarum cupidum capacemque, nec imperitum. In præſentia, quoniam vires ad eum refrænandum non ſuppetebant, verior viſa ſententia eſt,

Comperto eos iter progredi; Mehemetes copiarum imperium Siaudi confirmat, ſi tamen viam redeat.

quæ beneficio demulcendum cenſuit. Mittitur, quæ prompta erat, pecunia; ſpondetur, aliam brevi curatum iri. Siaudi in eas copias imperium confirmatur, ſed ita ut in Hungariam viam repetat, aliquam ibi afflictis re-

rebus opem allaturus. Senſit ille, quò tenderet æmulorum conſilium; ut ſcilicet ſimulata indulgentia conſopirentur milites, inductaque negligentia idonei fierent ad opprimendum. Itaque Mehemeti reſcripſit, ſe libenter ejus imperio obtemperaturum fuiſſe, ſed invitum ab legionibus attrahi, obſirmatis, id denique ſibi dari, ut noxio paucorum ſanguine ſalus publica reſtituatur. Quod Rex ubi novit, ſimulque exercitum Adrianopolim perveniſſe; alienam vitam ſuo cuſtodiendam periculo non arbitratus, Solymano Viſirio frangi laqueo cervices juſſit. Is audito ferali nuntio, obſtupuit mutatam in ſe Regis voluntatem, & plus apud ipſum tumultuantium proterviam, quàm ſua merita valuiſſe. Cùm extremam hanc veniam, quam ſummis orabat precibus, ut prius ſibi liceret cum eo congredi, non exoraſſet, tacitus lictori ſe permiſit. In tres quoque reliquos animadverſum. Supremus Magiſtratus Siaudi datur; Chiuperlio, ejus uxoris fratri, Byzantii præfectura; ſuis pariter familiaribus ærarii, & vectigalium; rato Mehemete, ita expletum honoribus atque auctoritate non ultra cum ſcelere quæſiturum, quæ ſine ſcelere obtinuiſſet. Illum quoque in Aulam acceſſit, conſilia de republica ſecum initurus, ſi tamen prius circa Adrianopolim exercitum in hiberna dimitteret. Renuit conditionem, cauſatus ab eo digredi prohiberi; re vera ab inſidioſa liberalitate ſibi metuens. Et jam cum majoribus ducibus in eo convenerat: Mehemete imperante nunquam ſe tutos, & in lubrico perpetuò ſo-

1687.

Conditionem renuit, & quo obtentu.

Rex ſeditioſis gratificaturus, Viſirium aliosque occidi jubet.

Siaus in ejus locum ſuffectus.

Majores urbanæ Præfecturæ ejus familiaribus tribuuntur.

Siaus in Aulam vocatur, dummodo exercitum Adrianopoli relinquat.

Renuit conditionem.

De Rege exauthorando conjurat.

1687. ſore; cùm rarò placabilis ſit in eos ira Principis, quos timuerit. Iſthuc proinde adiecerant animum, de ſubſtituendoque Solymano ejus fratre ſermones agitaverant, miſerantque Byzantium, qui rem digererent. Multa in Mehemete conveniebant, ob quæ illum cuncti Ordines execrabantur. Gravis erat Effendiis, fracta immunitate; Aulicis, diviſa in paucos gratia; Militibus, ex infauſtis auſpiciis acceptæ adhuc calamitatis opinione; Populo, injuſto ſuſcepto bello ob tributa atque ærumnas. Cunctis e barbaræ gentis diſciplina ſpes inerat: mutato Principe, mutari fatum reipublicæ. Quocirca vix ſolicitatis animis, conjurationis flamma quoquoverſum pervaſit. Re comperta, excitatum incendium fratris ſanguine extingui poſſe Mehemetes arbitratus, ſecum Ephebis adductis ad illum irruit. Janua ab Eunuchis, in id præmonitis, excluſus, duos ſtricto ferro necavit; reliquis, ſi vetare obſtinarent, minitabatur. Hi ad primum impetum agricolas e regiis hortis ad ferendam opem inclamaverant. Et affuit illico ipſorum præfectus, (Buſtangium vocant) cum valida manu, vir magnæ in Aula auctoritatis, & unus modò conjuratorum. Obſidentem fores, ne impellerentur, Rex ſtatim confodi juſſit. Sed vicit imperium metus, ſenſim Ephebis ſe referentibus; nam illum turba frequentior circumſtabat. Quo viſo Mehemetes minitabundus rediit ad ſuos lares, ubi ſecum ipſe execratus factam ſibi ſcelerata occidione, ut inimicis obſecundaret, amicorum ſolitudinem; qui pauci manebant,

Subſtituendoque Solymano ejus fratre.

Cur Mehemetes odio habitus.

Fratres interempturus ad eorum cubicula pergit.

Repellitur, quomodo, & a quibus.

Regreditur ad ſuos lares.

ad

ad ſe vocavit. Ex iis cognovit: in ſe conſpiraſſe Fori, Militiæ, Aulæ, Religionis præſides, ſtupida aut annuente plebe, & mox, quò tendant, in aperto fore. Tunc enimvero per cubiculum furiis agitatus diſcurrere, modò ſe, modò alios, modò fortunam arguere; odio, rabie, timore diſtrahi; non vultu, non voce, non mente conſiſtere. Interea Solymanum, atque Acmetem, germanum alterum, Buſtangius in veteres ſubduxerat regias ædes, vallaveratque ingenti ſuorum præſidio. Et Siaus cum ſupremis Janizarorum, equitumque tribunis Byzantium ingreſſus (exercitus prope mœnia caſtra locaverat) Muphtium, & Aulicorum Effendiorumque primores in ſacrum olim Divinæ Sapientiæ Templum, nunc prophanæ religioni adſcriptum, coegerat. Præfatus periclitantem Mehemetis vitio rempublicam, eos ſententiam rogat, anne velint & liceat Solymanum in ejus locum adſciſcere, ut melioribus auſpiciis res Turcica priſtinum inſtauret robur ac dignitatem. Cuncti præparatis in id jam animis annuerunt. Re ille deliberata ad Solymanum pergit; Nahitius magni inter eos nominis, qui ab ipſo prophanæ ſectæ auctore originem ducunt, ad Mehemetem. Centurionum fortiſſimi ſubſequuntur. Penetratis nullo internuntio interioribus ædibus, ut vel hinc ſuæ ſortis admoneretur, Nahitius illum gravi placidoque vultu his paucis affatur. Hominum imperium, Mehemetes, laborum curarumque plenum una mollitur jucunditate, ſi civibus utile & gratum accidat. His remotis, nihil mole-

1687.

Comperit in ſe conjuratum fuiſſe.

Siaus Byzantium ingreditur, exercitu prope mœnia conſtituto.

Convocat primores Magiſtratus.

De exauthorando Mehemete agit.

Aſſentiuntur.

Nahitius Mehemeti nuntium exauthorationis affert.

Quibus illum verbis alloquitur

1687. leſtius atque inſuavius. Nam cui non grave atque odioſum, quod cunctis odio & damno ſit? Tu diu, arridente fortuna, omnium plauſu regnaſti. Nunc ab ea deſertus, nefas eſſet, ſi communi pernicie diutius regnare velles. Quare ut ſolio decedas, tui te omnium Ordinum cives orant; & ſi renuas, cogunt. Ut regni habenas dimittas, ipſorum fuit; ſponte an vi, tuum erit judicium. Moderare proinde animo tuo, ac lubens, poſita regnandi ſolicitudine, hoc tibi poſtremum decus & gratiam compara, ut pro tuæ gentis bono, ex fortunæ varietate & geſſiſſe, & reliquiſſe Imperium videaris. Diu Mehemetem mœſtum ſilentium tenuit. Deinde quæ ſua eſſent merita, non utique brevi obliteranda infortunio, dicere aggreſſum torpor oppreſſit, intercluſitque vocem. Inclinatus ad feneſtram, mentoque manu ſuppoſita, dum hæret ſtupidus, centuriones ſuperveniunt. Tacitum diſcingunt enſe; juſſumque ſequi deducunt in conclave ultimis conſtructum ædibus, ac diligenter cuſtodiunt, quid eo frater agi vellet præſtolaturi. Hujus ſententia fuit: ſe, quam ſibi dediſſet agendæ vitæ rationem, eamdem Mehemeti reddere. Itaque regio more, tantummodo libertatis expers, otio permiſſus reliquum tempus traducere. Solymanus, ſecundus hoc nomine Turcarum Princeps, Rex ſalutatus in Regiam venerat. Facto dierum aliquot intervallo, ut ab ea rerum novitate ac magnitudine ſe colligeret, obſequioque aſſueſceret; in publicum inaugurandus venit. Jacet in extremo portus litore nobi-

Mehemetis reſponſum.

In cubili concluditur.

Regio more vitam traducturus.

Solymanus in Aulam ducitur.

le delubrum (Aigul cives nuncupant) Turcarum initiandis Regibus deſtinatum. Illuc e regiis hortis ſplendida cymba a Purpuratis adductus, maximum Sacrorum Præſidem cum Effendiis obviam habuit; a quo in fani capite conſtitutus, multaque ſimul prece obteſtante Numen, ac pſeudoprophetam, ut ipſum propitii lubenteſque in regnum inducerent, ſcythico ad latus armatur enſe, &, quod bonum, inquit, fauſtumque Turcico ſit Imperio, Rex pronuntiatur. Inde invectus equo, magna præeunte procerum equeſtri turba, per confertam multitudinem luſtrata urbe, in Aulam rediit. Dum iret, ſilentium fuit, non Mehemetis deſiderio, cujus ut parum benefici & ærumnoſi jam prope memoria occiderat, ſed præteriti feliciſſimi temporis recordatione, præſentis mœſtitia, futuri metu. Auxit mœrorem licentia militum, quæ per hos ipſos dies in omne flagitium erupit. Cùm enim tot menſium ſtipendium eos defeciſſet, nec quiſquam adhuc de congiario, quo prætorianorum legiones ab novo Principe donari ſolent, mentionem faceret; inopia & ira perciti palam per tabernas, quicquid libebat, rapiebant, ciebantque tumultus, perculſis, quandoque necatis, qui reſiſtebant; ſæpius effractis foribus, illæ ſi vim illaturis objicerentur. Huic malo non aliter quàm eroganda pecunia occurri poterat. Nam Regis & Viſirii imperium minus valebat, recenti in eos beneficio debilitatum, militiæque obnoxium. Munus plus decies centena ſcutatorum millia hauſturum erat; denos ſcilicet in ſingulos quadragenum mil-

1687.

Inauguratur Rex ubi, & quibus cæremoniis.

Milites Byzantii plura infanda faciunt.

Pecunia iis placandis opus erat.

Et quanta.

1687. millium Janizarorum, vicenos quinos in quinque & viginti equitum millium, quot tribunitia fraude ementitis tabulis deſcripti proferebantur, nec deinde ſub ſignis reperti, cùm ad bellum iter ſuſcipiendum fuit; ſtipendium longe plures. Unde tanta modò pecunia curanda foret, exhauſto ærario non ſuppetebat. Vim igitur, extremum arcendis malis remedium, Siaus adhibendam ſtatuit. Quotquot Byzantii opum fama nobilitabantur, domum ſuam compellat, ſuadetque, pecuniam occupari nunquam melius, quàm in comparandis otio ac ſecuritate; darent proinde quantum ſedando militi opus foret. Inficiatos quicquam numerati ſe habere, ſed omne in nominibus, in carcerem detrudi jubet, fatus, non prius abituros, quàm dediſſent quod petebatur. Is metus pecuniam cudit; confectumque, addita proſcriptorum haſta, quantum ſatis fuit in rem præſentem. His ita compoſitis, atque inducta in milites quiete; ne ad ingenium redirent, tubas ſeditionis ſpecie honoris amovere in animum induxit. Prjmùm fecit periculum in Farſage quodam, Janizero ſtrenuo ſed tumultuoſo. Hunc ad ſe vocat; dicit: ſui erga milites grati, in rempublicam intenti animi eſſe, proſpicere ne bellica virtus præmiis deſtituta concidat atque obſoleſcat. Ab ipſo munerandi principium facere, quem noſſet bene militia functum; proptereaque ſuæ gentis legionibus Babylone præficere. Ille fraudolentum conſilium eadem eludens arte, immeritum ſe profiteri, nec unquam

Illam Siaus vi a ditioribus exprimendam ſtatuit.

Idcirco vocátur.

Negantes in carcerem detruduntur.

Territi illam erogant.

Viſirius capita ſeditionis amovere ſtatuit.

Et primùm ſpecie honoris.

Hinc nova ſeditio commota, & quomodo.

quod

1687.

quod commilitonibus ſe longe clarioribus deberetur, occupaturum. Dolo invicem patefacto, Viſirius injici vel renuenti togam jubet; qua teſſera accepti datique magiſtratus ea gens utitur; & Farſagius arrepta fuga per vias citato curſu diſcurrens, obteſtari commilitones, ut ferant opem; inclamare: cunctos inſidiis, ni caveant, oppreſſum iri, quas modò ipſe evaſiſſet. Cùm quid iſtud rei eſſet, & quò collinearet, catervatim affluentibus expoſuiſſet; ingenti manu facta ad Viſirium contendunt, illatam

Seditioſi Viſirium conveniunt.

ſocio injuriam expoſtulantes, minitanteſque, parem ſe illaturos. Ille, ne dictum exequerentur, veritus, ſuſcepti conſilii culpam in Chiuperlium Caimecanum translata, vix ut ab ſe abſtinerent, obtinuit,

Ille culpam in alium transfert.

comprimerentque furentes animos, data fide, levirum eamdem illico pœnam, quam Farſagio molitus eſſet, ſubiturum, accepturumque Cydoniæ, quam paulo ante geſſerat, præfecturam.

Qui Byzantio amovetur.

Quamquam non eo contentis, Muphtium quoque, primoreſque alios Magiſtratus Viſirio familiares exauthorare; quique ipſis faverent, ſufficere, opus fuit.

Muphtius aliique Magiſtratus in ordinem cogūtur.

1688.

Siaus celato injuriæ precariæque auctoritatis dolore, quem in tempore ulturus eſſet, ad belli curas ſe convertit. Rei comparandæ præcipue obſtabant ærarii anguſtiæ, & iſtud nonniſi novis tributis (cùm portoria & vectigalia, bellicæ flammæ ſeu calamitate ſeu metu, plurimùm exaruiſſent) ſuppleri poterat. Igitur qui reipublicæ beneficio fundis muniiſque aucti fuerant, ea ſibi ab novo Principe, ut moris erat,

Nova oritur ſeditio, & unde.

1688. vel annua fructuum parte redimere, vel dimittere coacti ſunt. Id equites, ad quos ea res maxime pertinebat, in Siaudem mirifice concitavit; æquum arbitratos, quidpiam ſibi indulgeri, unde ipſe & Solymanus in fortunæ ſinum deducti fuerant. Sed imperatus in ſingulos regiæ urbis focos aureus Venetus nummus vehementius civium animos exaſperavit. Nec tacuere, ſoluta jam multùm priſtina vel duri imperii obedientia. Dum alii privatis ſermonibus ad reſiſtendum ſe comparant, alii gemunt, alii minantur; nebulonum unus, qui obdurato ad omnem cruciatum corpore ſibi apud Turcas hypocriſis famam, nefariamque vivendi libertatem captant; in confertam proſiliens turbam: quin ſimul, inquit, ad Regem iniquiſſimi tributi veniam oratum pergimus? Omnium conſenſu auditur, fit globus, itur, præ Aulæ foribus inclamatur. Solymanus tot ſeditionibus eruditus, ad horribiles voces ſibi timuit. Verùm ab hypocrita certior redditus, miſeram plebem qui dolor traheret; ſpondet, auctoritate ſua lenitum iri. Viſirium acceſit, rogat, an ea tributi ſpecies exemplum habeat. Inſuetum, reſpondet, ſed expreſſum neceſſitate, cùm militum vorago nulla pecunia expleri poſſet. Datam affatim, nec tamen eos quieſcere, agitantibus tumultus Farfagio, Aggioque; magni illo inter Janizaros, hoc inter equites nominis; utroque majoris perfidiæ, maximæ temeritatis. Ita privatum in eos odium publica vindicta ſaturare voluit. Quamquam eodem ſibi dolo ſtru-

Quo progreſſu.

Solymanus tumultu territus.

Viſirium conſulit.

A quo aliqui turbarum rei denuntiantur.

ſtruxerit noxæ pœnam. Nunquam Solymanus rempublicam per annos tres & quadraginta, quot natus erat, liberali cuſtodia domi ſeptus, attigerat. Itaque regnandi rudis, totum magiſtratibus ſe permittere, patère Aulicorum inſidiis, & facilè circumveniri. Nec ſecus modò res accidit. Viſirio imperat, ut quos duos ſeditionis detuliſſet, capite multet. Hic Janizarorum præfecto familiari ſuo negotium defert. Miſſi qui rem patrarent, Farſagium domi incautum opprimunt ſuffocantque; Aggium caſu digreſſum ad res domeſticas, cùm non inveniſſent, prætei ere. Atrox mandatum, ubi vulgari cœptum, legionarios ad inſaniam prope adegit. Communis illos inſtigabat metus, commilitonis miſeratio, ultionis amor. Catervatim, ut ſi dato ſigno, concurrunt in equeſtre forum, exprobranteſque Siaudi ſævam fraudem, ſibique male redditam beneficii gratiam, quo ad ſupremum magiſtratum ſeſe annitentibus evectus fuerat; infenſis animis procurrunt ad ejus ædes, iracundia viam accelerante. Re ad ipſum delata, confeſtim Janizarorum præfectum ad eos ſedandos compeſcendoſque obviam mittit. Occurrentem jurgiis & maledictis, quòd iniqua imperia feciſſet, excipiunt; conantem præfecturæ auctoritate eos gradientes ſiſtere, equo dejectum proterunt confodiuntque. Inde rectà ad Viſirium. Stationibus circa domum locatis, indicunt, Muphtio interprete, ut abdicet ſe magiſtratu, cujus violandi pudorem nondum poſuerant. Si abnuat; mi-

1688.

In eos mors decernitur.

Unus occiditur; alter fugit.

Hinc aucta ſeditio.

Ianizarorum Præfectus a ſeditioſis occiditur.

1688. minitantur, faces ædibus ſe ſubjecturos. Si morem gerat; jurejurando affirmant, ſatis ſibi ex abdicatione fore. Diu obluctatus, fide tandem & conditione accepta, regium Signum de collo detractum

Viſirius ab ipſis necatur.

Muphtio tradit. Nec mora in ædes irruunt, implorantemque datam fidem nefarie obtruncant. Inde furor ſcelere auctus in omnem erumpit crudelitatem. Gynæceum ingreſſi manus fœminis injiciunt; inau-

Domus diripitur.

res laceratis auribus, brachiis digitiſque divexatis annulos armillaſque, muliebrem ornatum ubique

In ejus fœminas ſævitum.

Viſirii uxor interimitur.

decerpunt, flagro cædunt renuentes, objurgantes, interimunt. Siaudis uxorem, duum Chiuperliorum, qui ampliſſima ſummi Viſirii dignitate functi omnium in Othomanicum Imperium merita ſuperaverant, alterius filiam, alterius ſororem, nulla tan-

Corpus diſcerpitur, & fœdiſſime illuſum.

tæ ſtirpis & primariæ fœminæ verecundia vulneribus conficiunt, fœdiſſime dilaniatam unco per urbem trahunt, omnique affectam injuria, ſordibus deturpatam, vix immani feritate exſaturati, inſepultam relinquunt. Interea, ut ſi intemperiis concitarentur, in omne flagitium ſe induunt. Cædes, rapinæ, & quicquid victas funeſtat urbes, patratum. Cives ad

Vrbs omni ſcelere impletur.

hæc primùm attoniti, velut juſtitium foret, tabernas occludunt, parietibus ſe tuentur. Mox ira & dolore incenſi, e feneſtris invicem ad comprimen-

Cives ad vindictam ſe cōparát.

dam inſanam militum rabiem ſe cohortantur. Vicatim coeunt. Fit ſermo de Mehemetis vexillo in publicum proferendo, ad quod omnes ſumptis armis convenire jubentur lege. Dum quiſque adhuc hæ-

ret

Digitized by Google

ret incertus; hypocritarum unus panniculo haſtæ in- 1688.
fixo: quæ mora, inquit, cives? Urbs Imperii caput *A quodam hypocrita inflammantur.*
diſcinditur, vos ad ejus ruinam conſidetis? Mulierum eſt, gemitu & lacrymis proſequi patriæ funus; virorum, ulciſci. Ite mecum, & ſi ad ferendum perditis jam prope rebus auxilium expoſcitis Prophetæ ſignum, iſtud, quod gero, cur non illud eſſe arbitramini? Sic fatus, aliquam collegit turbam; ſed cùm non ſatis illam fore conſpiceret ad rem gerendam, & vulgi animos, pluſquam ratio, moveat opinio, ipſam ad Regiæ fores adducit, a Rege, ut efferretur ſuperſtitioſum Signum, poſtulaturus. Is & baccanti militi iratus, & ne civibus, ſi abnueret, *Vexillum falſi Prophetæ profertur.*
præberet cauſam exhibendi ſibi negotium, confeſtim juſſit palam extolli. Ad ejus conſpectum ſilentio, *Populi ad illud concurſus.*
qui aderant, procubuere. Mox clamor ad arma vocantium totam brevi pervagatus urbem, plus centum collegit armatorum millia; qui per fora, viaſque, & abdita domorum, quò pavidi ſe contulerant, eos ſectati, militum quotquot obviam habuerunt, venatique ſunt, gladiis contrucidarunt. Quinque *Arma capiunt, & ſeditioſos milites inſectantur.*
amplius millia neci data. Stragi finem impoſuit laſſitudo potius quàm ſatietas. Compreſſo ſponte ſua *Quot eorum neci dati.*
tumultu, Solymanus in tanta rerum acerbitate prope ſtupidus, de re tacuit, cùm quid ageret ignoraret. Ad ſupplendos tantùm magiſtratus, quibus reſpublica inniteretur, adjecit animum. Qua in re populi, utpote tunc validioris, obſequi deſiderio, conſilium cœpit. Sacrorum, rerumque civilium præfectu- *Rex Magiſtratus ſupplet e populi ſententia.*

1688. ſturam iis reſtituit, quos milites abdicaverant. Janizaris ducem ab his turbis alienum præfecit. In principem Viſiriorum locum Iſmaelem allegit, qui cæteros ejus Collegii ætate (ſeptuageſimum agebat annum) & obito munere antecellebat; peſſimum electionis genus, ni ad iſta accedat robur animi ac virium; ſed probabile multitudini, quæ rerum peritiam, non ingenio & diſciplina, ſed annis metitur. Huic tamen cùm ſuccumberet oneri, poſt duos menſes Rhodum ſecedere juſſo, Muſtaphum ſuffecit, qui, Solymano Viſirio, Janizarorum præfecturam geſſerat, & a Siaude exauthoratus Seſton abjerat; ubi ea tenui donatus prætura, fortunæ iniquitatem magno ferebat animo. Is ad Imperii clavum adſcitus, ei moderando in tantis fluctibus reipublicæ, quibus fortaſſe majoribus nunquam exagitata fuerat, parem attulit mentem ſolertiamque. Haud parum inſita huic genti deceſſerat obedientia. Ærarium, impeditis bello vectigalibus, inopia laborabat. & præter externos hoſtes, quibus vehementiſſime conflictabatur, domeſticis ſeditionibus ferox illa Barbarorum potentia prope ad interitum redigebatur. His tot tantiſque malis inſtituit medicinam facere. Lenitate, æquiſſimoque in omnes judicio, ad morem legitimis imperiis gerendum populos revocavit. Ærarium ſupplevit primùm parſimonia, inducta in Aulam frugalitate, lubenteque Rege dimiſſis quæcumque in pompam & luxum cederent; deinde civibus ſuadendo, ne importuna tenacitate perditum

Qui electi, & quare.

Muſtaphus Viſirius quæ geſſerit ad rempublicam ſuſtinendam.

Quibus artibus.

irent

irent tantam dominandi poteſtatem à ſuis Majoribus acquiſitam; cogitarentque: ſe victos eò majori hoſtibus ludibrio fore, quò adhuc timori. Eodem conſilio militares tumultus, qui fœde Aſiam, Europamque dilacerabant, compeſcuit. Illic Gedichus, vir imperii & opum cupidus, ſed malis artibus, circùm ſe contraxerat, quotquot armorum calamitas aut vivendi licentia oppreſſerat ære alieno. Hos prius latrociniis aſſueverat, poſtmodum juſto agmine admoverat vel ad cincta mœnibus oppida, captaque diripuerat. Semel quoque inaudito apud ſuam gentem ſcelere, in redeuntium ab Mehemetis ſepulcro turbam induxerat, abacta præda. In Europa Thraciam, conterminaſque provincias turbabat Oſmanus Gengien, clarus idem fortibus geſtis & belli arte, quique factus Bulgariæ prætor, cùm non æquum ſuis meritis præmium accepiſſe putaret, majus, injecto metu, cùm virtute non licuiſſet, curandum ſibi conſtituerat. Itaque ſe ducem præbuerat compluribus poſt Varadinienſem tumultum fuga dilapſis, Siaudem ob plures ſuorum præfectorum militia pulſos deteſtatis. Quos, auctoritate & ſpe illectos, præda nutrierat, longe lateque circumvagatus; & nunc invaluerat rumor, eos Byzantium adductum iri ad res iterum novandas, extollendumque dejecto Solymano Mehemetis filium. Enimvero timuerat ab homine Siaus haud ignaro exequendi, quæ cogitaſſet; habueratque in animo, Hungaricis præfectum armis, obnoxium reddere. Sed mors prævenerat. Et Iſmael propoſitis ho-

1688.

Externos ſua gentis tumultus ſedat & quomodo.

Ubi invaluiſſent, quibus ducibus, & quo progreſſu.

1688. honoribus reconciliare ſtuduerat, tuleratque repulſam, deſpicatui habitus. Nunc tandem Muſtapho ceſſit leniter per literas ſuadenti: ſi decus & nomen quæreret, illatis in hoſtes potiùs quàm in cives armis luculentius accepturum; ſi opes ac poteſtatem, majora & nullo diſcrimine ab Solymano, quàm cum ingenti periculo ab temerariis incœptis relaturum. Quapropter Boſniæ prætor renuntiatus, nec ita multò poſt Pannonici exercitus Imperator, in gratiam rediit, permiſſuſque ſecum ſimul ſuos adducere, legitima ſtipendia merituros. Et Gedicus ab armis diſceſſit, Terdonis adeptus præturam, quæ nunc Baſſura, nobile emporium, dicitur, & latæ regioni in felici Arabia moderatur. Facto interius otio, militum delectum habuit, quantum ſatis eſſet ad externam vim repellendam. Nam ut plures deſcriberet, non ſuppetebat. His partim præſidia firmavit validarum arcium, quæ frontem hoſtibus obtendebant, partim ſupplendis legionibus attribuit, quas in Græcia Iſmaili, ut ſuperiori anno; in Hungaria Oſmano Gengieni; in Sarmatia Muſtapho Seliſtari ita regendas attribuit, ut non acie confligerent, ſed captarent, tutis manentes locis, nocendi occaſiones. Tehelium ad ſuorum fidem retinendam pecunia juvit. Claſſem ornari juſſit aliquot quinqueremium, qua Ægæi navigationem expediret, aut Venetis ad eam turbandam haud modica diſtracta ab terreſtribus expeditionibus virium parte opus foret. Simul ad reconciliandam pacem adjecit animum, ratus: affecta,

Viſirius ad finiū tutelam delectum habet.

Quibus Ducibus mitiur.

Tehelium pecunia juvat.

Pacem petendam proponit.

ꝺta valetudine vel incommode quieſcendum. Sic enim inſtaurari corpora, ut citò fortibus gerendis rebus ſufficiant. Agendo, trahi morbum. Itaque de mittendis Caduceatoribus agitare cœpit. Ab re Solymanus abhorrebat, Mehemetis ſectæ auctoris decreto ſibi prohibita & indecora. Sed illum anilibus pſeudo prophetæ fabulis in ea carceris ſolitudine plus nimio, cùm tempus iis perſcrutandis traduceret, eruditum Viſirius eluſit, fatus: non ipſi cum Germanico Cæſare, ejuſque fœderatis ullas privatim inimicitias intercedere. Quas autem Mehemetes ejus frater ſolutis nefarie ante tempus induciis contraxerit, nequaquam ſibi impedimento eſſe, quin de adito regno, de ſuaque concorditer vivendi voluntate miſſis legatis eos moneat. Sic enim Majoribus ſuis in more ſemper fuiſſe poſitum. Hoc pacto, non pacem peti, ſed ex ipſis Mehemetis placitis veteres amicitias coli contineríque. Rex laudato ſagaci interprete dictis annuit; libenter ferens in re tam utili eximi ſibi metum violandæ legis. Datum uni ex Effendiis Sulficari, & Alexandro Maurocordato græco (de quo, utriuſque exemplo fortunæ, alibi quidpiam narrabitur) legatorum munus, qui Cæſarem voce, Sarmatas, Venetoſque literis convenirent. Interea ab utraque parte armorum ſtudium tenebat animos; quamquam vel fęderatis non penitus vacuis ſolicitudine. Initio Veris Joannes Rex ſuæ gentis Concilium Grodnæ coegerat. Occaſio huic obtendebatur, curanda in exercitum pecunia, augendique bel-

1688.

Solymanus repugnat, & quare.

A Viſirio ſuadetur, & quibus argumentis.

Legatos eligit.

Poloniæ Rex Concilium convocat, & quo conſilio.

1688. bellici apparatus, quibus jam tandem & hoſtis impelli, & Sarmatici decus nominis excitari poſſet. Sed arcano Uxoris conſilio Regis animus eò tendebat, ut, dum Comitiis præeſſet, in ſolium aſciſceret Jacobum filium veluti regni conſortem; eoque præjudicio, quieſcentibus legatis, quorum addixerat ſibi plures, ſucceſſorem deſignaret. Nam res, tamdiu quæ ſita variis artibus, obtineri ſuffragiis haud potis erat; non regii Principis cauſa, quem haud una commendabat virtus, ſed exempli; cùm Reipublicæ, creandique Regis libertati inflictum iri vulnus reputaretur, ſi ex eadem familia, quæ regnando aſſueſceret, quæque auctoritate ac pærmiis obnoxios ſibi reddere poſſet ſuffragatores, cooptaretur. Res paucis amicorum prodita (neque enim, dum immineret, celari omnibus poterat) citò inter proceres legatoſque pervagata, eorum plurimos exagitavit adeo, ut, cùm improviſò certius conſilium non ſuppeteret ignaris, quid a Rege præoccupandis animis actum foret, de diſturbandis Comitiis, quod huic populo nimis in promptu eſt, conſtituerint. Itaque altercando repugnandoque, ut ne Conventus quidem moderatorem (Mareſchallum vocant) creaverint; traducto ſex hebdomadarum tempore, quo lege in eo licet agere, Regem ipſum, conantem obnitentemque, modò de ſua ſpe dejecere. Quin ut penitus ab ea diſcederet, Cardinalis Ragioſchius procerum princeps; Lithuanorum civilium politicorumque negotiorum præſes (magnum Cancellarium dicunt); com-

Illud palam fit.

Eluditur.

Concilium diſſolvitur.

Plures adverſus Regis voluntatē de filio ſibi ſucceſſore deſignando conſpirant, & qui fuerint.

1688.

compluresque optimatium, datis ac deſcriptis nominibus, de ſucceſſore vitam agenti Regi non deſignando inter ſe conſpirarunt. Id perculit acerbiſſimo ictu Joannis animum, cùm præſertim de repetenda ab ipſo atque in ærarium transferenda pecunia, quam creandis magiſtratibus corrogaſſe ajebant, addidiſſent. Hinc rumor invaluit: conjuratum fuiſſe in regiam Domum, ſed mox quievit, re ab iiſdem auctoribus ſubobſcure indicata, ac diſſimulante Rege, ne apertas cum tot procerum potentiſſimis conciperet inimicitias. Non enim, quin tandem e ſententia negotium confecturus eſſet, animum deſponderat. Immo expugnandis, qui adhuc ferociter adverſabantur, duo nova intendere machinamenta moliebatur; unum, excitanda illuſtri aliquo facinore, ut belle ſibi ſucceſſerat, omnium in Filium regiamque Familiam benevolentia; alterum, quærendis illi Radziviliæ nuptiis, ad quas tum fors aditum patefecerat, mortuo dudum Octoviri Brandeburgenſis fratre, ejus conjuge. Hinc enim ingentes opes, potenteſque neceſſitudines & clientelæ; quibus ad tot reliquas adjunctis, nihil amplius inexuperabile futurum, ſibi vehementer blandiebatur. Dum nuptiis conciliandis dabatur opera, & vix aberat quin conſtituerentur, nam & Princeps Jacobus ipſarum ſpe Radziviliam ſalutatum ierat, Rex contractis copiis, expeditoque militari apparatu, Camænecum invadere conſilium cœperat. Præmiſſas legiones, quæ circumjicerent vallum, concluderentque op-

Diſſimulante Rege & quære.

Spem habet, ſententiam illos mutaturos.

Quærit Filio Radzivilia nuptias.

Camenecum invadere ſtatuit, & illuc exercitum præmittit.

1688.

Quem repentè in hiberna deduci jubet; quę hujuſce rei cauſa, & variæ ſententiæ.

oppidum ; lento ipſe gradu proſequebatur, & jam Socſaviam pervenerat; cùm repentè ſupremis exercitus ducibus nuncium mittit: ſolverent obſidionem, copiaſque in hiberna dimitterent. Id integris viribus, & opportuno ad eas periclitandas tempore (vix September inceperat) imperatum magnam omnibus admirationem movit. Et ut quiſque ignota rerum ad ſuam opinionem flectit; alii comperiſſe Regem opinabantur, validiorem, quàm reputaſſet, præſidio arcem ad reſiſtendum, militibus Turcarum exercitum ad auxilium ferendum, eſſe; alii perterritum annonæ difficultate, quam intercepta dudum magna commeatuum vi Scythæ duriorem fecerant, ac deinceps intercuſando facturi videbantur. Illorum plures, qui arcana mentium ſcrutari conjectando ſe poſſe cenſent, exiſtimarunt: privatum dolorem in cauſa mutatæ fuiſſe voluntatis. Nam cùm per eos dies Carolus e principe Neoburgenſium Familia, Cæſaris levir, ad Radziviliam veniſſet, eam ſibi conjugio junxerat, fefelleratque Sarmati Reguli ſpem, quæ, ſua & omnium opinione, deceptura non eſſe videbatur. Magnum hinc regiæ Domui vulnus, eòque acerbius, quòd reputabant a Cæſare inflictum, aggreſſo, his nuptiis Polonorum animos conciliare affini ſuo, eique ſternere ad regnum iter. Hac ſuſpicione commotum Regem admonitumque, ut fama fuit, Uxoris literis ne, ad Cæſarem, qui tantam filio injuriam machinatus fuiſſet, Turcici belli onere ſublevandum, ſeſe in diſcrimen daret, imma-

Radzivilia Carolo Neoburgenſi nubit.

Quid Rex ea de re ſuſpicatus fuerit.

Digitized by Google

mature exercitum diſſolviſſe reputarunt. Utcumque ſe res habuerit, adverſis ſermonibus haud leviter exagitata eſt, graviſſimiſque præſertim civium querelis, expoſtulantium: indefenſos objici ſe Scytharum populationibus, quæ hoc pariter anno fœdiſſime invaluerunt, dum ad eas arcendas tributis exhaurirentur, præſenti damno, nullo deinceps emolumento. Nec Moſchi tacuere, qui cùm longe minori apparatu, quàm prædixerant, nihil per æſtatem adhuc egiſſent præter excitatum ad confluentem Samardæ Boriſteniſque amnium caſtellum, quo Scythas ab ſe repellerent; inertiæ excuſationem, translata in Polonos culpa, ſibi ex aliena deſidia quæſierunt; non tamen decepta, ut ſuperiori anno, prudentiorum expectatione; quæ, ſi ſemel fallit, rarò iterum excitatur. At Venetis longe diverſus animus. Læti proſpero ſuperioris anni armorum ſucceſſu, elatique Imperii amplificandi ſpe, nullis ad conducendos milites parcebant ſumptibus. Tria Germanorum millia a Principe Carolo Virtembergenſi adducta. Duo ex Helvetiis conſcripta. Mille & quingenti veteranorum e Dalmatiæ præſidiis deducti, ſuppletique ibi provincialium Italici nominis delectu. Acuebat apparandi belli curam data Mauroceno Imperatori ſuprema Reipublicæ dignitas, mortuo ſub Martii finem Marco Antonio Juſtiniano Duce. Non enim; cùm eadem Reſpublica optime de ſe merito inſignique civi, illo omnium ampliſſimo perpetuoque magiſtratu maximum, quod haberet, præmium perſolviſſet; viſum

1688.

Polonorum querela.

Et Moſchorum.

Qui tamen pene otioſi fuerunt.

Venetorum magnũ belli ſtudiũ.

Unde milites ad eorum ſtipendia perducti.

Maurocenus Dux reipublica creatus.

Se-

1688. Senatoribus eſt, egregio fortunatoque armorum præfecto exercitus ſuos orbandos eſſe. Itaque, exoleta vetuſtatis memoria, cùm ſibi ab nimia Principis potentia, dum bello præeſſet, pertimuerant, fretique ſuarum legum æquabilitate, quæ facilè compeſcit altiores animos, ei claſſis reique militaris imperium non abrogarunt; intra tamen eoſdem fines, ac ſi prætori daretur, coercuere; aucto decore, non auctoritate. Ille acceptis Dignitatis inſignibus, datiſque paucis diebus militum gratulationi, cùm jam Venetiis ſupplementa adveniſſent, & quas ſecum habuerat copias ſolerti cura (tactæ quippe & hac hjeme peſtilentia fuerant) ſanitati reſtituiſſet, adulto jam Vere, quò proras dirigeret, cogitabat. Cùm repente nuncius affertur, Candiam oppidum, Cretæ inſulæ caput, atroci militum ſeditione involvi. Præſidiarii ſtipendium, quod diu expectaverant, Byzantio jam tandem acceperant, ſed trimeſtri ſubducto; ſiquidem quidpiam undique ad ſublevandam ærarii inopiam corradi Viſirius juſſerat. Veriti Prætoris fraudem, facta manu, fruſtra ab ſeſe amolientem culpam cum quatuor aliis tribunis obtruncaverant. Stupore deinde ex ipſa ſceleris conſcientia preſſis obrepſerat vigiliarum negligentia, ſolutaque diſciplina, urbem tuendam nihil penſi habituri, dummodo ſibi conſultum foret, videbantur. Re per incolarum aliquos, Veneto adhuc nomini addictos, comperta, Maurocenus ducem fortunam ſequendam ratus, illuc cum triginta quinqueremibus, qua-

Relicto ei armorum imperio.

Candia a Turcis tumultuatur, & quam ob rem.

Prætor cum aliis interficitur.

Militum ibi in agendis excubiis negligentia.

Ea de re monitus Maurocenus illuc raptim claſſem ducit.

quarum octo Melitenſes in itinere ſe conjunxerant; extemplo ſolvit. Ubi in oppidi conſpectum venit, novit illico: civiles diſcordias inſito in hoſtes odio placabiliores; & ſcelera, ipſorum ſi horror incedat, exacuere animos ad virtutem, ſeu ſperata inde venia, ſeu probro ſuperinducta honeſti ſpecie delendo. Præſidiarii ſtatim ac propinquare claſſem viderant, creato ſibi duce quodam Janizarorum ſtrenuo viro, tormenta obverterant; ſtabantque pro mœnibus frequenti corona, hoſtem laceſſentes armis ac maledictis. Ille cognito, arcem munitiſſimam nec præſidii voluntate nec ſuis modò viribus ſuperabilem; nono die in Saronicum ſinum, unde profectus fuerat, circa Poron inſulam ſe reduxit. Ibi nautica re penitus expedita, recenſitoque exercitu; cùm Reipublicæ ſtipendia facere peditum tredecim millia, equites octingentos reperiſſet; Melitenſium præterea mille adeſſe cum centum viginti alba ſignatis cruce, & mox octingentos Hetruſcos cum ſexagenis itidem decoris purpurea cruce affuturos; quam ſuſcipiendam expeditionem, inter paucos, quibus aut dicendæ ſententiæ aut ferendi ſuffragii jus erat, agitare cœpit. Alii Cretam cum omni exercitu repetendam cenſebant, inſulam proventu divitem, loco opportunam, natura & munimentis, ſi occuparetur, minus difficilem, ut res docuerat, ad retinendum; vetus cæteroquin Reipublicæ patrimonium; quod recuperatum maximam, nondum mollito ingentis jacturæ dolore, jucunditatem allaturum eſſet. Neque verò, ajebant,

1688.

Præſidiarii ad urbem tuendam ſe comparant.

Maurocenus in ſinum Saronicum regreditur.

Exercitum recenſet.

De Re gerenda in Cõſilio deliberat.

Alii Cretam invadendum proponunt, & quibus argumentis.

1688. Candia, Cidoniaque, unde totius prope inſulæ fatum pendet, tametſi protectæ validis propugnaculis, nos ut ab ſeſe abſtineamus, deterrere debent. Mœnia ſiquidem, quamquam firmiſſima, civium tumultu, militum ſeditione debilitantur. Tumultus autem, ubi illuc juſto cum exercitu pervenerimus, non defuturos portendit nunquam e popularium animis obliterata mitiſſimi Venetorum imperii ſpecies, Turcarum duriſſimi. Et præſidiarios iterum in ſeditionem ituros, haud modicam exinde ſpem adeſſe, quòd medii inter oppugnationis diſcrimen & pœnam commiſſi ſceleris, deditione ſibi conſulant, neceſſe ſit. At dudum ad noſtræ claſſis conſpectum nihil moverunt? Id unuſquiſque mirari deſinet, ſi reputet ſecum ipſe: dubios animos objectis ſolùm gravi periculo aut ſpe, quò propendeant, impelli; & nos tunc ut impares ad oppugnandum, ita & ad alterum præſidiariis, alteram civibus inferendam fuimus. Nunc quidem, ſi viderint quaſſari mœnia, agi vineas, inſtrui aciem militum ad irrumpendum, libere ingenio obſequentur ſuo. Ad hæc momentum addit fortuna; cujus præſentem erga nos benignitatem non internoſcere, inſipientis eſſet; negligere, inertis. Alii Chalcidem Eubœæ caput, qua capta omnis in poteſtatem inſula conceſſura foret, invadendam arbitrabantur; rati, duas illas Cretenſium arces, quantum nunc ipſis legionum admoveri poſſet, vel ſua mole bellicoque apparatu facilè deluſuras. Cùm præſertim cuncto in id exercitu in-

Alii Chalcidem Eubœæ, & quibus rationibus.

cum-

Digitized by Google

cumbere haudquaquam liceret; niſi quis vellet Peloponneſum Iſmaili prætori certam prædam objicere, eò ſtatim per apertum iſthmum pervaſuro. Spem autem alieni timoris aut benevolentiæ in parte ſuarum virium conſtituere, ejus eſſe qui in rerum agendarum conſilium nihil magis quàm deſiderium adhibeat, & cui plus earumdem rerum initia quàm exitus curæ ſint. Quòd ſi Chalcis undique perpendatur, his prope vacua difficultatibus videri debet. Una illa; non plures, ut Cretam, urbes; Eubæam tegit; non, ut iſtæ, roſtratis viget propugnaculis, ſed priſco more; paucioribus machinis, minori inſtruitur apparatu. Contra verò Veneto Imperio adjiceret uberem ingentemque inſulam, quæ quicquid hactenus in poteſtatem redegimus, objectu ſuo permuniret, Atticæ Beotiæque poſſeſſionem daret, Theſſaliæ ac Macedoniæ immineret. Cæterùm regionis amplitudine non contemnenda; quippe quæ in centum ſupra triginta paſſuum millia protendatur, lata quandoque triginta millia; vetus & ipſa Reipublicæ patrimonium, ei dono data a Rabuino Carcerio ejus Principe, quam a Turcis, ſe impare, tueretur; & ſtrenue tutatam fuiſſe ad annum uſque ſeptuageſimum ſupra mille quadringentos; quo tempore ſecundi Mehemetis vim non pertulit, ab eo miſere oppreſſa ac dilacerata. Adeo demum propinqua Peloponneſo, ut huic timendum non ſit, copiis quamquam omnibus illuc traductis. Turcis enim a tergo inſiſterent, præciderentque viam redeuntibus, ſi per 1688.

1688. iſthmum quidpiam conari vellent. Konigſmarchus neutris aſſentiebatur, affirmans: his, quæ modò eſſent, legionibus æque ſibi inexuperabilem videri Cretam quamquam validioribus inſeſſam oppidis, ac Eubœam, niſi prius acie perculſis fugatiſque Thracibus, qui circa Thebas, Chalcidi auxiliatum ituri, caſtra poſuerant. Rarò enim & niſi longe majoribus copiis vinci urbes, quæ novis ſubmiſſis identidem viribus revireſcant. Prius itaque in apertam pugnam laceſſendos hoſtes. Si confligant; certam Venetis numero, virtute, fortuna potentioribus, victoriam, indeque ſuperandam Chalcidem ſeſe ominari. Si renuant vallo tecti, ac nequeant in prælium elici; ab ipſa tunc enimvero abſtinendum, ad quam ſimul oppugnandam, intercludendaque ab continenti ſubſidia tantum adeſſe robur non videatur; ac potius de Epidauro Limera cogitandum, quam tametſi natura munitiorem ſubigere facilius ſit, interclusa terra marique auxilii ſpe; utilius quoque, liberata penitus Peloponneſo. Parum iſtud Mauroceno Principi viſum, nec initi magiſtratus decus, quod nobiliori aliquo facinore illuſtrare vellet, æquaturum. Id Eubœa ſaltem, ſi non Creta, in poteſtatem redacta conſequi ſe poſſe ratus, noluit ex hoſtium pendere arbitrio, ſi obſtinarent a pugna ſe cohibere; ſed ad Chalcidem, vel externa haud prohibitam ope, obſidendam plurimam Conventus partem rei ſplendore ſuaque traxit auctoritate. Re deliberata, paucos milites præſidii ſpecie ad iſthmum locat; collectiſque

Quæ Konigſmarchi ſententia.

Chalcis oppugnāda decernitur.

quos

quos per hyemem Athenis reliquerat, deſeri oppidum dejectis mœnibus, incolas in diverſa Reipublicæ loca traduci juſſit; cùm incommodum nulliuſque momenti eſſet, eam nimis hoſtibus apertam oram retinere. Exercitu in naves impoſito, ineunte Quinctili vela e Saronico ſinu in Eubœam fecit. Vix in altum provectam dira procella disjecit claſſem. Quinqueremes Sunium, bellicæ actuariæque naves Andriam tenuere. Illæ deinde obnixæ remis quarto die Eubœam appulere quinque ab Chalcide paſſuum millibus. Turcæ deſcendentibus nullam fecere moram, cùm nec omne munire litus, nec quò exponendi forent, facili ubique trajectu, ſcire poſſent. Quievere pariter, dum turma trecentorum equitum ipſo Konigſmarcho duce propinquum nemus perluſtrat, quà legionibus iter ad urbem faciendum erat. Poſtridie Maurocenus cum eodem ſupremo copiarum præfecto, aliiſque majoribus ducibus, tribus quinqueremibus prope turrim in obverſo portus latere ab oppidanis deſertam progreſſus, ſpeculatuſque oppidi ſitum & quibus operibus concluderetur; conſultare aggreditur, unde & quo pacto oppugnandum foret. Conſtans Konigſmarchi, eaque pluribus iterata ſermonibus, opinio fuit: oppugnationis initium ab ea munitione deducendum, qua pontis aditus ab continenti cuſtodiebatur, auxiliiſque ferendis facilem muniebat viam. Anguſtam illam & tenuem leviori, quàm cætera, conatu obtineri poſſe; capta verò, Chalcidem illico in poteſtatem venturam, interciſa

un-

1688.

Athenæ deſeruntur a Venetis.

Claſſis Eubœam appellit.

Milites nullo impedimento exponuntur.

Maurocenus Chalcidis munitiones perluſtrat.

De oppugnandæ modo conſultat.

Konigſmarchi ſententia.

Digitized by Google

1688\. undique ſubſidii ſpe. Contra ſenſit Maurocenus, *Quæ Mauroceni.* cauſatus: non alibi quàm circa urbem terendas vires & tempus, ne non deinde ſufficerent occupandæ; præſetulit quoque inopem aquæ locum, aſperum & longum iter convehendis machinis & commeatui. Hæc facile diluebantur. Etenim nec tempus defectu- *Rationes contra Mauroceni ſententiam.* rum videbatur, vix inita æſtate; nec vires, caſtello celeriter expugnabili; & aquam non deeſſe repertum eſt, perenni fonte puteiſque propiùs erumpentem; *Quæ tamen vicit quamquam non e militari ſcientia.* nec compendiarium iter, alluente mari. Nihilo tamen ſecius in ſententia manſit; incertum qua cauſa Vir, cæteroquin belli peritiſſimus, in re adeo manifeſta diſſenſerit. Rumor invaluit: difficulter ab eo probari conſilia, quorum non eſſet auctor; ſeu potius reputantem inſitum Turcis metum, ſuamque felicitatem, cùm de urbis interitu non dubitaret, ad cumulandam ſibi facinoris gloriam ſuo etiam, non alieno, interire conſilio voluiſſe. Deinde conſpicatum: male cœptis, ob recentes ex ea parte quotidie ſuperinductas copias, ſuccedere; attamen in ſuſcepta ſemel opinione obfirmaſſe animos, ratum: fortunam, ut ſæpius antea, quidpiam inſperatum exhibituram. Reliqui duces Mauroceno adhæſere, alii reveriti, alii adulati Principis majeſtatem. Itaque, appulſu majorum navium contracto univerſo exercitu, juſſoque *Chalcidi exercitus admovetur.* Venerio prætore novem bellicas unamque incendiariam navem per Maliacum ſinum in ſuperiorem Euripum ad oppugnationis tutelam traducere; ipſe a. d. X. Kal. Sextiles prope Chalcidis mœnia

ca-

1688.

caſtra poſuit. Jacet Urbs in medio Eubœæ litore, ubi ſeſe in mare protendens vix quinquagenos paſſus a Bœotia diſtat. Sexdecim in quadrum ſtadiorum lorica, turribus priſco more interjecta, quarum duæ in angulis validiores, circummunitur. Frons & laterum pars (quippe in peninſulæ modum nonnihil prominet) mari alluitur. Reliquum murorum foſſa, interfluentibus undis, protegitur, centum lata pedes, vicenos alta. Utrinque, curvo aliquantum litore, ſtatio navium. Pons illam fornicatus, & prope medium ſublicius, ubi ſupereminet turris, & quà præbet, ſi remos demittat, aditum quinqueremi, continenti jungit. Ibi levis tumulus argilloſus (Carababam vocant); unde per trecentos paſſus ad pontem via. In eo caſtellum, quod dudum memoravimus, Barbari triquetra forma conſtruxerant; indeque cuniculum ad ipſum pontem deduxerant, vivo cavatum topho, ne deſcendentes milites maritimis hoſtium tormentis ſeſe aperirent. Urbem ipſam ſuburbiaque novo atque alto per inæquale ſolum vallo & foſſa cinxerant, arcendo longius hoſti, objectiſque machinis territando. Utriuſque auctor operis Hjeronymus Galoppus Vaſtallenſis; quem non ita pridem Chriſtianæ Religionis Venetæque militiæ deſertorem perditi mores, iraque ex acceptis injuriis in præceps dederant, magno Turcarum beneficio; quippe cujus arte nunc plurimùm Chalcis ſteterit. Adeo hujuſmodi ingenia aut dimovenda ne noceant, aut leniter ad virtutem bonamque frugem excitan-

Urbis ſitus & munitiones deſcribuntur.

Novum additum vallum.

Deſertoris conſilio & arte.

Qui iſte fuerit deſertor.

Digitized by Google

1688. tanda. Fretum iſtud, Euripi nomine, celeberrimum ob inconſtantem reciprocandi periodum; quæ tam diſſimiliter priſcis recentibuſque literis renunciatur, ut ipſa narrandi varietas falſi, quæ dicuntur, redarguat. Cæterùm ea frequentior, quàm alibi, reciprocatio, nonnunquam frequentiſſima nulliſque obſtricta legibus, non naturæ arcano, ut vulgò creditum, ſed ventis e diverſa Cœli regione flantibus adſcribi debet, qui tot per id locorum promontoriis & montium anfractibus ſæpius repercuſſi, in tantis ibi pelagi anguſtiis fluctus modò huc, modò illuc agglomerant demittuntque. Id ne veteri quidem ætati ignoratum fuiſſe, Romanæ princeps Hiſtoriæ fidem facit; quem mira eloquentia in libro XXVIII. rem deſcribentem referre juvat. „ Ex

Euripi natura, & unde ibi fluctuum varietas.

„ patenti, ait, utrinque coactum in anguſtias mare,
„ ut ſpeciem intuenti primò gemini portus, in ora
„ duo verſi, præbeat. Sed haud facilè alia infeſtior
„ claſſi ſtatio eſt. Nam & venti ab utriuſque terræ
„ præcelſis montibus ſubiti ac procelloſi decidunt;
„ & fretum ipſum Euripi non ſepties in die, ut fa-
„ ma fert, temporibus ſtatis reciprocat; ſed temere in
„ modum venti nunc huc nunc illuc verſo mari,
„ velut monte præcipiti devolutus torrens, rapitur.

Mille ab oppido paſſus Veneti idoneo ad vineas agendas loco, ſed incommodo Cœli gravitate, caſtra locaverant. Extemplo in milites non gregarios modò, ſed præfecturis & genere nobiliores vulgata lues. Illic tamen fatali quadam incuria perſeveratum; quam-

Veneti caſtra locant ubi peſtilens aer.

Quo ſtatim plurimi abſumpti.

quam

quam nondum perfecto obſidionali vallo quatuor plus millia morbus corripuiſſet. Ea calamitas Konigſmarchi ſententiam de aggere ad exteriorem hoſtium munitionem ducendo, ipſaque prius aperienda machinis, ut minori militum ſanguine ſuperari poſſet, funeſtam reddidit. Plures enim tabes abſumpſit paucis lenti operis diebus, quàm repentina apertaque irruptione ferrum abſtuliſſet. Et cædem iterati ſæpius Turcarum impetus cumularunt. Erant in oppido quater mille quingenti legionarii, delectumque civium ad mille quingentos habuerat Muſtaphus prætor; qui quotidie erumpentes quidpiam delebant aggeris, nec ſine mutua cæde cum hoſte congrediebantur. Hæc quamquam ab reficiendo promovendoque vallo Venetos non retardarent, cùm tamen proſpero eventu ſuccederent, oppidanis addidere animos, ut ingenti ſub ſignis agmine ad eos proturbandos rurſus prodire conſtituerint. In id ſubmiſſis recentibus auxiliis auxit Iſmail ipſorum vires, minutis aliquantum præliis debilitatas. Bis mille pedites, quadringenti equites bifariam diviſi, prima luce duo capita militaris aggeris adoriuntur. Tacite progreſſi, ſtationes negligenter excubantes & ſomno captas ſtrictis gladiis improvisò impellunt contrucidantque. Ad tumultum gemitumque morientium fit paſſim fuga ex interiori vallo, & aliquæ ad ejus angulos deſertæ munitiones. Primam inſequentibus injecit moram propugnaculum, continendis machinis excitatum; quod, cum altiori tumulo ſe-

1688.

Ducendo aggeri tempus terunt.

Quantum in oppido præſidium.

Frequenter in Venetos erumpit nõ ſine felici eventu.

Factus ab oppidanis ingens impetus deſcribitur; qua varietate, & quo ſucceſſu,

Ubi & quomodo refrænatur.

1688. ſeſe extolleret, repreſſit difficiliori aſcenſu tranſilientium conatus, deditque ſpatium Joanni Matthæo Bembo, illic cum imperio excubanti, armandi præſidiariis loricam, deturbandique hoſtes, corpore adeo conniſos ut in altum jam prope evaderent. Interea ad atrox periculum e diverſa moverant parte Henricus Harcurtii Princeps cum globo honorariorum militum, Sparus cum Baraita legione, Marovilus alba ſignatus Cruce (utrique pro legato) cum una Melitenſium cohorte, Corboniuſque Marchio cum aliquot turmis equitum. His Thraces aggreſſis, dira exoritur pugna; qua diu acriterque pugnata, novæ circùm ingruenti multitudini, quæ continuò ſubmittebatur, ceſſere Barbari, facta relataque invicem quingentorum ſtrage, nec paucis utrinque vulneratis. Cùm ita plures quotidie ferrum, & aeris vitio ingraveſcens valetudo libithinæ daret; veritus Maurocenus, ne ſuis copiis in dies imminutis, oppidanis recenti auctis ope, ab obſeſſis verteret in ſe periculum; ad primam rediit ſententiam, dimiſſo ducendæ vineæ labore, aperto in objecta munimenta corpore milites immittendi. Ergo ex omni exercitu octo integra adhuc valetudine armatorum millium delectu habito, ex omni claſſe quot plurimos potuit navalium ſociorum, additiſque prope mille ducentis, quos tunc Venetiis Vittembergenſium Princeps opportune adduxerat, rem ſic gerendam inſtituit. Quinque locis Turcæ vallum, ubi in tenues erigebatur colles, muralibus tormentis validioribuſque pro-

Prorſus reprimitur, & a quibus.

Quanta utrinque cade.

Maurocenus ſtatuit vallum invadere.

Facinoris ordo narratur.

propugnaculis tutabantur. His ſingulas objecit acies. 1688.
Ab dextera, quà mari ſupereminet litus, Venerius e ſua claſſe nongentos admovere juſſus. In proximum tumulum (Marabutum vocant), quia gemino inſeſſum caſtello, Melitenſibus Baraitæque legioni bifariam diviſis: illinc haud longe Hetruſcis cum Michaelis Angeli Furietti legione & aliquot Illyriorum cohortibus; in valli caput ad lævam mille & quingentis nautis irrumpendum erat. Cuilibet agmini ſubſidiarium alterum conſtitutum. Reliquus exercitus ſub ſignis inſtructus, ubique facturus metum, quia, quò ſe inferret, incertum. Perfugis admonentibus, Venetorum conſilium tempeſtive Barbari tenuere, acceptiſque proinde recentibus copiis frequentiores ad pugnam ſe comparaverant. Rebus ita compoſitis, luce prima datur ad promovendas acies ſignum. Ingenti miſſilium procella Veneti excipiuntur, quæ plurimos ſolo ſtravit. Eò citius, ne ſecundis telis darent tempus, promoventur. Actutum vallorum ſepem divellunt, & ſcandunt aggerem. Turcæ omni jaculorum genere obnitebantur non ſine felici eventu; fracto ſiquidem ingruentium impetu iiſque in foſſam propulſis, quò, quicquid mortiferum ad manus venerat, congerebant. Sed illi collectis animis tanta rurſus audacia ſe ſe intulere, ut vacillarint Barbari, mox igne & ferro coacti tranſilientibus ſpatium dederint. Primi in hoſtium munitionibus Hetruſci ſtatuere ſigna; victoriæque, ſublato clamore, plaudentes, cæteros

Turcæ prius moniti, ad hoſtem repellendum ſe inſtruunt.

Pugna deſcribitur.

Turcæ impelluntur.

1688.

Etruſci primi intra vallum.

in æmulationem incenſos ad ultimas exerandas vires extimularunt. Nec ita multò poſt Melitenſes, deinde reliqui intra munimenta æquo Marte conſeruere manus. Atrox illic tenuit pugna. Qua Turcæ impulſi, ordine tamen dilapſi in ſuburbiorum ædes aliaque difficiliora loca, ſe adhuc in fugam non conſternabant. Verùm facta equitatui via, Corbonius Marchio adversùs ferocientes patenti loco agitari equos imperat. Quamobrem undique ferro & tumultu oppreſſi; dum curſu ad oppidi portam ſe proripiunt; in idipſum, quod fugiebant periculum, ſeſe induerunt. Nam, ne ſimul Veneti admitterentur, excluſi. Dum, quà poſſunt, pedibus ſibi conſulunt; partim gladiis, partim Euripum ingreſſi fluctibus hauriuntur. Flamma domibus injecta reliquos diſſipavit. Stetit Thracibus ea pugna mille quingentis; in his mortem dimicans obiit Iſmailis ſupremi armorum præfecti filius; dimidium Venetis. Quàm acriter certatum fuerit, vel exinde compertum eſt, quòd ducum aliqui, & Princeps Turris Alverniæ, & alii patritio genere, hoſtibus ferociter immixti, vulnera retulerunt. Doluit plurimùm Hjeronymi Garzonii mors (quod veræ virtutis indicium eſt); viri omnium conſenſu ob res bello fortiter geſtas, utilemque reipublicæ navatam operam probatiſſimi. Venère in ipſorum poteſtatem quinque pyrolmi, undequadraginta murales machinæ. Hinc tamen haudquaquam Thracibus infracti animi; quin poſtridie, facta mille quingenum manu, in primas ho-

Inſtauratur pugna.

Veneti vincunt.

Turcarũ clades, & unde aucta.

Quo numero Veneti necati.

Aliqui illuſtri ſanguine vulnerati.

Præſidiarii rurſus in hoſtem erũpunt.

ſtium

ſtium ſtationes, incaute ſe aggere circumcludentes, 1688.
adeo ferociter intulere ſigna, ut fuga ab Hetruſcis inceperit; & reliqui jam diſperſis ordinibus non ſe tenuiſſent, niſi extemplo Vittembergenſis, Horſchiuſque recentes aliquot peditum cohortes, Corbonius equitatum induxiſſet; qua illi ope reſtituti, Turcæ redire viam coacti ſunt, trecentis ſuorum deſideratis, hoſtium majori clade. Ne iſtud quidem Maurocenum, belli vices nimis expertum, movit. Minus autem, diverſo ne conſilio inſiſteret oppugnationi, nutare viſus; vel quia ſerò, non ſuffecturis, quæ adhuc ſuppeterent, copiis ad præcidenda auxilia; vel fortunæ ex præterita felicitate nimiùm fidens; vel metu famæ, ſi error, ſe fatente, negari amplius non poſſet. Milites tantùm caute & vallo tectos ad mœnia ſuccedere, & quatuor in litore maxima tormenta conſtitui juſſit; quæ perpetuò adversùs pontem jacularentur, impedirentque ſauciis ex urbe in Iſmailis caſtra, hinc novis ſubſidiis in arcem viam. Quamquam proventu fere nullo, incertis nocte, eluſis die raris ictibus. Jam verò ad duo majora propugnacula agebantur vineæ, concuſſaque duobus & triginta curulibus machinis quidpiam ruinarum fecerant. Animus erat, per ſiniſtrum in urbem irrumpere; dextero in ſpeciem & diſtrahendis hoſtium viribus minitari. Interea turrium altera prope lævum propugnaculum ruinam fecerat, non tamen ut per illam juſto agmine adiri poſſet. Quamquam Valerio Uberi pro centurione, per rimas pedibus

Felici ſucceſſu.

In oppidum detruduntur.

Maurocenus oppugnationis normam non mutat, & quare.

Veneti ad irruẽdum ſe comparãt.

1688. bus manibuſque conniſuro expedito militi non ardua viſa fuerit; cùm præſertim nullo tunc eam munitionem detineri præſidio conſpexiſſet. Re delata ad majores duces, poſtulatiſque ad tantum facinus quinquagenis non amplius ſociis, dantur illico, nec vano eventu. Oppidi angulum, ut occultius incederent, circumvecti; expectatoque dum æſtus recederet, in foſſam deſcendunt. Qua, inundantibus ad cervicem aquis, trajecta, Uber ſe prior extollit per hiantes lapides, reliqui ſubſequuntur; ingreſſique aperta murorum, evadunt in ſuperiorem fornicem, ſtatuuntque ſignum. Ad ejus conſpectum ſubſidiaria legio, quæ ſenſim ad irrumpendum, ſi res bene cederet, promovebatur, certatim inſiſtens monſtratum iter; quaſi urbis præda, ne præriperetur, ſingulos inſtigaret; prohibuit aditu priores milites materiam geſtantes ad turris muniendum interius, quod in urbem patebat, latus. Tametſi nihil iſtud ad rei ſummam. Nam locus retineri haudquaquam poterat, utpote obnoxius interioribus telis, & aliis circumſeptus munitionibus non dabat in urbem viam. Ad Venetorum verò perniciem non parum valuit. Nam Turcæ illuc extemplo verſis pyrobaliſtis tricenos in turris faſtigio; ſubeuntium, ſeſeque impedientium, centum nece, trecentos vulneribus affecerunt. His Veneti aliiſque præliis, cum nulla eſſet ab erumpentibus quies, quotidie decerpebantur. Augebant ſtragem librata e muris tranſque Euripum tormenta. Nam vineæ imperite du-

Tenui prius agmine turrium altera tentatur.

Occupatur.

Illuc irruunt ſubſidiariæ Cohortes.

Hinc tumultus & rei difficultas.

Comperiunt nullum illinc aperiri in urbem aditum.

Ibique plures trucidátur ac vulnerantur.

Venetorum multi pereunt ex affecta valetudine.

ctæ

ctæ parum ærumnoſis militibus præſidio erant. Cumulum addebat morbus, qui non gregarios modò, ſed minores majoreſque duces atrociter populabatur. Omnium luctu deceſſerat Konigſmarchus, dira conſumptus febre; Horſchius ægrotabat. Quocirca rei militaris cura ad Vittembergenſem penitus pervenerat, imparem nondum provecta ætate, ſimul abnuentem, conſilii ſpecie, alienæ ſubjici voluntati. Nulla dirigendi muniendique valli peritia, præfectis fabrûm ab opere diductis vulnere aut improſpera valetudine. Exercitus, quamvis dudum cum millenaria legione Darmſtadii Princeps Venetiis advenerat, ad ſex millia redactus. In tanta rerum calamitate unus invictus Ducis animus; cujus, aliquando præſentis, auctoritate, & quà minis quà præmiis excitati milites vallum per vulnera & cædes perduxerant ad foſſæ labrum. Ibi octo erectis muralibus machinis lacerabant ſurgentis ad lævam majoris propugnaculi mœnia, congerebantque materiam ducendo per foſſam aggeri. Verùm ars operi non ſuppetebat; atque oppidani adverſam muri loricam cubitalibus cavis ab imo ad ſummum aperuerant, quà impunè miſſilibus molientem hoſtem petebant. Quin ducto ad evertendas machinas cuniculo, quamquam fefelliſſet locus, pavore diſcedentis propius humi ſtationariis disjectis, tres illarum corruperant. Nec ulla intacta manſiſſet, ni territando increpandoque reddidiſſet fugientibus animos, in hoſtemque retraxiſſent, mox quoque ad frangendum irrumpentium impetum

1688.

Qua Konigſmarchus deceſſit.

Graves in ipſorũ exercitu difficultates.

Aggerem tamen producunt.

Aliquot Venetorum machinæ vi pulveris tormentarii corruptæ.

Illis initur pugna.

1688. tum rurſus concitaſſent Veinsfeltii Comes, atque inſtructor legionis Æneas Ripetta, quorum tum illic imperium erat. Plures utrinque abſtulit ea pugna.

A qua demum Turcæ recedunt.

Sed luctuoſior in tanta præfectorum penuria Venetis accidit Corbonii mors, fortis ac ſtrenui viri, telo e machinis interempti. Iam autumnus inceperat, commeatumque Auxiliares petebant, longa ad ſuos navigatione redituri. Primi diſceſſere Hetruſci, trecentis, quotquot e ſua legione ſupererant, relictis militibus cum duabus actuariis navibus. Non ita multò poſt Melitenſes; egregia ab utriſque navata opera, plurimo ſuæ gentis & Cruce ſignatorum ſanguine. Nihilo tamen ſecius ſe ſe in urgenda producendaque oppugnatione Dux obſirmavit, quamquam noſſet auctas per eos dies hoſtium copias, ſuas imminutas. Nam maris præfectus quidpiam ſupplementi cum tredecim quinqueremibus per Maliacum Sinum Turcis advexerat. Ergo ut extremam tentaret vim, quicquid ad eam exerendam foret opus, parari juſſit. Vehementius machinis mœnia concuti; oppoſitum muris aggerem ita ſuſpendi caveis, ut nitrato ſubverſus pulvere in foſſam rueret; ad quam etiam æquandam faſces & lanæ ſaccis præſto eſſent. Fervebat opus, & milites ſupplebant animo vires, ſpe: tot denique ærumnis ita ſe finem impoſituros. Jam reliqua e ſententia proceſſerant. Aries ſolùm, an ſatis ad irrumpendum nudaſſet mœnibus duo ad dextram lævamque in oppidi angulis propugnacula, ambigebatur. Maurocenus moræ impatiens, & quia cu-

Quot & qui illic necati.

Auxiliarium Quinqueremes diſcedunt.

Maurocenus extremam vim parari jubet.

1688.

Irrui quoque in concuſſa propugnacula, quáquá non ſatis adhuc aperta.

Summa illius peritiæ in aggreſſionis norma conſtituenda.

Quæ illa fuerit.

cupiebat, facilè credidit affirmantibus. Itaque non ultra cunctandum ratus, IV. Id. Octob. ad rem gerendam conſtituit. Omnium conſenſu in iis rerum anguſtiis nihil militaris artis, nihil ſagacis conſilii ab eo prætermiſſum, quo expugnandæ urbi viam ſterneret. Dalmatas, Epirotaſque in primo utrinque locavit agmine. His ſubſidiariæ legiones datæ. Mille quingentis conſtabat quæ ad ſiniſtrum latus, ubi acrius & ſpe & impetu pugnandum erat, mixta Italica Germanicaque gente, Darmſtadii Principe & Spari Barone ducibus; quæ ad dexteram, decem centuriis; iiſque Joannem Aloyſium Magnaninum præfecit. Quicquid reliquum, ſub ſignis inſtructum, extra telorum conjectum medio ſe tenuit ſpatio. Ad terrorem augendum auxerat numerum, educto majorum navium præſidio; e piratarumque biremibus ſexcentûm delectu habito, quingentûm ex omni remigum colluvie. Decem quinqueremes Alexandrum Bonum Adriatici Sinus præfectum ex inferiori Euripo, e ſuperiori Venerium lembos ſuarum navium ad continentis litus appellere juſſit; ſpecie adversùs Carababæ caſtellum, ne illinc auxilia Chalcidi ſubmitterentur, deſcendendi. Horſchius Branſuicenſium Principi, ſummum tunc gerenti armorum imperium, licèt morbo adhuc affectus, adeſſe exoratus. Mutonus & Baſſignanus præfecti Fabrûm nondum & ipſi confirmata valetudine, machinis operiſque. Dato ſigno, Illyriorum acies ad lævum propugnaculum magno procedit greſſu; nec eam mo-

Pugna ad lævum propugnaculum deſcribitur.

1688. ratur ſupereminens aggeſtis ruderibus aqua umbilico tenus in medio foſſæ. Ea ſuperata loci iniquitate, major altera ſeſe obtulit. Altiùs quàm ad pervadendum paterent, mœnia ruinam fecerant; nec abruptus modò aſcenſus, ſed plane impervius. Dum hærent inopinata re ſtupidi, tanta undique in ipſos telorum & ignis ingeſta vis, ut locus ſanguine & cadaveribus exhorruerit. Periculo efferati ad turrim, ſuperioribus diebus Uberis ductu captam, quæ in proximo erat, ſe circumflectunt; vacuam conſcendunt, nec ita multo poſt jaculis obruti non ſine plurimorum cæde dejiciuntur. Accurrerant ſubſidiarii, illinc in urbem, quodcumque vel extremum foret diſcrimen, ſe demiſſuri. Repetunt locum; oculis præcipitem deſcenſum metiuntur; aditum, quà progrediantur, luſtrant. Nullus niſi per interiores muros aperiebatur; & illic ſi moram traxiſſent, eos penitus glande confectum iri, patebat. Fuga proinde ſibi conſulunt, quam vulnera & cædes ſunt conſequuta. In vallum regreſſi, quicquid ibi armatorum in acie ſtabat, implicant metu ac tumultu. Ab altera parte moverat ſub idem tempus dextrum agmen. Aſperior iſthic foſſæ trajectus; nuſquam ſuperante aquas aggeſta humo. Nihil tamen, quin impavide ingrederentur, Illyrios tenuit. Tunc iis cecidere animi, cùm progreſſi ad mœnium ruinas, collectas vident arduo & abrupto cumulo, ac turris hjatum interjectis arborum truncis terrenoque aggere impeditum. Ancipites quid agerent, vixque non terga dantes

Infelix Venetis pugnæ exitus.

Pugna itidem ad dextrum propugnaculum deſcribitur.

An-

Antonius Medinus ipſorum ductor retinuit, increpitoſque ſublata voce impulit ut ſecum irent. Quid enim, inquit, pecudum more jugulum dabitis indefenſi, inulti, ludibrio habiti? Eo loci ſumus, ut prope de vita deſperatum ſit. Mortem pugnando oppetere, forti viro fortaſſe non injucundum, certe glorioſum eſt. Sentiat hoſtis, noſtra quid poſſit virtus; Veneti, quid noſtra fides. Hæc loquutus, exequenſque opere dicta, ſeſe in tumulum erigit. Redeunt exemplo cæteris animi; elato clamore proſequuntur, nec ſiſtunt pedem, quamquam tricenis ad primum congreſſum telo necatis. Suppletis ordinibus ad trabes ſuccedunt. Ubi quidpiam illæ inter ſe prominebant, ſuſpendunt corpora, nituntur, ſubeunt, ac denique ſummum tenent. Atrociter dimicabant; ſed nequicquam impreſſionem dabant, hoſte conſtipatis ordinibus obnitente. Promiſcua ibi cædes; & jam Dalmatæ rareſcebant, nunquam ab ſubſidiariis ſuppleti. Hi enim timidi, non ſine præfecti nota, conſtiterant ad foſſæ marginem; & Dalmatæ, qui jam ad paucos redacti fuerant, ſuis magis quàm hoſti iratis ſe tandem ſubducunt, remeantque cum ſubſidiariis in vallum iter. Inter hæc nauticus apparatus grandi tubarum tympanorumque ſtrepitu ad continentem appulerat, nullo Turcarum metu (quippe qui dolum compererant), multo invicem ſuorum damno. Quinqueremes enim cùm diu remis ſuſtinere impetum velociſſime fluentis per eas anguſtias Euripi non ſatis poſſent, torrente in adverſam ur-

1688.

Atrox Venetorum periculum.

Illyriorum ſtrenuitas.

Recedunt.

Nautico apparatu quid geſtum?

1688.

Quinqueremes intra bombardarum conjectum, fluctuum vi abreptæ, ac telis diſciſſæ.

Quot in eo prælio Venetorũ, ac Turcarum necati aut ſaucii.

Hinc Venetorum fracti animi.

Maurocenus tamen de traducenda ibi hyeme cogitat, & quo id conſilio.

Huic propoſito majores duces repugnare non audent.

Milites aperte contradicunt.

Maurocenus diſcedendi conſilium capit.

Ingens Græcorũ inſolarum turba abducta.

Quorum plures a Turcis in litore necati aut verberati diſperſique.

bem abreptæ, bombardarum telis, fœda hominum armamentorumque laceratione, perculſæ disjectæque ſunt. Hic finis eo die pugnandi fuit; quo cæſi Venetorum mille, totidem fere ſaucii. In his Darmſtadii Princeps, Sparique Baro. Turcarum longe pauciores. Venetos dira clades non fregit ſolùm, ſed irritavit; viſa in tantis rerum difficultatibus conſultò quæri. Attamen Maurocenus ingenita quadam magnanimitate, & ut ſunt, qui longam experti felicitatem, nimiùm fortunæ credunt, de traducenda in Eubœa hyeme, muniendiſque circa Chalcidem itineribus cogitabat; ratus urbem, reficiendis mœnibus prohibitam, ſuppletis interea ſuis legionibus, redigi tandem in poteſtatem poſſe. Quæ a majoribus ducibus ſilentio audita; non auſis, ut fit, Principi & Imperatori ſeſe objicere; magnum gregariorum murmur excitarunt. Nam rarus in multitudine dicendi metus aut adulatio; tantæque ſine commeatu abeundi invaluere voces, ut Dux de varianda ſententia non dubitarit. Itaque præmiſſis machinis, impedimentis, ægrorumque turba, vix quatuor armatorum millia integris adhuc viribus conſcenderunt. Abducti & græci nominis incolarum ad quinque millia; qui gnari: apud iratos dominos ſervatam dubiis in rebus fidem probari difficulter poſſe; ſolum vertere, quàm vitam in patria ſolicitam ærumnoſamque degere maluerunt. Plures ad litus concurrerant, ſed erumpentibus oppidanis ferro ac verberibus diſſipati. Quo tumultu dum quiſque

tranſ-

1688.

Ingens in ea expeditione a Venetis clades accepta

Quot Turcarum perierint.

Senatus Veneti constantia.

Mauroccnum literis consolatur, jubetque magno animo eſſe.

Konigſmarco ſtatuam decernit.

tranſvehi adnititur, non parum diſcedentibus periculi aut damni acceſſit. Claſſis in Peloponneſum ſolvit, Naupliæque hibernavit. Tentatum facinus ſtetit Venetis duodecim Mortalium millibus, quà ferro quà morbo deletis. Turcarum ad ſex millia periere. Nunquam hoc bello tantum Reipublicæ conſumptum auri ac militum. Nunquam deinde, quantum amiſerat, inſtauratum; areſcentibus pecuniæ venis, impeditoque ob externa, quæ mox exarſere, bella peregrinorum delectu. Nihil tamen Senatus reliquum ſibi fecit, quo afflictis rebus ſuccurreret; ejuſque in primis prudentiæ fuit, datis ad Principem literis levare ipſius ægritudinem, quam illi obita calamitas infauſtuſque rei exitus invexerat. Memor ſiquidem: ingentes animos ſua ſponte errati pudere, objecto irritari; hinc autem deprimi ipſis virtutem; illinc ad ſarciendum ſplendidiori aliquo facinore acceptum gloriæ detrimentum vehementiùs erigi: Maurocenum eſt adhortatus ut res præclare a ſe geſtas, non hanc præſentis fortunæ malignitatem reſpiceret. Nec minus cæteros excitavit collatis præmiis, atque illo Konigſmarchi meritis ampliſſimo, ejus memoria, ſtatua gloriæ titulis inſcripta ad celeberrimi Navalis aditum, poſteritati commendata. Quæ dum in Eubœa geſta ſunt, in Dalmatia Cornelius Imperator, ubi novit Illyricum Turcicæ militiæ robur in Hungariam profectum, eductis aliquot legionariorum cohortibus, popularium pluribus ad ſigna vocatis Ardubam, infeſtam

Si-

1688.

Cornelius in Dalmatia Ardub.m invadit, & quibus Copiis, apparatuque. Oppidum deſcribitur. Quo præſidio teneretur.

Sibenici, Jaderæque finibus, cum octo armatorum millibus, duabus ſupra triginta machinis, oppugnatum pergit. Oppidum cuneato inſidet tumulo, triplici ſeptum muro, tenui munitione. Inferiorem Titius alluit, unde incolæ aquantur. Ibi Atlaglicus paullo ante Boſniæ prætor, ob infauſtam Singi expeditionem exautoratus, cum quadringentis militibus præſidio erat. Vixdum ariete incuſſo, poſtrema circumducta collis radicibus lorica ruinam fecit. Nec mora irrupere Dalmatæ, ignari, quæ ſibi e ſuperiori muro procella impenderet; qua centum illico ſupra octoginta morte aut plagis multati, reliqui in fugam acti. Non diu tamen Barbari ſe tenuere. Namque admotis ad alteram loricam tormentis, ejus extemplo ſtrages edita; impeditaque ſimul aquatione, Atlaglicus cum præſidiariis facta deditione ſervituti addicitur. Centum & quinquagenis Chriſtiani nominis libertas reddita. Et aliqua circum oppida ſe dedidere. Inde Cornelius Citclutum ſupra Naronam amnem progreſſus, valido firmatum præſidio reperit. Cùm itaque jam ingraveſceret autumnus, corrumperetque pluviis itinera, Illyriis domum, legionariis in hiberna dimiſſis, Spalatum rediit. Senatui ea nec læta expeditio fuit, cùm majorem allaturam proventum exiſtimaſſet; nec grata, quòd alibi fruſtra aut minus commode occupatum tempus non deinde ſuffeciſſet Popovæ Trebiniæque, ut mandaverat, ſubigendis; parvi quidem momenti oppidis, & aliquo ſolùm turrium munimento protectis; ſed quæ

Dalmatę per ruinas incedẽtes magna excipiuntur cæde.

Paullo poſt oppidum deditur.

Prætor & Præſidiarii ſervituti addicuntur.

Cornelius Citelutum tentat.

Sed fruſtra.

In hyberna diſceſſit.

Res in Dalmatia geſtæ a Senatu parum probatę.

Quid illic geri voluiſſet.

quæ Senatui ſuſpicionem moverant, fore ut aliquando negotium exhibere poſſent. Neocaſtro incommoda, interclufis ab ea parte commeatibus, ferebat eſſe; quos tamen Aſcrivienſis ager, apertumque mare ſuppeteret. Re vera Epidaurios circumſpire in animo habebat, ut excluſos Turcarum ope obnoxios ſibi faciliores ſque redderet; verebaturque, ne Cæſar eorumdem monitu in ea loca ſe inſinuaret e proxima Servia, Boſniaque; quarum alteram, capta per eos dies Alba græca, ſibi addixerat; in alteram, bello ibi feliciter adminiſtrato, non parum penetraverat. Inde verò ex Epidauri portu Adriatico impenderet mari, excitaretque jam obſoleta Regum Pannoniæ jura. Suſpicionem augebant aliena a Venetis Epidauriorum voluntas, Cæſaris legatus apud eos perpetuò conſtitutus, & quòd ſe ſe in ipſius Cæſaris, utpote Hungariæ Boſniæque Regis, fidem & clientelam dederant; fati: urbem regionemque ſuam ejus regni partem, eorum Regum beneficium ſuam libertatem eſſe; quam annua pecunia, ut adhuc a Turcis rerum illic potentibus, ita in poſterum ab Auſtriaca Domo ſe redempturos. Quod Senatui moleſtum acciderat, officiiſque omnibus, inani quamvis conatu, ne reciperentur, contenderat. Cæſari hoc anno longe quàm cæteris Fœderatis meliori fortuna res evenere. Vix inito, Monchatium, nobilis & una reliqua perduellium arx, in ejus ditionem conceſſit. Inerat ibi Tehelii uxor cum Ragotii prioris conjugis filiis & re domeſtica. Nec deerat quantum ſa-

1688.

Epidaurios ſuſpectos habet.

Et quid ſuſpicaretur.

Quid ejus ſuſpicionem augeret.

Viennæ curaverat ne Epidaurii a Cæſare in clientelam reciperentur ſed irrite conatu.

Monchatium in Cæſaris ditionem venit.

Qua de cauſa.

1688. ſatis eſſet præſidii ad eam tuendam. Germani fruſtra oppugnatione tentatam; ne in id rurſus majori, quàm commodum foret, incumberent belli mole; poſitis circum ſtationibus intercluſerant commeatu; ſpe, tandem fame domitum iri. Non tamen frumenti inopia, quod ad ſex menſes ſupererat, ſed argenti, vel potius Tehelianarum rerum conditio, deditionem acceleravit. Milites cœperat obſidionis tædium, conſcios: male huic perduellionis principi tot jam ærumnis perculſo locari operam. Igitur pecunia in ſtipendium cùm defeciſſet, arrepta occaſione turbidos agitare ſermones, nec de tradendo Germanis oppido conticeſcere. Quo comperto Ragotia, quod impedire non poterat, antevertit. Miſſo, qui cum Carrafa armorum illic præfecto paciſceretur; in has conditiones convenit. Præſidium quò velit, ipſa Viennam cum filiis ſub Cæſaris tutela manſuris, pergito; illinc eo invito ne diſcedito. Quicquid fuerit Ragotiæ domus, recipito præter Monchatium & Miclon; quorum deinde, an jure bono ejus fuerint, quæſtio fiat. Quicquid Tehelii, Cæſari accedito. Diploma, vexillum, regium capitis tegumentum, quibus ille a Mehemete Hungariæ Princeps inauguratus fuerat, tradito. Hæc, ſolatium præſentis fortunæ, futuræ ſpem, ne unquam dimitteret; utque ſi oppido cedendum foret, in Poloniam iret; ab conjuge acceperat. Utrumque doluit negatum. Viennam profecta ab Aulæ Proceribus ſalutatur, ejuſque dignitatis habita ratio; ab Regia tamen

Quibus conditionibus.

Ragotia Viennã deducta.

Quomodo illic habita.

tamen abſtinere juſſa. Subſequuta eſt liberûm ab ea disjunctio, ne ex ipſius ingenio formarentur. Et iſtud & domeſticas calamitates forti animo toleravit; viſaque in adverſis rebus ita ſe gerere, ut priſtinam ſuam fortunam oſtenderet, præſentem ferret & redargueret. Monchatio recepto firmatoque non levi militum manu, quæ circumpoſitam regionem dubioſque popularium animos in officio contineret, Carrafa cum paucis reliquis in Tranſylvaniam properavit; gnarus, ni militari licentiæ modum imponeret, rem illic, magno involutam diſcrimine, in apertos denique tumultus evaſuram. Milites enim præter datam fidem inſolenter hiberna tranſegerant, atque adeo rapinis, contumeliis, ſuoque vivendo arbitratu incolas divexaverant, ut hi, cùm orando querendoque nihil proficerent, de ulciſcendis per inſidias injuriis inter ſe conſpiraverint. Ea quoque de cauſa ipſorum Princeps Abaffius clam cum Turcis Tehelioque nova inierat conſilia; miſeratque in Sarmatiam, qui narrando quid actum foret, excitaret ejus gentis in Germanos odium, in ſe miſerationem; feſſiſque rebus quidpiam relaxamenti, auxilii, ſalutis quæreret. Quæ cùm ita ſe haberent, Carrafa, tantam illam animorum acerbitatem veritus ne longius progrederetur, moleſtiamque exhiberet, lenire ſtuduit, inducta ſeveriore in milites diſciplina, juſſiſque civibus eò in meliorem ſe ſpem erigere, quò plura taciti, ſe invito, aliiſque negligentibus, perpeſſi fuerant. Regulo ſimul eadem,

1688.

Liberi ab ipſa abducuntur.

Quo animo ærumnas ſuas tulerit.

Carrafa in Tranſylvaniam properat ad avertẽdos tumultus.

Unde iſtud periculum.

Idcirco Abaffius cum Turcis & Tebelio agit.

Carrafa modum licentiæ militum imponit.

1688. & ſe mox cum majori exercitus parte abiturum pollicetur, dummodo colere ſincera fide Cæſaris amicitiam velit. Hæc enimvero momentum non habuiſſent ad eos placandos, ſi aliena fulti ope acceptas injurias vindicare potuiſſent. At nihil ab Hungaris, fracta jam ſeditione, ſperare poterant. Turcæ inteſtinis diſcordiis implicabantur. Tehelium per eos dies nova clades afflixerat. Dum enim prope Juliam cum tribus armatorum millibus populandæ regioni intentus diverſabatur, Heuslerius illuc ſilentio noctis progreſſus cum ſeptingentis ſagittariis equitibus, pedite ſingulis aſſidente, dubia adhuc luce vix aciem dirigentem impulit fuditque non pauca ipſorum cæde. Ille cum tenui turma ad ejuſdem oppidi mœnia ſe ſubripuerat. Quæ, qui ad eos occultò cum mandatis ierant, in Tranſylvaniam cùm renuntiaſſent; cives, ne malo ſuo tumultuarentur, quievere; Abaffius totum ſe in Cæſaris arbitrium dedit. Pacatæ ſponte ſua ejus gentis provinciæque magnam animo Cæſar lætitiam cœperat. Cùm enim hoc anno ſibi propoſuiſſet Turcicum vehementiùs urgere bellum, & ſi fortuna arrideret, profligare; probe noverat: ſeu dubiis ſeu turbas cientibus Tranſylvanis nec inde copias abduci, & nonniſi abductis collectiſque undique viribus meditatum conſilium felici ſucceſſu explicari poſſe. Id autem ut omni ſtudio complecteretur, ſuadebant & properantes ad bellum Chriſtiani inter ſe Principes, quo prior ipſe petendus eſſet; & domeſtico externoque ictu ruens Othomanorum Im-

Nova Tehelii clades.

Abaffius, cùm nullam opem ſperare poſſet, cum Cæſare amicitiam renovat.

Tranſylvania pacatur.

Cæſar maximo ſtudio urgendum Turcicum bellum ſtatuit, & quare.

pe-

perium; tantuſque Barbaris pavor inditus, ut nullo aut brevi conatu pulſi abirent munitioribus oppidis, recederentque metu potius quàm armis victi; ut Majo ineunte ſpecimen dedit Alba regalis, urbs natura & operibus valida, loco opportuna, nobilis Pannoniæ olim regum ſepulchris, nunc regni poſt Budæ caſum Turcica præfectura. Sedet humili vaſtaque planitie prope Urpanum amnem, cujus late ſtagnantibus aquis circum ſe inductis munitur. Civitas ipſa ducto in circulum muro turribus interjectis, circumfuſoque ſtagno concluditur. Ab ortu & occaſu duplici utrinque ſuburbio, uno alteri adjecto; ſimplici ab meridie cingitur. Horum unumquodque roſtratis propugnaculis, atque alluentibus aquis protegitur. Quocirca adverſus ingentes copias ſe diu tenere potuiſſet. E re non erat majora meditantibus, multum illic temporis & virium terere; abſurdum pariter in hoſtium poteſtate relinquere urbem Budæ inferiorique Pannoniæ perpetuò infeſtam ac minitantem. Medium proinde Cæſar conſilium cœperat: illam, convecto prohibitam, fame ſternere; dederatque Baroni Areyzagæ tribuno octingentos Germanos milites, quibus Ciochachi, Palottæ, atque alibi in gyrum locatis, in rem incumberet. Annonam per hjemem ſuſtentaverat cibi parcitas, & quidpiam frumenti ab agreſtibus pretio corruptis clam per intermedias ſtationes invectum. Verùm ineunte Martio tribus Hungarorum millibus, quos Comes Budianus ductabat, aucto

1688.

Alba regalis deſcribitur.

Iam antea obſidebatur.

Quo militum numero, & quo Præfecto.

 glo-

1688. globo, ac prorſus faucibus interclufis, defecerat adeo ut primùm prætor, ne incommoda validioribus eſſet, imbellem multitudinem, futuram hoſtium prædam, ejecerit; dein cùm cibum reliquis attenuaret, ducenti prætoriani equites ſine commeatu abjerint; nec ita multò poſt oppidani, præſidiariique ferociter queſti vana lactari auxilii ſpe, excidiumque prætori minitantes, illum ut de conditionibus dedendæ urbis conveniret, induxerint. Honeſtæ & quales Agrienſibus datæ. Diſceſſere armati mille, reliquæ turbæ ad quatuor millia. Octoginta in ea machinæ, non modicus belli apparatus, commeatus, qui vix in menſem, inventi. Hujus deditionem excepit Illochum & Petri Varadinum arces, fœde a Turcis deſertæ. Utraque prope Danubium alto difficilique inſidet colle, obſidetque per Sclavoniam iter ad Albam græcam. Ejus expediendi (nam præcipue Albam græcam deſtinaverat invadendam) Cæſar negotium dederat Æneæ Capraræ legato, qui Murſam ad contrahendas ab ea parte ex hibernis copias ſupremum præiverat armorum ducem. Rem aggreſſurus, adulto vere cum valida militum manu in viam ſe dedit. Quod ubi Illochi præſidiariis cognitum, non expectato ejus adventu ſe proripiunt; obſtructis, ne tela poſſent emittere, octodecim machinis ac duobus pyrolmis, fractis quoque incenſi vi bellici pulveris munitionibus, & igne domibus injecto. Dum verò cum omni incolarum multitudine ad tria millia, &, quæ tranſvehi poterat, re familia-

Præſidiarii famē veriti, Prætorem ut urbem Germanis cedat, impellunt.

Quibus conditionibus id factum.

Quot illinc Turcorum diſceſſere.

Illocum & Petri Varadinū a Turcis deſerta.

Earum arcium ſitus & opportunitas.

Quamobrē Germani illas aggredi conſtituerant.

Illocum præſidiarii igne corrumpunt.

In itinere ab Germanis capiuntur, aut necantur.

1688.

liari, iter pedibus faciunt; ab hoſtium equitatu, quem confeſtim Caprara in eos emiſerat, morti aut ſervituti addicuntur. Illochi exemplum ſequuti Varadinienſes, dirutis mœnibus ſolutoque ſuper Danubium ponte ædes inflammant; non tamen ita, ut ſupervenientibus Germanis ſpatium non fecerint ignis a frumentariis cellis prohibendi; ipſi, amne progreſſi, melius vitæ ac ſaluti conſuluerunt. Æneas mœnibus, quantum ſatis eſſet, inſtauratis, Germanorum præſidium utrobique imponit; rurſuſque navali ponte ex adverſum Petri Varadini jungit Danubii ripas; loci monitus opportunitate; quippe illinc in ſuperiorem Pannoniam aditus, & facilis breviſſimuſque trajectus Carrafæ legionibus, mox e Tranſylvania ad exercitum redituris. Inde Comitem Vallium, Baronemque Heuslerium cum ſex equitum turmis, peditum quatuor millibus ſuperare amnem jubet, Tybiſcum oppidum aggreſſuros. Ingentis erat quidem utilitatis, eo capto explicare cognominem fluvium, cujus ad dextram non longius ab confluente in Danubium paſſuum quatuor millibus jacet. Sed æque non parvi temporis, & quod Albæ græcæ oppugnandæ ſpatium obſeſſurum videbatur, illud vi & armis ſubigere. Cingitur enim robuſtis mœnibus; arx ſupereminet; Thracumque octingentorum præſidio cum duodeviginti majoribus tormentis, mortariis ſex, atque omnium, quæ ad bellum victumque pertinent, apparatu tenebatur. Rem ambiguam dubiaſque moras metus expediit. Vixdum Ger-

Petri Varadini quoque igni tradit oppidani, priuſquam diſcederent.

Sed a Germanis extinguitur.

Caprara ibi pontem ſupra Danubium inſtaurat.

Mittit ad oppugnandum Tybiſcum oppidum.

Ejus ſitus, opportunitas, præſidiū

Statim & ſponte deditur.

1688. Germani in conſpectum venerant; ac præſidiarii tradendi oppidi ſermones inferunt; nec multùm altercati, de ſe liberis Albam græcam omni cum re domeſtica dimittendis conveniunt. Quæ dum in ea parte geruntur; Carrafa legatus, ſecum abductis armatorum decem millibus, e Tranſylvania diſceſſerat; firmatis trium millium & quingentorum præſidio urbibus, quæ ad retinendam Principis & popularium fidem validiores erant. Diſcedenti mandaverat Cæſar, ut, quò magis comprimeret illorum animos, Lippam & quotquot in itinere occurrerent Turcarum arces, vi aut metu in deditionem ſolicitaret; ſi tamen haud longa inibi trahenda eſſet mora. Itaque rectà Lippam contendit, præmiſſo Comite Federico Veteranio inſtructore exercitus cum mille equitum ala, qui illinc ſuppetias vetaret. Sed anteverterant Barbari; ad primam adventantium Germanorum famam ſubmiſſis ab Jeno, ac Temeſuario mille quingentis Janizaris. Quo robore confirmatum præſidium ſprevit legati minas, blanditiaſque. Urbs in plano ac fertili campo ad lævam Mariſi amnis viget priſci moris lorica, & fluvio in promuralem foſſam inducto. In medio urbis ſinu arx eminet. Oppidi mœnia opportuna quatientibus erant; primoque die, admotis machinis, duplici loco diſciſſa viam aggredientibus patefecerant; &, qua parte agros reſpicit, faſcibus aut ruderibus æquata foſſa. Agmen poſtridie legatus inſtruxit ad irruendum; ratus, flammam olla incendiaria in ædes illatam, & lon-

Quibus conditionibus.

Carrafa, relicto in nobilioribus oppidis præſidio e Tranſylvania diſcedit.

Lippam petit.

Turcæ in eâ præveneran milites immittere.

Quo loco ſita, & quibus vigeret munitionibus.

Illico diruuntur mœnia.

longe lateque diſperſam, impleſſe oppidanos metu ac tumultu. Verùm extincto, ut poterant, igne ſe ſe ad excipiendos hoſtes reprimendoſque comparaverant. Vidoni Starembergio mille dedit ſelectos milites, qui e campeſtri parte hjatum ſubirent; Marchioni Vobonio pyrochitrophoros Badenſis legionis ut, cùm e campeſtri parte pugna incaleſceret, mœnium ruinas imminentes flumini, parum ut in tuto loco cuſtoditas, aſcenderet. Diu ſpe ambigua ab Starembergii agmine certatum eſt, objecto invicem pari corporum animorumque robore, & ipſis militiæ præfectis inter primos ordines dimicantibus. Neutrò inclinabat victoria; cùm auditus a tergo clamor ſuſpendit primò Turcarum impetum; mox comperto: Germanos, tacite amne tranſvecto, ſuperaſſe illic nullo fere impedimento diruta murorum, urbemque ingreſſos necem ac vulnera ubique inferre; fugam in arcem arripiunt; quò & oppidani ad ancipites pugnæ caſus ſe retulerant. Negotii erat, illam vi & armis ſubigere; omni quippe miſſilium genere hoſtem a ſe dimovebat; nec impunitus erat ſuccedentium ardor. Verùm obruta incendiariis ollis, quæ in anguſto ſpatio & confertiſſima turba atrociter deſæviebant, extemplo cedere coacta eſt. Prætor & bis mille ducenti armis idonei in ſervitutem aſſerti; fœminæ puerique Temiſuarium dimiſſi. Turcarum in prælio ſexcenti, Cæſarianorum centum cecidere. Lippa capta, Semloſum, propinquum oppidum, in deditionem venit. Lugum, miſſo illuc tri-

1688.

Germani oppidũ aggrediuntur.

Quantis Copiis, & quo ordine.

Diu ſpe ambigua pugnatum.

Quam ob rē Turcæ in arcē ſe retulerint.

Eaque tandem deditur, & quare.

Quibus conditionibus.

Quot ibi utrinque cæſi.

Semloſum in Cæſarianorum poteſtatem venit.

1688. tribuno Pace cum agmine quingentum Germanici nominis, octo Hungarorum centuriis; dimiſſo incolumi præſidio portas aperuit. Nec ita multo poſt Karanſebes Veteranio ceſſit, ad ſiniſtram Danubii ripam proficiſcenti; quam cum aliquot cohortibus infeſtam Turcis redditurus erat, ſi fortè Albam græcam, dum obſideretur, ſuppetias adverſo flumine immittere pertentarent. Hæc enim urbs præcipuus, ut diximus, hoc anno armorum ſcopus bellique ſedes, & quò undique militiæ robur congregabatur. Eò namque Tehelius ad Turcas ſe contulerat cum perduellium manu, qua fruſtra Conadium tentaverat, opinatus, dum Carrafa Tranſylvaniæ rebus occuparetur, illud in poteſtatem abductum iri; & unde, vix iter ad eam oram ſuſcipientibus Germanis, convaſaverat. Albæ pariter græcæ ad viginti millia ſuæ gentis locaverat Oſmanus Gengien, ſuprema tandem per ea loca armorum præfectura a Viſirio donatus; ſpe, munus, quod præfervide concupierat, ſtrenue geſturum, dubiamque hactenus ejus fidem, ambitione conſtrictam, retentum iri. Cæſariani, trans Savum ſigna illaturi, in extrema Sclavonia contraxerant copias, auctas, dum Quintilis inciperet, Carrafæ agmine, illuc per Varadini pontem traducto. Magnus inerat horum animis ardor pugnæ, ſuperandæque Albæ græcæ, urbis opulentiſſimæ; acuebatque deſiderium mora, per Cæſaris ambages diu interpoſita. Jam veris initio conſtitutum fuerat, bifariam dividi exercitum, & Lotharingium

Itidem Karanſebes.

Tehelius Albam græcam cum ſuis petit.

Gengien ibi ſuas copias locaverat, & quo numero.

Cæſariani in extrema Sclavonia exercitum conſtituerant.

Eòque Carrafa cum ſuis Copiis advenerat.

(non

(non enim de imperio convenire inter ſe poterant) pecum ſex ac triginta armatorum millibus eamdem petere Albam græcam; Bojoarium cum duodeviginti, hoſtem, qua parte vellet, invadere. Ille paullo poſt Viennæ in febrim inciderat; quæ tamen cùm aliquando remitteret, faciebat ſpem citò convaliturum; & ipſe, ominante vires deſiderio, ſpem cæteris augebat, veritus ne primæ Octoviro darentur partes, quæ ab ſe deinde, reſtituta valetudine, repeti haudquaquam poſſent. Cæſar inter Generum Levirumque medius, Bojoario Albam græcam oppugnandam committere non abnuebat; ſed ita ut Lotharingio, ſi morbus abiret, imperio cederet. Ille conditionem inficiatus, Monachii ſubſtiterat ſaucius animo; quin ſuis legionibus Budam progreſſis mandaverat: figerent ſigna, ſtativaque illic ponerent. Interea procedebat æſtas, & ſine Imperatore exercitus elangueſcebat. Quod cùm rei bene gerendæ occaſionem ingenti omnium dolore prorſus corrumperet; Cæſar ea victus neceſſitate, quæ alienis ſubſidiis indigenti conſilium ac vires minuit, cum Octoviro per Comitem prius Caunitium, mox per Comitem Stratmanum precario egit, ut, remiſſo ſibi, ſeu potius communi bono, inanis gloriæ titulo, armorum imperium ſuſciperet, certus non dimiſſurum. Id quippe jam eſſe anni tempus, eam Lotharingii valetudinem, ut brevi ſe confirmatura non videretur. Belli & acquirendi nominis amor mirifice Adoleſcentis animum occupaverat. Itaque dicto au-

1688.

Lotharingius urbi invadendæ deſtinatus.

Bojoario alibi parte exercitus agendum erat.

Lotharingius febri corripitur.

Cæſar eamdem expeditionem Bojoario offert, quoad Lotharingius convaleſceret.

Ille conditionem abnuit, plura côqueſtus.

Cæſar bis ad eum mittit, ut armorũ imperium ſuſcipiat; ſpe per eam æſtatẽ illud retinendi.

Ea ſpe ſuadetur.

1688.

Ad exercitum pergit.

audiens fuit; acceptoque rerum e ſua ſententia gerendarum arbitrio, accelerata via ad exercitum vadit. Ibi recenſitis copiis, quadraginta Germanorum millia, & aliquot Hungarorum turmas ſecum tulit. Sex pariter Germanorum cum novem Croatorum millibus Ludovico Badenſium Principi attribuit; quibus Boſniam Croatiamque ingreſſus traheret in diverſas partes Turcarum vires, diſtineretque, ne ire Albam græcam ſuppetias poſſent.

Ludovicum Badenſem in Boſniá mittit cum exercitus parte.

Major Pannoniarum legionum pars jam antea Sighetum Caniſſamque, duas reliquas in inferiori Pannonia Thracum arces, circumſederant, ne ibi e convecto laxaret annona jam plus nimio ingraveſcens.

Aliquot Hungarorú legiones Sighetum & Caniſſam obſident.

Bojoarius, admoto ad Savi ripam exercitu, de trajiciendo deliberabat. Amnem ex adverſum Albæ dividit inſula, Cingarorum dicta. Locus injiciendo ponti opportunus videbatur; quippe latiori alveo lenior illic depreſſiorque fluit aqua.

Bojoarius ubi primùm Savum trajicere, ſtudet.

Sed cùm e regione Thraces erecto vallo ſe communiſſent; monuit Caprara: nunquam ſine ingenti diſcrimine, & plerumque magna cæde, in hoſtium conſpectu tranari flumina. Alibi proinde, & ex agreſtium conſilio, qui vada facilioreſque noſſent ripas, quærendum aditum.

Caprara diſſuadet & qua ratione.

Fluvius ad quatuor inde paſſuum millia altis & quietis undis ſuſtinebat curſum, læto ſalictis margine, denſaque ſylva.

Qui locus ad trajiciendú ſeligitur.

Re ab uno. ruſticorum monſtrata explorataque, illuc Octovir ſilentio noctis cum lintribus, quas ad conſtruendum pontem ſecum adduxerat, & parte exercitus iter arripuit; juſſis re-

Illuc plures legiones a Bojoario adducuntur.

li-

liquis legionibus adverſùs inſulam moliri ingenti ſtrepitu, ut in ſe Turcarum averterent curas animoſque. Res tamen, diſpoſitis ubique ſecus ripam ſtationibus, non eos fefellit. Quæ propius tranſgredientibus excubabat, ubi admotis auribus excepit impetum pulſumque remorum, rata, id quod erat, hoſtem tranſmittere, in incertum jaculata, remigibus tantum injecit metum, ut illico inhibentes, reduxerint cymbas, deſilienteſque in virgulta ſe abdiderint. Milites, qui conſcenderant, religatis navigiis, duces quid ſibi agendum, rogabant. Et hi remiges coarguere, &, ni redeant, minas addere. In hac rerum perturbatione Octovir advenit, certiorque diſcriminis factus inclamat: qui remos velit agere, Hungarico duplici aureo nummo donatum iri. Vicit, ut plerumque omnia, pecunia metum. E latebris proſiliunt nautæ, paullo altius ad eludendos ictus inferunt lintres, armatos exponunt, dimiſſaque, ut fit, aſſueſcendo formidine, redeunt, frequentantque alacriter undarum iter. Prima luce tranaverant ad quinque millia; qui ab Comite Aſpremontio inſtructore exercitus, prout adveniebant, diſpoſitis, jacto per gyrum vallo jam prope ſe communierant. Quod ubi Turcis viſum; dato ſigno, quæ reliquæ in proximo ſtationes erant, conveniunt circumeuntque aggerem, ſiqua parte nondum coaluiſſet. Undique telis repulſi, ad Gengienem mittunt opem oratum, ſi putet in hoſtem, non magno adhuc numero nec munimentis firmatum, conandum

1688.

Quid primò trajectum impedierit.

Quomodo a Bojoario expeditus.

Primi, qui tranaverant, vallo ſe muniunt.

Turcorum aliquæ cohortes illos aggrediuntur.

Et repelluntur.

1688. dum eſſe. Ille omnem prope equitatum eò confeſtim ire jubet. Erant duodecim Turcarum millia, ſex Scythici Pannoniique nominis, quos ſeorſum Tehelius ductabat. Hi vallum circumvecti a tergo, ubi informis adhuc agger; Turcæ a fronte a latere ſe ſe immittunt. Ponè ipſum Cæſariani immobiles ſe tenuere; quoad hoſtem, vixdum pyroſcorpionum jaculis interior fuit, ea confodiunt arte, ut, unus alteri ad loricam ſuccedens militum ordo, continuam telorum procellam mitterent, ſtragemque facerent ſubeuntium. Bis terve tentata impreſſio cùm ſemper ingenti damno fuiſſet repreſſa, Turcæ extra teli conjectum ſe retulere; Gengienis, qui cum aliquo peditatu accelerabat, an rurſus ingruendum foret, imperium præſtolaturi. Adveniens cohorruit ad tantam ſuorum cædem; miratuſque, Germanos tam brevi ſpatio excitaſſe circum ſe vallum, e re non duxit, cum iis aggere tectis iterum periclitari pugnam; cùm præſertim recenti milite ſenſim augeſcerent, nec amplius, quin flumen tranſinitterent, vetari poſſent. Itaque nulla mora contracto exercitu, deſertaque ripa viam rediit. Interea Octovir uno die, celerrimo opere, ponte cymbis impoſito Savum conjunxerat. Inſequenti nocte traductis legionibus impedimentiſque, Albam & ipſe pergit. Dum iret, atra latiſſimaque procul ſurgens a terra nubes ſe ſe obtulit. Incendium ſuſpicatus, Principem Eugenium Sabaudium cum ſua equitum legione, quid iſtud rei eſſet, ſpeculatum miſit. Ardebant ſu-

Gengien ſubmittit omnem equitatum.

Qui iterum Germanos aggreditur.

Repulſus ingenti ſtragè.

Gengien cum peditatu adveniens ea ſtrage territus.

Suos Albam græcam reducit.

Bojoarius Savū cum omnibus Copiis tranſmittit.

ſuburbia, quæ in varias diverſique nominis gentes 1688.
diviſa per ampliſſimum ſpatium oppido circumjace- *Turcæ ſuburbiis*
bant. Hæc mœnibus deſtituta (quamquam & ducto *ignem injiciunt.*
nuper a Savo ad Danubium robuſto aggere, & foſſa,
vallorumque ſepe valide cuſtodirentur) Gengien
igne deleta relinquere, induxit animum; incertum
metu an conſilio. Nam cùm altæ molis lorica, vi-
cenis armata, quot ſecum habebat, legionariorum *Cur ea Gengien reliquerit.*
millibus, plures ſe tenere dies ac fortè hoſtium
frangere vires valuiſſet, metu deſerta videri potuit.
Conſilio verò; ſi perpendatur: ea prudenti Impe-
ratori fugienda ſemper armorum diſcrimina, quibus
ſumma reſpublica in incertam aleam committatur.
Nunc autem, ſi Germani, ut non ſemel, ſupera-
to aggere illud barbaricæ militiæ robur, ſpem colu-
menque, ut tunc res erant, Imperii, profligaſſent;
Imperium ipſum gravi fuiſſe periculo defuncturum. *Ejus ad Urbis*
Quicquid in cauſa fuerit; Gengien ad ſe vocato *Prætorem ſermo.*
præfecto urbis Mehemete: hoſtis, inquit, ſeu fata-
li quadam felicitate, ſeu (fatebor enim) incuria
noſtrorum militum, Savum trajecit; nec diu, quin
huc promoveat infeſta ſigna, cunctabitur. Omnes,
ut prohiberem, intendi curas, & quicquid in me
fuit, nihil ejus reliquum feci. Excubiis, ſtationi-
bus, munimentis ripam obſtruxi. Primas, vixdum
tranſgreſſas, legiones toto propemodum exercitu
opprimendas propulſandaſque curavi. Non prima
illata militibus clades, non vallum obſtitit, quin
manus iterum conſererentur. Tandem bis fruſtra

co-

1688. conati ceſſimus non hoſtium virtuti, ſed nobis adverſo & irato Numini; cui quod unquam Mortalium conſilium, quæ vis obluctari queat? Non ideo tamen, te prætore, Albæ timeo; quæ tibi ut pridem in tutelam commiſſa invidiæ fuit, ita nunc ſtrenue defenſa laudi erit. Quicquid ad propugnandas arces requiritur, affatim habes. Ipſe polles militari ſcientia, ingenti animo ac fide. Trium millium ſelectorum militum, omni bellico apparatu inſtructum præſidium adeſt; idque ſatis ſuperque ad tutanda mœnia. Nam promuralia ædificia ut Majoribus noſtris, qui nullis ea munitionibus concluſerunt, neglecta; ita nec nobis penſi eſſe debent; igni tamen non hoſti tradita. Ipſa quoque fortuna urbis, quæ ſæpius fregit noſtros hoſtileſque exercitus, robur addet. Ubi enim magnanima facinora geſta ſunt, quodam ſecreto æmulationis impetu ad eadem gerenda fortes ſimileſque animi concitantur. Simul ad extrema exerenda loci dignitas extimulabit. Enimvero in diſcrimen vocatur oppidum nobiliſſimum, Serviæ caput; emporium conventu nationum celeberrimum, quæ tot fluviis advectæ ſuas iſthic merces diſtrahunt commutantque; arx denique tanto noſtræ gentis ſanguine a Solymano coempta, tanto deinde ſtudio ab reliquis Imperatoribus per centum ſexaginta octo annos diligentiſſime cuſtodita. Fit autem, ut aucto rei ad quam te exerceas momento, utilitatis gloriæque opinione virtus augeatur. Quod ad me attinet; ne videar in tuarum laudum

ſo-

ſocietatem adſcribi velle, ſtatui cum hiſce copiis eò non hinc procul ſecedere, unde hoſtem ſolicitem, & mox collectis imperatis ubique legionibus, quas citò affuturas non dubito, opitulatum revertar. Ita verò & abitu & reditu me tui decoris cupidum fautoremque comperies. Senſit prætor aſtuti laudatoris artem, ſui periculi metum aliena laude contegentis. Tacuit tamen, ne ille proditus verecundiam exueret, majoraque afferret damna. Re deliberata, Gengien Samandriam petiit. Prætor intra mœnia reductis machinis, quæ vallum armabant, illuc & commeatus e ſuburbanis cellis tranſvehere aggreſſus, opus remiſit, monitus maturare hoſtem. Et Incolæ, traducta in oppidum aut ſecum aſportata quam poſſent re domeſtica, properare juſſi. Ad quatuor & viginti hominum millia diverſi nominis, lintribus exceptá, quò tulit caſus, diſceſſere. Quatuor indigenarum millia, qui græco ritu Chriſtiana Sacra ſequebantur, patriæ deſiderium, & dulcis vel in tanta ærumnarum deformitate, aſſueta oculis regio continuit. Hi Principi Eugenio obviam effuſi, tollenteſque in cælum manus, communem religionem, ut miſeris parceret, obteſtabantur. Comperto qui eſſent, in fidem accepti. Miſſi ut a commeatibus, quos nondum corruptos renuntiaverant, arcerent ignem, utilem navarunt operam, laxiore hinc militibus annona. Inter hæc Bojoarius cum omni exercitu advenit. Vallum intranti miraculo fuit opus non exiguæ molis, fœde ab hoſtibus deſertum; capto-

1688.

Samādriā petiit.

Suburbiorum incolæ quo numero diſceſſere.

Qui & quo numere manſerunt,

Hi in fidem accepti.

Ignem a commeatuum cellis dimoverunt.

pto-

1688. ptoque illinc omine citò perituræ urbis, præcidere moras geſtiebat adeo, ut ei nemo agendi celeritate ſatisfaceret. Itaque vix tridui dato ſpatio ad caſtra munienda, expediendumque bellicum apparatum, obſidionalem ad muros aggerem (idus tunc erant Sextiles) ducere inſtituit. In extremo Serviæ angulo ad confluentes Savum Danubiumque brevis extollitur collis; quem, & ſubjectam ad ripas uſque planitiem, occupat Alba græca. Mœnia turribus, vetuſto more, interſepta, per duo latera ad utrumque fere flumen ſuccedunt; inde collem circumeunt; ampla exteriori foſſa muniuntur. Nullus internus agger; ſed turres majora tormenta ferendo ſunt. Pomerio ſub ipſis mœnibus novam interius Turcæ foſſam indiderant, cujus labro loricam circumjecerant armaverantque vallis. In faſtigio arx oblonga tenujoris momenti, ejuſdemque operis, ſupereminet. Arva inæquali ſolo circùm demiſſa; & ad meridiem non modico intervallo aſperiores colles. Abſtulit circumvallandæ urbis laborem ea Turcarum munitio, quam memoravimus. Hinc vineæ per ſuburbiorum ruinas ad auſtralem frontem, quà latius patebat, admoveri cœptæ. Opus, quotidie erumpentibus Barbaris, impediebatur; ſæpius quoque in diſcrimen adductum promiſcua cæde. Procedebat tamen, vires atque animos addente militibus Octoviri liberalitate, minime parcentis auro, dummodo urgerent. Et ipſe frequenter aderat terram molientibus; ejuſque diſcrimine minus ſibi cæteri conſulentes

Bojoarius cum omni exercitu advenit.

Alba græca oppugnatur.

Eaque deſcribitur.

Vineæ ad mœnia ducuntur, & qua parte.

Turcarum frequētes eruptiones.

Octovir foſſoribus nonnumquā adeſt.

tes, ibant alacrius in incertam aleam. Nec abſuit ab eo periculum, icto ad ejus latus Principe Eugenio, quocum accelerandis operibus obequitabat. Fanum in ſuburbiis erat valida ſubſtructione prope mœnia, quod Turcæ facili occultoque ex urbe trajectu retinuerant, indeque in hoſtes educebantur; nec majus aliunde inferebant negotium vallum producentibus. Perculſum falconibus (nam maximæ murales machinæ nondum advenerant) hjatum fecerat; non eum tamen, qui facilem irruentibus daret aditum, ac Thraces ad diſcedendum ſuaderet. Dilatandis ruinis exiliora illa tormenta vix ſufficiebant. Quocirca Octovir corona cinctum tentari juſſit. Atrox ibi nec brevis pugna; major etiam, quàm pro loco, cædes. Sed undique inſilientibus Cæſarianis, &, quà poſſent, tela emittentibus, Turcæ abire tandem coacti ſunt. Agger deinceps, nullo impedimento ductus, citò ad foſſam pervenit; quam dum Germani terra & faſcibus complere ſtudent, tanta in eos ab oppidanis miſſilium procella ex omni parte commota eſt, ut graves audaciæ dediſſent pœnas, ni ſtatim ab temerario incepto deſtitiſſent. Mœnia prius maximis arietibus ſubruenda erant, qui tarda navigatione Buda advehebantur; nudandaque machinis propugnacula. Dum autem Octovirum moræ pertæſum hæc angit cura, major illum altera inceſſit: comperto, Lotharingium, cùm ab eo febris diſceſſiſſet, iter aggreſſum mox affuturum. Subjiciebat ægro animo faces ira proditæ, quam ſibi fecerant, ſpei: nemi-

1688.

Princeps Eugenius vulnus accipit.

Fanum a Turcis inſeſſum moleſtiâ Germanis exhibebat.

Qui illud aggrediuntur.

Ejiciuntque Turcas.

Lotharingius Albam gracam petit.

1688. nem ſe conſortem facinoris habiturum; & iram acuebat dolor tanti in id fruſtra ſuſcepti laboris, erogatæ pecuniæ, obiti periculi. Nihil mollius vociferabatur, quàm adventante Lotharingio ſe cum omnibus ſuis copiis diſceſſurum. Cæſar turbas diſſenſioneſque ominatus, ab Leviro contenderat, ut quiete remiſſiſque armorum curis daret operam valetudini. Sed ille gnarus: facilè ſeneſcere gratiam ſola virtute partam, niſi novis identidem meritis reviteſcat: Albæ expugnatæ participem fieri, e re nimiùm ſua putabat eſſe. Budam progreſſum conſequitur Comes Theodorus Stratmanus, quem Leopoldus felicem non ſemel utriuſque Principis animorum conciliatorem expertus, ad eos legavit. Is Lotharingio ſuadet: nec ſaturi ſuæ gloriæ animi eſſe, alienam inhjare; nec moderati, fructum ex aliorum induſtria capere. Sineret proinde Bojoarii auſpiciis Albam in poteſtatem redigi; ipſe cum parte exercitus extra vallum digrederetur, Turcas, ne opem obſeſſis ferrent, prohibiturus. Ita in ſe captæ urbis decus non ſemel, ſed bis tranſlaturum; primùm, cùm ſe ipſe vicerit, ne facinus impediretur; rurſus, cùm vetitis auxiliis, ut oppidum vinci poſſet, curaverit. Res ipſa præ ſe honeſtatem ferebat; nec conſilii erat, dubii eventus certæque invidiæ aleam ſubire. Itaque facilem in id ſe præbuit; ſimulque Bojoarius conditionem accepit; quin & per literas Lotharingium oravit, ut præſens vellet inſtitutam oppugnandæ urbis formam luſtrare, ſecumque

Hinc Bojoario ægritudo animi, & quam ob rem.

Cæſar Lotharingium ab eo itinere divertere ſtuduerat.

Dum iret, eum cõſequitur Comes Stratmanus, qui rem compoſuit. Quibus argumẽtis.

Et quomodo.

que de communi re conſulentem rebus agendis plu- 1688.
rimum ſententia ſua momenti addere. Advenientem *Lotharingius in Caſtra pervenit.*
officiis omnibus eſt proſequutus. Obviam fuit in
pontis aditu; ad militaria deduxit opera; digeſſit
cum ipſo conſilia; dedit ſe, ut quid copiarum vellet *Quomodo a Bojoario excipitur.*
abduceret. Demum convivio adeo comiter excepit
ut appareret: non æmulationis, ſed honoris ſtudio inter
ſe diſſidere; & Bojoarium favere alterius gloriæ,
quæ tamen non ſua contumelia ſplenderet. Ille
ante noctem cum omni, præter quinas legiones,
Cæſariano equitatu vallo digreſſus caſtra poſuit. Ibi *Statim diſceſſit, quò, & quibus cũ Copiis.*
certior ab exploratoribus factus: Gengienem, oc-
cupata a Cæſarianis utraque Danubii ripa, deſpe-
rantem adverſo flumine ſuppetias obſeſſis immittere,
ab Spenderobi, quam nunc Samandriam dicunt, in *Gengien interius recedit.*
interiorem provinciam ſe retuliſſe; &, quamquam
quatuor Janizarorum millibus Byzantio ad ſe addu-
ctis, minori quàm antea (tanta fuerat ſuorum fuga)
vigere exercitu; ratus idcirco, nihil ipſum motu- *Lotharingius vicem ſuam Dunevaldo tradit.*
rum, ab eoque ſibi ignobile fore otium; dato ſua-
rum copiarum imperio Comiti Dunevaldo pro lega-
to, & ſi quid opus eſſet vigilare juſſo, lentum per *Gracium pergit.*
Sclavoniam (nam iterum febris acceſſerat) iter
Græcium arripuit. Per id prope tempus ſub exitum
Sextilis majores per Danubium machinæ Albam
pervenerant. Confeſtim, qua parte vineæ promo-
tæ fuerant, diſpoſitæ auſtralem oppidi faciem per- *Bojoarius oppugnationem urget.*
cutiendo impellebant. Primùm proſtrata hoſtium
tormenta; mox turrium alteri utrinque adjacens

1688. lorica. Cuniculus quoque illuc inducitur, quo mœnia ad radices evellerentur. Sed eo a præſidiariis ex adverſum aperto, conſilium eluditur. Id moram feciſſet, ni Bojoarius cognito: ruinas arduas adhuc, ſed non impervias ad tranſiliendum eſſe: quid ultra cunctamur, inquit; ſatis eſt aditus ſtrenuo militi, cui injucundum, quod facile; nec ſapit victoria non aliquo labore parta. Dicto plaudunt duces gloriæ cupidi, milites prædæ. Extemplo quiſque dat operam æquandæ foſſæ. Alii faſces, alii terram inducunt. Nullo impedimento creſcit moles. Nam oppidani, ut prohiberent, nec poterant in muris conſiſtere jaculorum metu; nec machinas opponere, dirutis propugnaculis; nec ſigna erumpendo conferre, ne conſumpti levioribus præliis, minus validi propulſuri eſſent hoſtem, cùm ad aperta murorum certandum foret. Stratum æquatumque jam erat iter ad aggrediendum, & ab dextera perculſæ turris quinquagenos paſſus decuſſa lorica; par prope ſpatium ab læva. Itaque ad erumpendum VIII. Id. Septemb. dies indicitur. Prima luce ſubitarium in ipſis ruinis aggerem machinæ diſſipare incipiunt. Eo ſublato, Cæſariani tardo greſſu, ne diſſolverent ordines, pedem inferunt. Duo erant armatorum millia, quæ bipartito agmine primam aciem conſtituebant; totidem in ſubſidiis. Dextro Scarfembergius, ſiniſtro Stenaus, ſummæ rei Serenius Bojoariæ militiæ præfectus imperitabant. Reliquæ legiones propiùs ad mœnia ſuccedere, atque in incertos caſus ſtare juſſæ.

Milites ad irruĕdum hortatur, quamquam diſſicili adhuc aditu.

Milites in id ſe comparant.

Aggreſſionis ordo.

Tur-

Turcæ aperto corpore, quando jam vallum deſederat, patentia ruinis inſtructi obſepiunt. Aderat ibi Mehemetes prætor cum omni fere legionariorum robore; paucis alibi locatis ſtationibus, cùm ſatis intacta mœnia hoſtem arcerent. Ubi ad telorum conjectum perventum eſt, miſſilibus primùm res geſta, mox haſtis pyrochitriſque; ſtrictis denique gladiis inhorruit pugna. Ter novo inducto milite Cæſariani dederunt impetum; ter a Turcis repreſſi; quin & in dextro cornu horribili adeo impreſſione tantaque illiſi cæde, ut vacillaverint. Quod poſteaquam Octovir, qui ſubmittendis auxiliis haud procul diſtabat, animadvertit; animi dolore ac vivido percitus mentis æſtu, illuc rapitur. Diſcrimen adeuntem ingens ſequitur prætorianorum globus. Ille manu & voce expedit ſibi viam, nec niſi progreſſus ad primos ordines gradum continet. Dum iret, milites partim increpat, partim ad pugnam inflammat; & quæ iſthæc, vociferabatur, cunctatio eſt; quæ agendi hæſitatio? Tres jam horas certamus, & nondum vincimus? quamquam præſtemus numero, virtute, felicitate, & hoſti adverſa tamdiu fortuna debilitato non arma ſolùm noſtra, ſed ne conſpectus quidem ferendus eſſet? An ego hanc tardiùs vincendi ignominiam perferam? Inſtaurate mecum pugnam, ac date argumentum, hærere vobis menti decus & vitam Imperatoris veſtri. Mœnia intra ſe claudunt eximias opes. Hæ patent victori, parvi reliqui laboris præmium. Dicentem interrupit ſublatus

1688.

Turcæ obnitūtur.

Pugna deſcribitur.

Octovir ante primos ordines.

Milites in prælium incendit.

1688. tùs ubique clamor, armorumque ſtrepitus. Nam acies, Octoviri exemplo ac dictis extimulata, præcipiti conatu tantaque vi prælium inſtauravit, ut oppidani ab omni parte impulſi conciſique, in interiorem foſſam vallumque ſe retulerint. Ea nova munitio ab inſequendo Germanos tenuit, jam feſſos diutina dimicatione, nec, niſi dato aliquo ad reſpirandum tempore, recens inopinatumque adire periculum ſe poſſe, ratos. Quocirca minorum ducum imperio in ipſis mœnium ruinis materiam ſibi contegendis aggerere connituntur. Octovir ſpeculatus objectæ loricæ tenuitatem, ac ſecum ipſe perpendens: hoſtes, ſi ſpatium daret, collecturos animum, moraturoſque victoriam; & qualemcumque moram plus ſanguinis, quàm repentinum incurſum, hauſturam; coactis circum ſe majoribus ducibus: quin, inquit, nunc rem abſolvimus? Parum laboris, multum diei adhuc ſupereſt. Invitat occaſio; nam facilè, timore impellente, ſemel motos proſternere; & fauſti lætitia eventus vires ac robur auget augendo ſpem. Tumultuarius ne agger mœnia per arduas ruinas, per corporum ſtragem tranſgreſſos cohibiturus eſt? & quos præpilatæ haſtæ non tenuerunt, tenebit exilis circumpoſita margini vallorum ſepes? Cùm caute aliqui agendum, & plurium vitam modico diſpendio temporis redimendam, ſuaderent; ille ſegne averſatus conſilium, fatuſque: ad audendum quem non dicta Imperatoris, exemplum acuat: incredibili audacia in foſſam proruit. Cuncti ad memorabile facinus

Quod magna vi inſtauratur.

Oppidani in interius vallum ſe recipiunt.

Octovir ultro progrediendum cenſet.

Et quibus rationibus.

Ingens ejus facinus.

nus

nus exhorruere; ſimul ejus periculo, tantæque admiratione virtutis concitati, præcipites ſe demittunt, ſubeunt adverſam crepidinem, ſudes vellunt, in ſummam loricam enituntur. Et illuc ſub idem tempus procurritur a proximo ſiniſtro cornu, daturque pugna. Durum in ea quoque parte ad muros prælium fuerat. Utraque acies, recenti ſæpius milite recreata, immobilis veſtigio ſteterat, cumulaveratque occiſorum corpora. Sed ubi Germanis patuit, ab dextro cornu ſuperata fuiſſe mœnia, & Turcas interius ſe recepiſſe; ira & pudore præoccupatæ gloriæ ferociter adeò ſe ſe intulerunt, ut hoſtem, infelici alibi eventu conſternatum, impulerint; mox dejecerint; detruſumque in ulteriorem aggerem, qui jam ab aliis oppugnabatur, ſunt perſequuti. Certamen iſthic non diu tenuit. Nam oppidani tot jam defuncti laboribus, ſuaque attoniti calamitate fruſtra prætoris præfectorumque voce ad arma incendebantur; & Cæſariani proſpero ſucceſſu audaciores urgebant, trucidabantque. In fugam conjectos per vicos & fora inſequuntur; non inermes armatoſque, non viros ac fœminas, quàcumque occurrunt, ullo ætatis diſcrimine a ferro excludunt. Illi metu luctuque alienata mente, quà ſe daret via, partim in arcem, partim in inferiorem urbem, quæ muro ab ſuperiore dividitur, effuſo curſu ſe proripiunt. Alii in ædium penetralia, ſi fortè deferveſceret furor, ſe condunt. At undique invadebat hoſtis. Quippe ad ſtrepitum captæ urbis nudata defenſoribus mœnia

1688.

Cuncti illum proſequuntur.

Prælium ab ſiniſtro cornu pugnatum deſcribitur.

Præſidiarii penitus impelluntur, & in fugam conjiciuntur.

Maxima ipſorum ſtrage edita.

Ubi, & quomodo.

Digitized by Google

1688. nia ab omni parte aditum aperuerant. Qua occaſione Comites Arcus & Rabutinus effractis clauſtris milites induxerant per nundinalem portam; Pinius (ut quæ cujuſque ipſorum ſtationi proxima erat) per Danubianam. Igitur ubique ſtrages, rapinæ, ſtupra, omniaque libidinis crudelitatiſque edita exempla; nec quidpiam prætermiſſum, quo lacrymas & dolorem movet miſerrima victarum urbium fortuna. Alibi fores diffringebantur, alibi incidentes in hoſtem cum multo gemitu dabant jugulum. Si qui per notas deflecterent vias, aliorum occurſu haudquaquam morti ſe ſubducebant. Nox finem ſæviendi fecit. Fama fuit ad novem Mortalium millia ferro abſumpta. Ceſſit militi præda omnis generis opulentiſſima; Cæſari ſeptuaginta majora tormenta, bellici inſtrumenti commeatuumque ingens copia. Prætor, Janizarorumque præfectus cum ducentis quinquageniſque armatis in extremum arcis angulum, muro diremptum ab reliquo munimento, confugerant. Facto deditionis ſigno, Chriſtianorum captivorum turbam ante ſe locaverant; rati eos clypeum, ne ſtatim opprimerentur, ſibi fore; & ſi declinaſſent primum furentium impetum, ſe ſaltem vita donatum iri. Nec opinio eos fefellit. In ſervitutem accepti; Prætor Viennam dimiſſus, Præfectus ab Octoviro Comiti Serenio dono datus; reliqui ſub corona venierunt. Stetit Germanis illuſtre facinus bis mille quingentûm ſuorum vita; in his pugnantes occubuere Comites Philippus Lictenſteinus, Emma-

Quanta fuerit.

Quæ relata præda.

Prætor & pauci alii in ſervitutẽ accepti.

Quanti iſtud facinus Germanis ſteterit.

1688.

manuel Furſtembergius , Scarſembergiuſque , & Auſpergius , & Styrum , & Roſembergius cum Starembergio , ejus , qui Viennam tutatus fuerat , filio. Ad mille ducentos ſaucii , quos inter Princeps Commercius , atque ipſe Octovir leviter malam ictus.

Turcarum Legati Albam gracā perveniunt,

Nudius tertius ab Alba capta ac direpta Sulficarus & Maurocordatus, de quibus jam facta mentio, Solymani regis legati Octovirum convenere. Iter acceleraverant, ſpe:oblatis conditionibus, quibus pax aut induciæ reconciliari poſſent : urbem ab excidio vindicaturos. In id Gengien quoque literis Bojoarium rogaverat, ut quoad legatos audiſſet, ſe ſuſtineret, reputaretque, moram nec inutilem nec injucundam fore . Reſcripſerat autem , ſibi non datam pacis ſed belli curam . Si Cæſarem legati adire vellent ; ut tutò adeant , imperaturum . Accepta fide , Octovirum ſalutatum venerant .

Quomodo & ubi excepti.

Is ad augendam cladis horrore Principis majeſtatem, oſtentandamque ejus armorum potentiam , illos in arcis prætoriam domum adduci ad ſe jubet . Ab vallo per inſtructam aciem dejectaque mœnia oppidum ingrediuntur , peragrantque fœdas ſtrataſque cadaveribus vias .

Quo animo & vultu incederet,

Ibant compoſito ad mæſtitiam vultu , ſed intrepido ; funeſtam cædem ſuorumque calamitatem miſerati potius quàm admirati.

Quos agitarent ſermones.

Quin Sulficarus non e barbarica diſciplina , ſed ipſa in maximis ærumnis docente natura , ſocium identidem admonebat : nil mirum , ſi tot infortuniis plecterentur probra ſuæ gentis ; non enim felicem ſemper eſſe protervitatem . Uno iſto telo & alienis vi-

1688. vitiis, non ſua virtute, inſuetos antea, Chriſtianos vincere. Ubi in Octoviri conſpectum venere, Sulficarus, qui primas agebat partes, illum gentis more paucis alloquitur. Se ſe nuntiatum ad Cæſarem mitti: Solymanum, Mehemete fratre in ordinem coacto, Turcico diademate inauguratum fuiſſe, nec alienum ab ſua dignitate, quin ſuo ingenio inſtitutiſque, pacis non belli cupidis, conſentaneum exiſtimaſſe, legatione officiiſque teſtari veterem Othomanorum cum Auſtriacis neceſſitudinem; quam non probaret a fratre diſſolutam, nec per ipſum fore, quin iterum obſtringatur. Nimis enim expertum didiciſſe, quàm grata hominum generi quies ſit. Nihil proinde charum jucundumque ſibi magis e diuturno, quod egit, otio in ſolium adduxiſſe, quàm pacis alumnas fidem & amicitiam. Utramque, ſi per Cæſarem liceat, exculturum. An verò liceat, certiorem fieri velle. Nam, quòd eximiæ id utilitatis futurum ſit, neminem dubitare poſſe, qui tantam militum feritatem, tantas provinciarum clades aut ſubjiciat oculis, aut animo complectatur.

Sulficari ad Bojoarium verba.

Reſponſum tulit: Quæ de pace, maximo humanorum bonorum, diceret, vera eſſe; ſed ea parum adhuc ſuæ genti (cujuſcumque fuerit culpa) in pretio fuiſſe; atque huc referendos amplificatos ab ipſa nullo juris injuriæque diſcrimine Imperii fines, ſolicitatam adverſus legitimos Principes populorum fidem, perfidiam armis pecuniaque fultam, violatas inducias. Hæc ſi Solymanus infecta velit ſarciatque;

Bojoarii reſponſum.

in-

indolem, quam verbis præſeferat recti honeſtique appetentem, re oſtenſurum. Qua patefacta, nullo negotio cum Cæſare amicitiam, conciliante illam pari quietis ſtudio ejuſdemque voluntatis ſimilitudine, inſtauratum iri. Sed iſta privatim; nam publica auctoritate nihil, quod referat, ſe habere. Secum deinde epulatos Semlinum ante noctem dimiſit; ipſorum libenter obſequutus deſiderio, quibus atrox ſpectaculum dolorem moleſtiamque acceptæ cladis cumulabat. Ipſe dato negotio, ut projectis in Danubium Turcarum cadaveribus, quæ ſecum terrorem circumferrent, Germanorum ſepultis, purgaretur oppidum, relictoque ibi valido præſidio Vidone Starembergio præfecto; cùm in ſtativa reliquum exercitum diviſiſſet, Viennam pergit, ingenti Cæſaris omniumque Ordinum plauſu exceptus; ſplendidum per ſe facinus augente viri, cujus auſpiciis geſtum fuerat, majeſtate. Capta Alba græca, cumulus acceſſit ad eam lætitiam, qua Cæſarem Boſnienſis victoria, Ludovici Badenſium Principis virtute parta, dudum perfuderat. Is cum memorato paullo ante exercitu principio æſtatis per ſiniſtram Savi ripam iter fecerat adverſo flumine; ab Turcarum præſidiis, quæ pauca illic manſerant, omnem prorſus Sclavoniam expediturus. Progredienti nihil uſquam cis flumen moram attulit; ſponte Barbaris, prout infeſta admovebantur ſigna, cedentibus in adverſam ripam. Sic enim Boſniæ prætor apud ſe conſtituerat: ut munita ſtationibus ulteriore

1688.

Legati dimittuntur.

Purgata cadaveribus Alba græca committitur Vidoni Starembergio.

Exercitus in ſtativa dimittitur.

Bojoarius Viennam pergit.

Badenſis Principis Res geſtæ enarrantur.

Turcæ prorſus trans Savum ſe referunt.

1688. amnis ripa Badenſem ab eo trajiciendo prohiberet; reliqua nil penſi haberet. Quocirca delectu per provinciam habito duodeviginti contraxerat armatorum millia; quorum parte firmaverat faciliores aditus, cum reliquis circumvolitabat, imminens ex adverſo Germanorum copiis. Badenſis, jam prope Sclavonia peragrata, non ultra procedendum ratus, Comitem Hoſchirchium cum octingentis Croatis, bis centum Germanis concubia nocte tranare juſſit. Is ripæ ſuccedens, paucis, quos carris invexerat, lintribus tacite in aquam demiſſis, traducere catervatim milites aggreſſus, quingentos jam expoſuerat; cùm duo non procul inde excubantia Turcarum millia rem comperiſſe, ac ſe ſe ad irrumpendum comparare, ex ipſorum tumultu accepit. Veritus impendentem perniciem, ab ſuis illam majori obeundo periculo amoliri ſtatuit. Acie inſtructa hoſtem invadit, geminatque primùm tela, mox irruit effuſo curſu. Turcæ ex audacia majorem Germanorum numerum ſuſpicati, in pedes ſe conjiciunt, trecentis primo congreſſu deſideratis, incruenta tamen fuga; non auſis, ne ſe minores opinione detegerent, Germanis inſequi. Aditu explicato legiones Badenſis traductas ad hoſtem ducere inſtituit. Prætor trans Unnam fluvium caſtra poſuerat, collegeratque ab Savo finitimiſque oppidis quicquid ibi armatorum erat, vada impediturus. Ad horum alterum Badenſis promovit ſigna, locatiſque tormentis nudavit milite oppoſitam ripam, in eamque tranſcendit. Quod

Boſnienſis Prætoris exercitus quid agat.

Quomodo Badēſis Savum trajecerit.

Hoſchirchius Turcarum globū aggredi anteverti.

Turcæ paventes ſe recipiunt.

Turcæ ad Unnam caſtra locant.

Quod ubi a Thrace conſpectum, Conſtanitiam, 1688.
amni ſuperſtantem, validiori firmat præſidio; ipſe
in proximi collis dorſum legiones erigit, tutoque
loco vallum ponit. Oppidum Germani corona cingunt, apertoque arietibus muro non antea ab continua dimicatione abſiſtunt, quam illud obfirmata per quatuor horas pugna, dejecto trucidatoque præſidio, vi capiant. Inde continuato itinere Dubitzam petunt. Dum iret, prætor ab tergo eos invadit; ſed immiſſo Germanorum equitatu, non auſus prælio ſe committere, intra vallum rediit. Oppidum a civibus deſertum in hoſtium poteſtatem venit. Dubitza capta, Gradiſcam Savo impoſitam digreſſi, vacuam milite aperientemque portas modico præſidio muniunt. Illinc Bagnalucam, nobile emporium, agmen vertunt. Qua direpta, ſuperatoque Varbo flumine mediam illam ſecante, iterum ad Savi ripam, quam ponte conjungerent, deflectentes, Brodam perveniunt. Hæc quoque nullo obnitente Germanos accepit. Dum pons injicitur, erigendoque ad ejus tutelam aliquo munimento tempus atque opera impenditur; exploratores Badenſi nuntium afferunt: Boſniæ prætorem cum octo armatorum millibus quinque non amplius paſſuum millia ab eo diſtare. Ratus ipſos facilè & improviſò opprimi poſſe, noctu cum ala trium millium & bis mille ſagittariis equitibus illuc movit; juſſo peditatu, quoad potis eſſet, approperare. Conſilium inierat: inopinato adventu cum hoſtibus congredi an-

A Badenſi petiti ſe referunt. Germani Cõſtaniтiam invadunt.

Vi capiunt.

Alia oppida in ipſorum poteſtatem veniunt.

Iterum ad Prætoris exercitum ſigna ducunt.

Quo conſilio.

Digitized by Google

1688. ante lucem; & ſi plus nimio cujuſpiam munitionis ope, aut loci natura obniterentur, inducto peditatu agmen profligare. At conſilium fefellit. Nam & impeditis itineribus non prius quàm aperto die in eorumdem conſpectu fuit; & oculis ſubjecta, duplo prope major acies apparuit. Cognitum deinde quindena millia compleſſe. Deliberanti, quid in tanta rerum mutatione gerendum foret, in eamque propendenti ſententiam ut tentare pugnam auderet; omnem prætor hæſitationem ademit. Etenim e tumulis, ubi cum exercitu conſidebat, primum atque alterum longo interjecto ſpatio Germanorum globum ad ſe venientem conſpicatus, milites per ipſos colles circumducit, ut præoccupato itinere medius inter utrumque hoſtium agmen deſcenderet, contunderetque, priuſquam in unum coirent, ipſorum vires. Re Badenſis animadverſa artem eluſit, collem ſubeundo irritandiſque Turcis, ne ultra progrederentur; miſſo ſimul ad ſecundum agmen, qui renuntiaret: accelerato gradu ut opem ferret pugnam ineunti. Et hæc quidem præmiſſis aliquot ſagittariorum turmis ſtatim provocata, quamquam prætor, ubi vidit hoſtem in clivum ſeſe erigentem, ſponte ſua in prælium ruit. Janizaros in medio locat, equites in cornua diducit. Et Badenſis peditibus ſagittarios opponit, equitibus equites gravioris armaturæ lata quantum licuit fronte. Numero longe ſuperabant Turcæ, virtute Germani. Itaque ex alterutro æquatis viribus initio utraque inflexa ſtetit acies. Niſi

Turcæ contra Badenſis opinionem majori numero.

Qui in ipſum movent.

Quo conſilio & arte.

Pugna oritur ac deſcribitur.

quòd

quòd Janizari facto cuneo ſagittarios urgebant adeo, ut non diu adverſus confertam turbam tenere ſe poſſe viderentur. Quo viſo Badenſis, ſubſidiariis turmis ſecum adductis, equos immittere ſubditis calcaribus, imperat. Curſu perrumpunt in medios pedites, iiſque circumfuſi ferociter dimicabant; & ipſe inter gregarios cum hoſte congreſſus, duos Janizaros, qui fræno manum injecerant, vibrato enſe neci dedit. Res tamen ingenti in diſcrimine verſabatur, cùm tempeſtive pedites ſupervenere; qui extemplo collato pede in Janizaros ſeſe inferunt coguntque iſthuc penitus arma ac frontem vertere. Sagittarii ſumpto ad reſpirandum ſpatio, reſtitutis ordinibus dant rurſus impetum, pedeſtremque aciem tum demum proſcindunt dilacerantque. Hinc fugà & cædes. Citius equites, quippe æquato fere numero, a Germanis impulſi ſe ſubripuerant. Occubuere Turcarum ad quatuor millia, in his prætor, præfectuſque Janizarorum ſtrenue inter primos ordines digladiati. Capta ſigna militaria quatuor & triginta, cunctaque impedimenta. Reliqui per notos ſaltus ſibi pedibus conſuluerunt, domos regreſſi, unde tumultuario delectu educti fuerant. Germanorum ducenti ſolùm morte multati, plures vulneribus. Parta victoria, Badenſi animus erat, infeſto exercitu provinciam peragrare, ejuſque caput Serajum petere. Sed horridi interjacebant montes; quibus ſuperandis non idoneum anni tempus, non militi robur ſuffectura videbantur. Commeatus quoque in ſermo-

1688.

Badenſis periculum & bellica virtus.

Turcæ fugantur.

Quanta ſtrage.

Quot Germanorum ceciderint, aut vulnerati fuerint.

Cur Badenſis victoriá non ſit perſequutus.

Digitized by Google

1688. monem veniebant, Turcis illos facilè ſubducturis; nec, qui tot incolarum Chriſtianam religionem ſectabantur, ſpem ullam auxilii dabant; dira conſuetudine obduratis ad ſervitutem ipſorum animis. Itaque munitioribus ad Savum oppidis milite confirmatis; reliquas copias eo flumine ad Brodam traducto ad Lotharingium ducere, ut ſibi indictum fuerat, aggreditur; quibus ad Gengienem, ſi fortè Albæ græcæ opem laturus accederet, reprimendum uteretur. Verùm non ita multò poſt accepto nuntio, hunc viribus invalidum longius receſſiſſe, & Lotharingium ab exercitu digreſſum; iiſdem copiis in hiberna dimiſſis, Viennam petit. Hæ tot tantæque Turcarum clades Byzantium delatæ luctu metuque civitatem implevere; nec ab tumultu abſtinuiſſet, niſi iſthuc ſæpius ruentem Muſtaphus Viſirius non ita multos ante dies plurimorum cæde funditus compreſſiſſet. Ad eum poſtrema conjuratione Quintili ineunte concitandum valuerat opinio diſſipata per omnium ordinum cives: Solymanum regem, moderandi Imperii & rudem & inſuetum, ab tam ſæva reipublicæ tempeſtate cum omnium pernicie obrutum iri. Nec quidpiam mutandis auſpiciis profectum fuiſſe: quippe inexperto Principe rara civium felicitas. Querelas acuebat commota in Muſtaphum ira ex aſperiori ingenio, quo ipſi ad ſeveriorem militiæ diſciplinam, cogendamque pecuniam utendum erat. Utrumque grave civibus militibuſque magnam in eum invidiam conflaverat; & ſupremus Ja-

Statuit ſuas Copias ad Lotharingium ducere.

Sed cum iis nihil adverſus Gengienem opus eſſe intellexerit in biberna dimittit.

Ipſe Viennam petit.

Byzantii tumultuatum & quare.

Viſirius odio habetur, & cur.

Janizarorum præfectus, privatis cum illo diſcordiis exacerbatus, adduxerat in ſuam ſententiam primores militiæ duces, iique inter ſe de ipſo necando conſpiraverant. Simul verò conſtituerant, Solymanum ſolio dejectum in priſtinam privatæ vitæ conſuetudinem reducere, rurſumque ad gubernandum Imperii clavum Mehemetem adhibere; quem diu felicem, aliquando beneficum, ſemper regnandi potentem experti fuerant. Re deliberata, tertium ſolemnis ſtatique Turcarum jejunii diem patrando facinori edicunt; arbitrati, unumquemlibet prophanæ intentum religioni, cæteriſque ſolutum curis, ſe facilem aggredientibus præbiturum. Fortè, ut plerumque accidit, unus conjuratorum, ſeu mobilitate ingenii ſeu præmii largioris ſpe, primo celebratæ ſuperſtitionis die cuncta Muſtapho, hic Regi ordine expoſuit. Quem attonitum metu, in omneſque ſeſe affectus verſantem Muſtaphus jubet bono animo eſſe; tantùm, ut duo non ſibi deneget, ſilentium & auctoritatem. Quibus impetratis, Bizantii prætorem, præfectumque Janizarorum ad ſe accerſitos, & clam cymbis impoſitos; cùm hiſcere, derepente oppreſſi, non auderent; longius in Aſiam ſeorſum cuſtodiendos miſit. Iis remotis, unde conjuratis robur conſiliumque; facto fidiſſimorum equitum octingentorum globo, capita primùm turbarum petit contrucidatque. Dein quotquot delatione, aut e re nata ſuſpicionem ſibi rerum novandarum moverant, ad quingentos brevi momento occidione occidit. Ad

1688.

Ad cujus necem plures conſpirāt.

De Solymano in ordinem cogendo conſilium capiūt.

Ac de Mehemete in ſolium reducendo.

Conjurationis ordo ac tempus.

Ea detegitur & quomodo.

Regi Viſirius animum cōfirmat.

Quid geſſerit ad evertendam conjurationem.

1688. Solymanum regreſſus, quæſituſque: Satin ſalvæ? Salva, inquit, Imperator modò res eſt, & quies conſternatione aut ſtrage parta. Sed quæ metu inducitur, rarò manet; cientibus procellam & ira injuriæ, & ſpe vindictæ. In tanta Mortalium colluvie, qua Byzantium redundat, tumultus prorſus extinguere, nimium difficile, præoccupare difficilius; obſcurante nefaria hominum conſilia multitudine, audaciam fovente. Itaque, ſi fidem mihi adhibes, Adrianopolim, alteram Imperii ſedem, progrediendum; ubi minor urbis majeſtas, major ſecuritas; obedientiam conciliante populi raritate, obſequium inopia.

Regi ſuadet, Adrianopolim ire. Qui annuit.

Ac poſtridie illuc iter ſuſcipit fratre ejuſq; filiis ſecum adductis.

Dictis annuit Solymanus, eodemque die tabernacula extra mœnia poni profecturis, juſſit. Poſtridie iter arripuit, ſecum Mehemete ejuſque filiis adductis; nemini hæc regnandi pignora crediturus. Ita ab domeſticis ſeditionibus coercita paullo ante regia civitas, renuntiata poſtmodum Imperii vulnera mæſto ſilentio accepit; quo tamen ſe comprimere potius ingentem dolorem, in acerbiſſimas turbas, cùm tempus foret, erupturum; quàm moderate ferre, argumentum daret. In reliquis provinciis apertiores animorum motus, ira, & queſtus. Sedati verò Viſirii prudentia ſolertiaque. Et ejus quidem virtute tum temporis Othomanicum ſtetiſſe Imperium, videri potuit; nunquam illud, poſtquam ad iſtam magnitudinem pervenit, vehementiùs concuſſum. Quamquam re vera inclinatum vacillanſque nihil magis firmaverit,

Compreſſa conjuratione Byzantiũ quievit, quãquam tot cladibus exaſperatũ. In reliquis provinciis inducta quies.

Viſirii virtute Othomanicũ Imperium tunc ſtetit.

Seu potius orto inter Chriſtianos Principes bello.

quàm

quàm ortum ſub hujus æſtatis finem inter Chri- 1688.
ſtianos Principes bellum internecinum, atrox, *Quod altero volumine deſcribitur.*
diuturnum; quod mandare poſteritati, ejuſque
exponere cauſas jam nunc aggredimur.

Finis Tomi primi.

Monitum Lectori.

Nemo eſt, qui neſciat, hanc latine ſcribentibus dari veniam, ut quæ veteri Latio peregrina adveniunt, externa atque adventitia nuncupent voce; dummodo id non licenter, nec ſine lege. Harum illa prima videtur eſſe, ut novæ rei ſignificandæ ab aliqua eidem ſimili cognataque nomen accipiant. Quæ ſi non ſuppetat, priſco Latinorum more e græco ſermone petant. Sic enim ab ipſorum inſtituto non deflecti, barbariem declinari, ac dictionis elegantiæ melius conſuli. Denique ut quicquid recens adducunt, aurium judicio probatum ſit. Hujuſmodi ego legibus obſequutus haud refugi bombardas majoris tormenti, majoris machinæ, arietis, catapultæ vocabulis appellare. Plura ſiquidem in utriſque conveniunt. Contra verò nunquam auſus ſum Mareſcalli, Ammiralii, Galeatiæ voces, aliaque id genus uſurpare; cum Latini germanas Legati, Præfecti claſſis, e græcoque traductæ mollitæque uſu Hepteris habeant. Aliqui magni nominis Scriptores illas adhibere non dubitarunt. Verùm ego plurima ipſorum dicendi ornamenta, non quidpiam labis imitari vellem. Quin & minores machinas vocarunt tubulos Sclopetoſque, barbare quidem & invenuſte. Malui ego, parum inflexo a Graiis verbo, pyroſcorpiones, pyrobaliſtas. At enim cujus non ferirent aures Grenatum, Grena-

tarii, vix non Mortaria, Palandræ? Horum nomina, cùm nonniſi ineleganter e Latii lingua, quæ voces ægre conjungit, peti & coagmentari poſſent, e græca penitus adduxi; & pyrochitram, igneſcentem pilam; pyrochytrophoros, qui eas ferunt; pyrolmum, ignivomens, ut ita dicam, mortarium; pyrolmophoras Palandras nuncupavi; aliaque hujuſmodi, quorum mox ſubdam indicem, ne legenti negotium faceſſant. Quod attinet ad urbium, fluviorum, provinciarumque nomina, ab latinis cenſui non diſcedendum. Sunt, qui perſpicuitatis gratia non alia exhibenda contendunt, quàm quæ modo in hominum ore verſantur. At non vident, ita rem cæteroquin latine ſcientibus manifeſtam, obſcuram involutamque redditum iri? Non enim unum idemque ab omnibus Europæ gentibus uſurpatur illorum vocabulum. Itali, & Galli, ut exemplum afferam, Serviæ principem urbem Belgradum vocant, Germani Veiſſemburgum, Hungari Nandorum, Illyrii Biogrodum. Quorum ne igitur ratio habenda eſt in ejus nomine referendo? Et ſi unius populi habeatur, an non illud tot reliquis ignotum erit? Quantò igitur melius latina voce Albam græcam proferre, quæ cunctis latinitatis peritis, quibus tantùm hæc noſtra qualiſcumque lucubratio patère debet, ignota eſſe nequit. Hæc pauca, amice lector, de re parvi momenti, ſed quæ multùm literatorum ſermonibus agitatur, te monitum volui. Vale, & noſtro non tenui labori faveto.

IN-

INDEX

Italicarum vocum ad bellicam artem ſpectantium, quæ in hoc Opere latine exponuntur.

MILITARES PRÆFECTURÆ.

Generaliſſimo	(Imperator (Supremus exercitus Dux
Mareſciallo	Legatus
Generale dell' Artiglieria	Præfectus Fabrûm
Tenente Mareſciallo) Luogotenente Generale)	Prolegato
Sergente Generale	Inſtructor exercitus
Colonnello	Tribunus militum
Tenente Colonnello	pro Tribuno
Sergente Maggiore	Inſtructor legionis
Capitano	Centurio
Tenente	pro Centurione
Sergente	Inſtructor Cohortis
Dragone	Eques Sagittarius
Granatiero	Pyrochitrophorus
Alabardiere	Haſtatus
Reggimento	Legio
Brigata di Cavalli	Ala equitum
Compagnia di Fanti	Cohors
Compagnia di Cavalli	Turma

Com-

Compagnia di Cavalli leggieri	Turma levis armaturæ
Ammiraglio e Capitan Generale	Præfectus Claſſis, aut maris

INSTRUMENTA MILITARIA.

Artiglieria	(Major Machina (Majus Tormentum (Catapulta (Aries
Moſchetto) Archibugio)	(Pyroſcorpio (Pyrobaliſta
Piſtola	Manuale Tormentum
Bomba	Olla incendiaria
Granata	Pyrochitrum
Mortaro	Pyrolmum
Palla di Cannone) o di Moſchetto)	(Telum (Jaculum
Picca	Sariſſa
Alabarda	Haſta
Cavallo di Friſia	Hiſtrix
Sciabla	Enſis Scythicus

VARIA MUNITIONUM GENERA EARUMQUE PARTES.

Baluardo	Propugnaculum
Faccia del Baluardo	Frons propugnaculi
Fianco del Baluardo	Latus propugnaculi
Piazza baſſa del Baluardo	Inferior area propugnaculi

Fe-

Feritoria	Feneſtella
Muraglia	Lorica murorum
Parapetto	Loricula
Banchina	Scamnus
Strada coperta	Via tecta
Rivellino	(Triquetra Munitio (Parma promuralis
Mezza luna	Opus Semilunare
Opera a corno	Opus cornutum
Opera coronata	Opus coronarium
Bonetto	Caſtellum
Terrapieno delle Mura	Agger interior
Ponte levatojo	Pons ſublicius
Palizzata	Sepes Vallorum
Linea di circonvallazione	Vallum
Approcci	(Vineæ (Agger militaris

NAVIUM GENERA.

Nave da guerra	Bellica navis
di Mercanzia	Oneraria
di traſporto	Actuaria
Palandra	Pyrolmophora
Galea	Quinqueremis
Galea baſtarda	Hexeris
Galeazza	Hepteris
Galeotta	Biremis
Battelli)	(Lintres
Barche, e ſimili)	(Cymbæ, Lembi .

IN-

Digitized by Google

INDEX
Rerum notabilium.

A

ABaſſius Michael Hungaricas Seditiones fovet. Illum Cæſar in ſuas partes traducere ſtudet, ſed fruſtra. 385. Vim eludit in arcem ingreſſus. 386. Opem Turcis ſubmittere parat. 488. Fogaratii ſe abdit. 491. Cum Lotharingio paciſcitur, & quibus conditionibus. Ibidem.

Abdius Budæ prætor, ejus indoles ac ſtrenuitas. 394. Extrema conatur in Urbis diſcrimine; pugnans moritur. 424.

Acarnania & Leucas in Venetorum poteſtatem redactę. 288.

Agria Germanis in deditionem venit, & quomodo. 494.

Alba græca deſcribitur. 600. Expugnatur, quomodo, qua ſtrage, & quibus Captivis. 608.

Alba regalis deſcribitur, a Germanis in ditionem redigitur, & quo pacto. 587.

Aloſtum Gallis ab Hiſpanis negatur. 56.

Angli Jacobo EboracenſiumDuci, qui poſtmodum Rex, ob Catholicam Religionem adverſi. 16. Ingentibus diſcordiis lacerantur; quæ cauſæ; unde origo. 12. & ſeq. Conjurant in Carolum Regem, & quare. 16. Iterum tumultuantur adverſus Jacobum Regem, quare, & quomodo. 367.

Anglicanum Concilium in Catholicos ſævit, quam ob cauſam. 59. Pecuniam Regi negat pro Tingi tuenda. 40. Ejus Aula inferior Eboracenſem proſcribit. Superior diſſentit. 39. Oxonii congregatur; ibi Aula inferior Eboracenſem iterum proſcribit; Regis auctoritatem minuere conatur. Aula ſuperior diſſentit. 45.

Arauſionenſis Vilhelmus quando primùm de Angliæ Regno occupando cogitarit. Qua re ac ſpe inductus. 16. Inſido & infeſto adversùs Jacobum Angliæ Regem animo, & quibus artibus. 360. In Angliam cum aliquot legionibus ire ſtatuit, & quo conſilio. Ab Jacobo Rege excluditur, & quare. 306.

Anglicos tumultus fovet. 367.
Argatelius turbas in Scotia movet, quomodo, & quo exitu. 362. Capitur, necatur. 364.
Arduba oppugnatur a Venetis, deſcribitur, & expugnatur. 582.
Argentoratum a Gallis in poteſtatem redigitur. 59. Quo obtentu, quomodo, & quibus conditionibus. 60.
Aſyli jus Romæ a Regum Legatis detentum quando inceperit. 526. A quibus ſummis Pontificibus prohibitum. 527. Ab Innoc. XI. Pont. Max. deletum. 528. A Lud. XIV. Galliæ Rege retineri curatur. 529. Dimiſſum, quomodo & quando. 531.
Athenæ deſcribuntur; oppugnantur a Venetis; in poteſtatem recipiuntur. 505. Deferuntur abductis Civibus. 565.
Atlaglicus Boſniæ prætor Singum occupare conatur. 506. A Venetis repellitur. 507. Ardubam defendit, & in ſervitutem ducitur. 582.
Avenio in Gallorum poteſtatem redigitur. 530. Pontifici Maximo reſtituitur. 532.
Aurelianenſis Philippus plura petit hæreditatis jure ab Octoviro Palatino, & quæ. 375.
Auria Marchio Joannes Baptiſta Agriam diu obſeſſam in deditionem accipit. 494. & ſeq.

B

Batavi bello in anguſtias redacti, & unde iis ſubſidia. 4. Invitis Fœderatis pacem cum Gallis conſtituunt, & quibus conditionibus. 7. Quomodo in id inducti. 8. Auxiliari Hiſpanis deliberant, ſed non unanimes, & fruſtra. 227. Primi cum Gallis de vicennalibus induciis conveniunt. 240. Jacobo Angliæ Regi infenſi clam turbas fovent. 361.
Badenſis Marchio Hermanus quomodo bellum adverſus Turcas gerendum putet. 307. A Cæſare Budam mittitur pro reſtituendis afflictis rebus, ſed fruſtra. 274. Specie honoris ab Aula dimovetur, & quare. 476.
Badenſis Princeps Ludovicus cum militum globo ad expediendum a Turcis aggerem militarem circa Viennam. 189. Præeſt dexteræ alæ in prælio prope Parchamum, ejuſque magnum ibi ad victoriam momentum. 203. Dextrum agmen ducit in pugna prope Vacciam. 248. vulneratur. 410. aliquot oppida

Digitized by Google

pida in inferiori Hungaria recipit. 434. De Lotharingio queritur, quare; ſine commeatu diſcedit. 492. In Boſniam exercitum ducit,& qua ratione Savum tranſmittit. 612. Cõſtanitiam,Dubitzam, Bagnalucam, Brodam ſub imperium redigit. 613. Cum Boſnienſi exercitu ſtrenue pugnat; duos Turcas ſua manu trucidat; copias fundit, & quanta cæde. 614.

Bagnaluca Germanis deditur 613.

Bellefontæus a Lud. Galliæ Rege in Cataloniam cum exercitu mittitur, Gerundam oppugnat infelici eventu. 234.

Bethuniæ Marchio Galliæ Regis Legatus Joannem Poloniæ Regem a Turcico bello diſtrahit, & quibus ratio nibus. 301.

Bibliotheca Matthiæ Corvini Regis Hungarici ab incendio ſervatur, & Viennam deducitur. 426.

Bojoarius Octovir Maximilianus Budam cum octo militum millibus pergit. 269. Mariæ Antoniæ Auſtriacæ nubit; quibus conditionibus eæ nuptiæ conciliatæ. 303. quæ geſſerit adverſus Ibraimum Seraſcherium 326. partem exercitus ducit. 387. Albam regalem invadendam ſibi petit. 388. ſuas copias Budam ducere abnuit, & quare. Cæſaris auctoritati cedit 392. ingens ejus ſtrenuitas in Budæ oppugnatione. 396. & ſeq: pari imperio cum Lothar: in Turcas exercitum ducit. 477. magna bellica virtute & conſilio pugnat. 481. vincit. 482. & ſeq: quibus conditionibus ad Albam græcam aggrediendam, atque ſigna illuc ducenda ſuadetur. 593. quomodo Savum exercitum traducit. 594. in Albæ oppugnatione ingens ejus ſtrenuitas ac facinus. 606. illam expugnat. 607. ejus reſponſum ad Turcarum Regis Legatos, & quomodo eos excipit. 610. ſummo cum plauſu Viennam redit. 611.

Bonviſius Cardinalis Franciſcus Innoc: XI.P.M. Orator apud Cæſarem quantam huic pecuniam curaverit, & unde. 379.

Brandeburgenſis Octovir cum Sveciæ Rege pacem componit & quibus conditionibus. 11. ſiſtere jubet ſuas copias Viennæ obſeſſæ auxiliatum miſſas, & quare. 173.

Branſuicenſis Dux conciliatur Sveciæ Regi, & qua lege 11.

Broda Germanis accedit. 613.

Buchingani Dux ex Anglicano Senatu pellitur. 25.

Buda deſcribitur, & oppugnatur

tur. 252. qui ibi Prætor & quod præſidium. 253. oppugnatio a Germanis deſeritur, quanta utriuſque partis clade. 275. iterum a Germanis oppugnanda decernitur, & quamobrem. 392. qui ibi Prætor, qui apparatus, præſidiumque. 393. oppugnatur. 395. vi ſuperatur. 425. qua utriuſque partis cæde in omni oppugnatione. 426. in diſcrimen proditione venit. 473. quo auctore, quo ordine, & quomodo res eluditur. 474.

Budianus Comes Chriſtophorus Turcis aditum Arrabonis amnis aperit, & cum perduellibus ſe ſuaſque copias conjungit. 131. Cæſari cum pluribus Hungarorum Proceribus reconciliatur. 212. ad Budæ oppugnationem vocatur & advenit. 411.

Burgomainerus Hiſpaniēſis Regis Legatus Cæſarem ad pacem Hungaricam ſuadet, quibus argumentis, & quo conſilio. 87.

C

Calviniani in Gallia plerumque Catholicam Religionem amplectuntur; quid in id rei geſtum, ipſorumque querelę. 374. & ſeq.

Caprara Comes Albertus Cæſaris Legatus ad Mehemetem Regem. 90. Legationis exitus. 92.

Caprara Comes Æneas Tchelio ſe opponit. 83. Neoſelii oppugnationi præficitur, illudque vi expugnat. 332 Caſſoviam invadit, 340. in ditionem accipit, 342. præeſt exercitui, dum Buda expugnatur. 423.

Carolus Angliæ Rex Concilium Eboracenſi Fratri adverſum diſſolvit. 21. Fratrem in Belgium mittit, & quare ibid. ſe Præsbyterianis permittit ibid. iterum Concilium Fratri infenſum dimittit. 22. graviter ægrotat. 23. Conjuratis in Eboracenſem infeſtus. Eorum aliquos Senatu movet. Monumetium in exilium pellit. 25. Ludov. Regem pro tuenda Noviomag: pace petit, ſed fruſtra. 33. Eboracenſem in Scotiam mittit, & quare. 34. negat Monumetium ſibi e legitimo matrimonio natum. 36. Concilium convocat, & quid in eo proponit. 37. fruſtra tentatur, ut Eboracenſem a Regno excludat, & Concilium diſſoluit. 40. quod Oxonii convenire jubet. 41. dimittit, & quare. 47. Urbium privilegia expendit, & quo conſilio. 48. quo exitu. 49.

Præsbyterianos prohibet a Republica, & in falſos delatores inquirit. 50. in ipſum conjuratur, & quo caſu inſidias vitaverit. 223. moritur. 358. Catholicam Religionem moriens amplectitur; aliqua de ejus vita. 358., & ſeq.
Carolus Hiſpaniæ Rex de Batavis queritur, & quare. 6. negat ea lege pacifci quaGalli volunt ibid. denique conſentit. 8. nubit Mariæ Aloyſiæ Aurelianenſi. 25.
Carolus Lotharingiæ Dux V. Lotharingius.
Carolus Octovir Palatinus V. Palatinus Octovir.
Carolus Sveciæ Rex V. Sveciæ Rex.
Carrafa Antonius D. Jobi Fanum acquirit. 383. Monchatium invadit, ſed fruſtra, & quare ibid. ſuas Copias Budam adducit. 411. Segedunum cum iis petit, ac digreditur. 428. in Tranſylvaniam properat ad prohibendos tumultus. 585. res componit. 586. Lippam invadit, & ſubigit. 590.
Carrafa Georgius magnus Equ: Hieroſ. Magiſter eligitur. 43.
Caſalis arx in Gallorum poteſtatem venit, quomodo, & quare. Varia pridem ejus ſors. 52.
Catholici in Anglia divexantur. 20.
Chalcis, & ejus a Venetis oppugnatio deſcribitur. 567. & ſeq.
Cometes ingens, & de illo quidpiam. 44.
Concio Abdii Budæ Prętoris ad milites. 394. alia in extremo ejus urbis periculo. 422. Alberti Capraræ ad Viſirium pro pace. 91. Burgomaineri ad Cæſarem de conciliandis Hungaris perduellibus. 87. Caroli Anglię Regis adConcilium. 38. alia 45. Coharii ad præſidium Fillechi. 97. Gengienis ad Albæ Gręcæ Prætorem. 597. Genuen. Ducis ad Gal.Reg. 241. HermaniBadenſis apud Cæſarem de dividendo exercitu. 307. Hungarorum perduellium ad Muſtaphum Viſirium. 72. Joannis Poloniæ Regis ad milites. 457. Lotharingii pro ſuadenda Budæ oppugnatione. 388. alia de non dividendo exercitu. 308. Mauroceni pro Nauplia invadenda. 443. item apud ipſum pro Candia. 561. item pro Eubæa. 562. Mehemetis Budæ prætoris ante pugnam prope Vacciam. 249. Mehemetis Neoſelii prætoris ad milites. 332. Mehemetis Regis ad Muſtaphum Viſirium, dum ei Vexillum pro bello prębet. 128. Muphtii ad Mehemetem Regem pro fugiendo Hungarico bello. 70. Muſtaphi viſirii ad Mehe-

hemetem pro gerendo Hungarico bello. 98. Muſtaphi alterius Viſirii ad Solymanum Regem pro ſuadendo ejus Byzantio diſceſſu. 618. Nahitii ad Mehemetem Regem ut exauthorationi acquieſcat. 543. Starembergii ad Viennæ præſidium. 138. ejuſdem ad Viennenſes. 139. Sulficari Turcici legati ad Bojoarium. 610. Valdeſtaini ad Poloniæ Regem 105. ejuſdem ad Senatum Polonum. 106. Turcarum conjuratorum adverſus Solymanum Viſirium 538. in Veneto Senatu pro non excipiendis in patricium Ordinem novis familiis. 295. contra pro excipiendis. 296. pro ſuſcipiendo Turcico bello. 218. Veteranii ad milites ante pugnam cum Solymano Viſirio. 431.

Condæus Henricus moritur. 523. aliqua de ipſo. 524.

Conſtanitia in Germanorum ditionem tranſit. 613.

Controverſia plurium Oppidorum inter Germanos, & Gallos unde orta; quæ utrinque rationes. 29. & ſeq.

Corinthus a Turcis deſerta Venetis accedit; deſcribitur, & priſca ejus fortuna 501.

Cornelius Hjeronymus Singum occupat. 453. Neocaſtrum invadit, & occupat. 508., & ſeq. Ardubam oppugnat, & in poteſtatem redigit. 582.

Corones oppugnata a Venetis. 344. deditur. 350.

Coſachi qui, ubi degant, quibus legibus & inſtitutis. 280.

Coſmus III. magnus Ætruriæ Dux auxilia Venetis ſubmittit & quæ. 284. 343. 436. 509. 561.

Cotoneri magni Eq: Hjer: Magiſtri mors. 43.

Chyniacum Galli ab Hiſpanis obtinent. 56.

D

Dalmatæ qua indole & diſciplina. 194.

Daniæ Rex cum Svecis pacem ſtatuit, & quibus conditionibus. 11.

Deghenfeldus Annibal Venetæ militiæ ſupremus dux. 351.

Draſchovitius Comes adverſus Cæſaris poſtulatis. 533. admonetur ut ſe cohibeat. 534.

Dubitza in Germanorum poteſtatem venit. 613.

Dumbartonus pro Jacobo Rege cum Argatelio pugnat felici eventu. 363.

Dunevaldus cum ſuis copiis Budam advenit. 411. Sclavoniam occupat. 492. & ſeq.

Duratius Feverſami Comes pro Jacobo Rege adverſus Monunetium prælium init & vincit, 365.

Eleo-

E

Eleonora Ferdinandi III. Cęſaris uxor moritur. 523.
Eleonora Magdalena Neoburgenſis, Imperatrix, Hungarico diademate coronatur. 85.
Epidaurii Venetis ſuſpecti, & quare. 583. in Cæſaris tutelam ſe tradunt ibid.
Erdœdius Comes Boſniam populatur. 337.
Eſteraſius Hungariæ Palatinus diſſidia ſuæ Gentis cum Cæſare componere ſtudet, ſed fruſtra. 85. & ſeq: ab aliquot legionibus deſeritur. 141. Budam cum Hungaris pergit. 411.
Eugenius e Principe Sabaudiæ Domo periculum in prælio adit. 396. ejus ſtrenuitas, & vulnus. 410. 601.
Euripi varietas, & reciprocandi cauſa. 568.

F

Fillechum Turcis deditur, & diruitur: 100.
Fitzarius aliique delatores in Anglia necati. 50.
Fochieræ Marchio ad Carolum Hiſp. Regem Legatus pro tuendo Delphini jure in ea Regna quod reſponſum acceperit. 305.
Fœdus inter Cæſarem, & Sarmatas adverſus Turcas quibus conditionibus ictum. 114. Romæ apud P. M. jurejurando firmatum. 115. inter ipſos & Venetos. 220. inter Germaniæ Principes, qua de cauſa; ejus quis auctor? Galliarum Regi ſuſpicioſum. 468.
Franciſcus Maurocenus. V. Maurocenus Franciſcus.
Frangipanus in Leopoldum Cęſarem conjurat & necatur. 65.

G

Gallenfeldius Viſſigradiam a Turcis defendit, ac tradit, quare, & quibus conditionibus. 322.
Galli ſuboſcure Luxemburgum petunt 56. Belgium invadunt. 32. populantur & quare 57. Navarram invadunt, Gerundam obſident, & repelluntur. 233.
Gallovidiæ Comes Henricus cauſam Calvinianorum agit apud Galliæ Regem, ſed fruſtra. 373.
Gedichus Aſiatici tumultus auctor quid agat. 553. quomodo ſedatus. 554.
Gengien Oſmanus Thracii tumultus auctor, ejus indoles, & res geſtæ 553. ſedatur, & quomodo. 554. Seraſcherius creatur, & Albæ grecæ moratur, quo ſuorum numero. 592. il-

592. illinc recedit, & quo colore. 597. Bojoarium ab Albæ Grecæ oppugnatione diſſuadet, & quibus rationibus. 609.

Genua a Gallis labefactatur ollis incendiariis. 236. fruſtra armis tentatur. 237. ejus Senatus conſtantia. 236. cum Galliæ Rege reconciliatur, & quibus conditionibus. 241. ejus Dux cum quatuor Senatoribus in Galliam ad Regem pergit, & liberaliter excipitur. 242.

Germani cum Gallis litigant, & qua de re 28. de Galliæ Rege queruntur, & cur. 29. de Gallis refrenandis cogitant, & quid decernant. 58. & ſeq. pacem cum Gallis retinendam ſtatuunt, quare, & quomodo. 227.

Granæ Marchio Belgii prætor Gallis obnititur infelici eventu. 225.

H

HAllevillus cum ſuis copiis a Turcis petitur, ubi, & qua occaſione; vulneratur, & moritur. 245.

Haillerus Neoſelium commeatibus prohibet, & quomodo 313. ſuas legiones ad Budæ oppugnationem ducit. 411.

Henricus Beaumontius Lavardinii Marchio V. Lavardinius.

Henricus Condæi Princeps. V. Condæus.

Hermanus Badenſis. V. Badenſis Hermanus.

Herzegovinæ prætor Venetorum oppida in Dalmatia invadit, quo utrinque ſucceſſu. 354.

Heuslerius Tehelium prope Iulam, ejuſque copias fundit, & fugat. 586.

Hiſpani a Batavis deſerti cum Gallis ſe componunt, & quibus legibus. 8. arma capiunt Belgium tutaturi, infelici ſucceſſu. 32. ingenti ſiccitate, deinde imbribus laborant. 41. cum Gallis de vicennalibus induciis paciſcuntur. 240.

Hoſchirchius Comes Turcarum globum fugat, & quomodo. 612.

Hovvardus Vilhelmus ab Anglicano Concilio neci datur. 39. falsò inſimulatus cum Catholicis in Regem conjuraſſe. 50.

Humiereſus a Galliæ Rege cum exercitu in Navarram mittitur, & quo eventu. 231. cum Belleſontæo Gerundam oppugnat, & repellitur. 234. Rhodam invadit, ac deſerit. 238.

Hungaria deſcribitur. Gentis mores, inſtituta, reipublicæ ratio. 62. quomodo in

Digitized by Google

in Auſtriacæ Domus ditionem venerit. 63.
Hungari in Leopoldum Cæſarem ſeditioſi, & quare. 61. arma capiunt, & quo obtentu. 66. veniam iterum ab eo petunt, & impetrant. 343.
Hungaricum Concilium plura pro ſedandis turbis decernit, & quæ. 84. aliqua Cæſaris poſtulata rejicit. 532. denique concedit, & quare. 534.
Huſſainus Boſniæ prætor Neocaſtro opitulari contendit, ſed fruſtra. 512.

I

JAblonouſchius Polonorum ſupremus dux infelicem in Turcas expeditionem ſuſcipit. 357.
Jacobus Eboracenſium Dux, deinde Angliæ Rex, invitus filiam Arauſionenſi nubit, & quare. 17. ob Fratris morbum in Angliam redit. 23. iterum diſcedit. 24. in Scotiam mittitur. 33. Londinum a Rege revocatur. 34. obnoxios habet aliquot Britanniæ provincias, omnemque Scotiam. 35. ab Scotiæ Concilio Regni hæres pronuntiatur. 51. ab Anglicanis Academiis aſſeritur, ab Regno ob Catholicam Religionem excludi non poſſe. 52. inſidias Conjuratorum quo caſu declinet. 223. Fratri in Angliæ Regnum ſuccedit omnium plauſu. 359. primi in eum tumultus. 360. legem abrogat iniquam Catholicis. 368. quomodo, & quibus argumentis. 369. quæ hinc turbæ ibid. plures ob illas multat, & quos. 370. Monumetium ſurripi curat, ſed fruſtra. 361. hunc conjurantem vincit & capite plectit V. Monumethiæ Dux.
Jacobus Joannis Poloniæ Regis Filius a Patre vitæ periculo liberatur. 202. diſcrimen adit in Kameneci oppugnatione. 521.
Ibraimus Budæ prætor quam ſententiam protulerit pro repellendis Vienna auxiliaribus. 181. ejus virtus in ipſis propulſandis. 186. capite plectitur, & quare. 199.
Ibraimus Seraſcherius, quo militum numero prope Budam & quid illic geſſerit. 253. 256. 257. 260. 270. & ſeq. quo exercitu, & quo conſilio ad Neoſelium liberandum pergit. 320. Strigonium obſidet inani ſucceſſu. 322. de pace componenda adLothar. mittit. 335.
Ibraimus Viſirius bellum inſtruit & quomodo. 215. in Rhodum relegatur, mox occiditur. 380.

Illocum a Turcis deſeritur. 588.

Innoc. XI. Pont. Max. opem Cæſari in Turcas ſpondet. 103. conciliator Fœderis ſacri. 114. Genuenſes in Galliæ Regis gratiam reducit. 241. pecunia Cæſarem juvat. 299. Venetis militum & quinqueremium auxilia ſubmittit. 284. 343. 436. 509. arbiter conſtitutus inter Palatinum, & Aurelianenſem, deinde ſolùm pacificator, & quare. 376. demum a Galliæ Rege repudiatur & quamobrem. 531. Cæſari aliquot pacis conditiones a Gallis propoſitas exponit. 378. aliqua Principum auxilia Cæſari curat, quæ, quo eventu ibid. fidem à Ludovico Rege accipit de non turbanda Germania Palatini cauſa. 379. Leopoldum ad proſequendum cum Turcis bellum urget. 467. Ludovicum Regem a Germanico bello removet. 469. pecunia Cæſari opitulatur. 476. Aſyli jus a Regum Oratoribus Romæ aſſertum delet. 526. Cardinalem Furſtembergium coadiutorem Archip. Colon. dari negat. 530.

Joannes Auſtriacus moritur. 26.

Joannes Poloniæ Rex Bellum cum Turcis a ſuis decernendum curat. 106. Viennam auxiliatum pergit & quo militum numero. 171. ejus comitas cum Lothar. aliiſque ducibus. 172. conſulit quomodo ferendum Viennæ auxilium ſit. 174. ejus bellica virtus in Vienna liberanda. 189. & ſeq. Vexillum Turcicum Innoc. XI. Pont. Max. ſignum Viennæ liberatæ mittit. 194. cum exercitu in Poloniam redit non ſine Germa. querelis & quare. 211. Coccinum occupat 279. Kamenecum fruſtra aggreditur. 282. magna ſuorum clade in Sarmatiam regreditur, & ejus magnanimum dictum. 283. Turcicum bellum urget, & unde incenſus. 454. fœdus init cum Moſchis adverſus Turcas, & quibus conditionibus. 455. exercitum in Scythas ducit. 456. Jaſſium occupat. 457. Preſmiliæ Epiſcopum legatum mittit ad Innoc. ad Cæſarem & ad Venetos, quibus cum mandatis. 518. ſtudet Jacobum Filium ſucceſſorem ſibi deſignari, & fruſtratur. 556. Radziviliæ Nuptias eidem conciliat, & fallitur. 557. inde iratus Kameneci oppugnationem deſeri jubet. 558.

Joſeph Auſtriacus Hungariæ Rex ſalutatur. 532. ejus inaugu-

gurationis cæremoniæ. 534.
Iſmail adverſus Venetos Scraſcherius Navarrino opem ferre ſtudet. 439. vulneratur in pugna & recedit. 441. auxilium Naupliam ducit & funditur. 446. Naupliam improviſo adoritur, ſed fruſtra. 496. Venetis quomodo ſe opponat prope Patras. 498. pugnat & vincitur. 499. Athenis auxiliari curat, ſed fruſtra. 505.

K

Kamenecî præſidium erumpens conciditur. 521.
Karanſebes Veteranio cedit. 592.
Kiovia in Moſcorum ditionem quomodo redacta, & ejus varia ſors. 455.
Konigſmarcus Comes Otho Vilhelmus ſupremus Venetæ militiæ ductor in Peloponneſo. 434. ejus bellica virtus in Naupliæ oppugnatione. 450. Eubœam invadendam diſſuadet. 564. moritur, & quomodo a Senatu honeſtatus. 575.

L

Lacones qua indole, & moribus. 351. Venetos acceſſunt, & quo ſucceſſu ibid. & ſeq.
Lavardinus Lud. XIV. legatus Romam ingreditur; a P. M. non recipitur. 529. quid ibi egerit pro tuendo Aſyli jure; quæ inde turbæ, contentiones, acta. 530. diſcedit, quomodo, quæ de ejus legatione hominum ſententiæ. 531.
Leopoldus Cæſar oblatis a Galliæ Rege conditionibus pacem reſpuit, & quæ illæ fuerint. 5. 8. deinde conſtituit, & qua lege. 9. legatum mittit in Galliam pro obortis controverſiis ſedandis. 30. quomodo Hungariæ quieti ſtudeat. 70. Concilium ejus Gentis celebrat. 71. Comitem Saponaram ad Tehelium mittit vano eventu. 89. auxiliari Straſoldum Caſſoviæ jubet, ſed ſerò. 95. Comitem Martinitium legatum mittit ad Innoc. XI. P. M. 103. opem a Germanis petit contra Turcas. 104. in Poloniam mittit. 105. exercitum luſtrat. 124. jubet Viennenſes commeatus in annum comparare. 125. cum Auguſta Familia Vienna diſcedit, & quo periculo 134. a Comite Sdrino inſidiis petitur, & quomodo eas evadit. 135. iter ad ſalutandum Poloniæ Regem ſuſcipit; in itinere con-

Digitized by Google

conſilium mutat & quare. 172. Nuncium accipit Viennæ liberatæ. 195. illuc pergit, & quomodo exceptus; convenit Joannem Regem, unde aliqua animorum alienatio, & quamobrem. 196. Lentiam regreditur. 198. reſpuit oblatas a Tekelio ſedandę perduellionis conditiones, & quæ illæ fuerint. 216. tentat, an mitioribus paciſci velit, & incaſſum. 217. cum Galliæ Rege de vicennalibus induciis convenit, & quibus legibus. 241. de Polonis ſuſpicatur, & quibus argumentis. 300. de finiendo Turcico bello deliberat & quare. 302. Neoſelii oppugnationem decernit. 313. iterum de Turcica pace deliberat. 377. illam Turcis negat. 380. tertiò de pace cum Turcis ſancienda ambigit. 467. quas ejus conditiones proponat, a Turcis repudiatas. 471.

Leslæus Murſam occupat, pontem incendit, aliaq; gerit. 336.

Lippa deſcribitur. 590. oppugnatur, & capitur. 591.

Lotharingius reſpuit reſtituendæ ſibi Lotharingiæ conditiones, & quæ illæ fuerint. 8. Germanici exercitus adverſus Turcas dux Neoſelium oppugnat. 125. revocatur. 127. Viennę in tempore adeſt cum omni equitatu ante oppugnationem. 137. Poſſonium a Turcarum periculo vindicat. 166. ejus bellica virtus in Vienna liberanda. 184. & ſeq. Budam obſidet. 244. ejus inferiorem partem capit. 258. recedit ab oppugnatione. 275. ejus ſententia de Turcici belli gerendi ratione. 308. Neoſelium iterum obſidet. 314. ejus ibi audax facinus. 318. Seraſcherio auxiliatum advenienti occurrit. 321. arte illum ad pugnam elicit. 327. pugnat cum ejus exercitu, & vincit. 329. iterum Budam oppugnat. 402. ibi vulneratur. 408. obviam procedit Viſirio Budæ auxiliaturo. 411. diſcrepat a Bojoario in ducendæ oppugnationis ratione, ejuſque ſententia vincit. 415. 420. Budam vi occupat. 425. cum Bojoario partitur exercitus imperium, & in Turcas pugnat. 477. recedit cum aliqua clade. 479. in Tranſylvaniam pergit, præcipuaſque ibi urbes occupat. 489. cum Bojoario apud Albam Græcam congreditur, & morbo correptus in Germaniam recedit. 603.

Ludovicus Badenſis. V. Badenſis Ludovicus.

Ludovicus XIV. Galliæ Rex Batavos a reliquis Fęderatis diſ-

so-

ſociat; pacem cum iis conſtituit, & quomodo. 4. Suecum, & Brandeburgenſem ad pacem inter ipſos ſanciendam adigit. 10. Imperatoriam dignitatem Filio quæſiſſe dicitur. 26. Germaniæ Principes ſibi conciliat, & quibus artibus. 27. Forum Briſiaci, & Metis conſtituit, quare, & quo exitu. 28. legatum mittit ad Innoc. XI. Pont. Max. pro Regaliæ controverſia. 118. eidem ſpondet ſe quieturum, dum Vienna obſidetur. 165. iterum in Belgium copias mittit, & quo ſucceſſu. 225. claſſem adverſus Genuam ire jubet, & quo eventu. 235. legatū in Hiſpaniam mittit pro tuendo Delphini jure in ejus Regni hæreditate. 305. quæ delendo Nannetenſi decreto præmiſerit. 372. illud delet, & quæ de Calvinianis ſanxerit. 373. ægrotat, & convaleſcit ingenti ſuorum lætitia. 468. bellum in Germanos molitur, ab Innoc. XI. diſſuadetur, & quieſcit. 469. quid egerit pro tuendo Romę aſyli jure. 529.

Ludovicus Galliç Delphinus nubit Mariæ Annæ Bojoariæ, & nuptiarum pompa. 27.

Ludovicus Sabaudius vulneratur & moritur. 132.

Luxemburgum a Gallis obſidetur. 57. deſeritur & quare. 58. deſcribitur. 228. a Gallis oppugnatur. 229. expugnatur. 232.

M

Mansfeldius Cæſaris legatus in Galliam & quam ob rem. 30.

Maria Thereſia Galliæ Regina moritur. 224.

Maria Antonia Cæſaris filia Bojoario nubit. 303. ſe prius abdicat Hiſpanienſis hæreditatis jure. 305.

Maurocenus Franciſcus Leucadem aggreditur & occupat. 285. Sanctæ Mauræ Fanum oppugnat & ſuperat. 287. Nicopolim aggreditur. 288. in deditionem accipit, Amphilochiam tentat & repellitur. 290. Coronem in poteſtatem redigit. 344. cum Turcis prope Thuriam felici eventu pugnat. 352. Zernatam accipit. 351. Laconiæ auxiliatur. 435. Navarrinum capit. 437. Methonem in deditionem recipit. 442. Naupliam oppugnat & obtinet. 445. & ſeq. prope Patras cum Turcis præliatur & vincit. 499. quot inde oppida, & quæ in poteſtate habuerit. 500. & ſeq. Epidaurum Limeram invadit, ſed fruſtra. 504. Athenis potitur. 505.

Digitized by Google

505. quæ premia a Senatu acceperit. 517. Dux Reipublicæ creatur relicto ei armorum imperio, & qua conditione. 559. Candiam fruſtra tentat. 560. Chalcidem oppugnat. 565. infelici ſucceſſu. 580.
Maurocordatus, & Sulficarus Solimani Regis ad Leopoldum Cæſarem legati. V. Sulficarus.
Maximilianus Octovir Bojoarius. V. Bojoarius Octovir.
Mehemetes Turcarum Rex Hungaricum bellum decernit. 81. Vexillum Muſtapho Viſirio Albæ Grecæ tradit; quibus verbis, & cæremoniis. 128. adverſus Gallos iratus, quare. 123. quomodo placatur. Ibid. male apud ſuos audit & radarguitur. 462. Efendiis tributum imponit, & Muftium relegat. 465. Fratres occidere tentat, ſed fruſtra. 542. exauthoratur, & quomodo; clauditur, & cuſtoditur. 533.
Mehemetes Budæ pretor ſtrenuus & multa bellica virtute in Budę propugnatione. 253. pugnans occiditur. 266.
Mehemetes Neoſelii præfectus oppidum tuetur, & quomodo. 313. pugnans necatur. 334.
Melitenſes Equites Venetis auxiliantur. 284. 343. 436. 509. 561.
Mercius plura occupat Oppida circa Tybiſcum. 338. iterum rem proſpere gerit adverſus Turcas. 381.
Miſitra in Venet. poteſtatem venit, quibus conditionibus, eæque violatæ. 503.
Miſnienſis Octovir moritur. 26.
Mocenicus Dominicus Dalmatiæ Prætor male apud Venetum Senatum audit veluti incurioſus, & quare. 291. ei ſucceſſor datur. 292.
Moguntinus Octovir moritur, & qui ei ſucceſſerit. 26.
Molinos Michael hæreſis novæ auctor; qui ipſius errores, & nefaria crimina. 524. hæreſim publice deteſtatur, & quomodo punitur. 526.
Monaſterienſis Epiſcopus pacem init cum Sueciæ Rege, & quibus legibus. 10.
Monkatium deſcribitur, & in Cæſaris poteſtatem venit. 583.
Montecucculus Comes Raymundus moritur. 26.
Munumetiæ Dux in ſpem regni excitatur. 16. tumultuatur. 23. a Rege multatur, & exulat. 24. non paret. 25. a Factioſis pro legitimo Regis Filio renuntiatur. 35. ſed a Rege abjudicatur. 36. invito Rege ad Concilium venit. 45. compertus in Regem conjuraſſe. 50. iterum conjurat. 220. Eboracenſis precibus veniam

niam accipit. 223. in Jacobum Angliæ Regem turbas concitat. 360. in Angliam cum copiis deſcendit, pugnat, & capitur. 364. capite plectitur. 366.
Moſchi fœdere cum Sarmatis junguntur adverſus Turcas & quibus conditionibus. 455. ipſorum legatio Viennam, & Venetias. 518. quo numero, & apparatu contra Scythas, & quo ſucceſſu. ibid. qua indole ad bellum. 520.
Muſtaphus prætor Peloponneſi auxiliatum Coroni venit, & quo ſucceſſu. 346.
Muſtaphus Naupliæ pretor urbem defendit. 345. dedit, & quibus conditionibus. 452.
Muſtaphus Kara Viſirius de Hungarico bello cogitat, & quamobrem. 74. fruſtra illud Mehemeti Regi ſuadet. 75. deinde ad ipſum inducit, quibus rationibus. 78. Viennam pergit, atque obſidet. 132. quo ordine auxiliaribus ſe opponit. 183. fugatur, & obſidionem deſerit. 192. Albam Grecam regreditur, ejuſque in militiæ duces crudelitas. 200. pecuniam Regi offert. 213. ei mors decernitur, & infertur, pluraque de ipſo. 214.
Muſtaphus alius, Viſirius cooptatur, ejuſque prudentia in rebus gerendis. 552. pacem conſtabiliendam ſuadet. 555. Byzantii ſeditionem comprimit. 617.
Murſa in Cæſaris poteſtatem venit. 493.

N

NAnnetenſe decretũ quando, & qua occaſione ſancitum, ejuſque ſors varia. 371.
Navarrinum deſcribitur, & a Venetis oppugnatur. 437. deditur. 441.
Nauplia deſcribitur, & a Venetis oppugnatur. 445. quibus conditionibus ſe dediderit. 451.
Neoburgenſis Carolus Radzivilię nubit. 558.
Neocaſtrum deſcribitur, & oppugnatur a Venetis. 509. deditur, & quibus conditionibus. 516.
Neoſelium invadendum decernitur. 312. deſcribitur, & a Germanis oppugnatur. 314. vi capitur. 333.

O

OCeani inundatio in Hollandia, & Zelandia. 121.
Olcinienſes Piratæ Æmoniæ prætorem, alioſque in ipſa urbe capiunt. 507.
Oppugnatio Albę grecæ a Germa-

ma-

manis deſcribitur. 599. prima Budæ a Ger. 256. ſecunda Budæ a Ger. 395. Caſſoviæ a Ger. 94. Chalcidis a Ven. 568. Corones a Ven. 344. Eperiarum a Ger. 389. Gerundæ a Gallis. 234. Lippæ a Ger. 590. Luxemburgi a Gallis. 229. Sanctæ Mauræ oppidi a Ven. 286. Monchatii a Ger. 384. Navarrini a Ven. 439. Naupliæ a Ven. 446. Neocaſtri a Ven. 511. Neoſelii prima a Ger. 126. Neoſelii ſecunda a Ger. 315. Strigonii a Germanis. 209. Strigonii a Turcis. 324. Viſſegradiæ a Ger. 245. Viſſegradiæ a Turcis. 322. Viennæ a Ger. 143.

P

Paces Carolus Turcas prope Strigonium pugnantes eludit. 246.

Palatinus Octovir Carolus moritur; quæ inde ortæ controverſiæ. 375.

Palatinus Octovir Philippus Villelmus Neoburgenſis diſcordias agit cum Philippo Aurelianenſi, & quare ibid. pacem Cæſari cum Turcis ſuadet, & quo conſilio. 377. auctor fœderis inter plurimos Germ. Princeps, & quamobrem. 468.

Palotta arx Cæſarianis deditur: 493.

Pax Noviomagi conſtituta inter Gallos, & Batavos. 5. inter Gallos, & Hiſpanos. 8. inter Svecum, & Brandeburgenſem, alioſque. 10. inter Svecos, & Danos 11.

Petrus, & Joannes Fratres magni Moſchorum duces. V. Moſchi.

Petri Varadinum a Turcis relinquitur, & quo ipſorum damno. 588.

Peſtilentia in aliqua Germaniæ parte graſſatur. 41. in Peloponneſo. 495.

Peſtilentia alicubi brutorum. 121.

Peſthum a Turcis incenditur, a Ger. occupatur. 251.

Philippus Aurelianenſis. V. Aurelianenſis Philippus.

Poloni de capeſſendo in Turcas bello fluctuant, deinde illud decernunt, & quare. 113. male adverſus Turcas rem gerunt. 357. Beſſarabiam invadunt, receduntque, & quo diſcrimine. 459. bellum proſequi adverſus Turcas averſantur, & quare. 520. reliqua in verbo Joannes Poloniæ Rex.

Poloni Concilii forma, inſtituta, difficultas in rebus agendis. 112.

Pons celeberrimus ſupra Dravum ad Murſam a Leslæo ince-

Digitized by Google

tenditur. 336. a Turcis reficitur. 477.
Pugna deſcribitur Anglorum adverſus Monumetium. 365. Germanorum cum Turcis, & perduellibus Hungaris. 167. cum Turcis prope Biſſembergum. 170. prope Viennam. 184. 191. prope Parcamum. 203. prope Strigonium. 245. 329. prope Vacciam. 248. prope Budam. 254. 261. prope Danubium. 432. prope Mohatium. 481. prope Albam Græcam. 595. in ſuprema Albæ Græcæ aggreſſione. 605. in Boſnia. 614. adverſus Tehelium. 277. Venetorum cum Turcis ad Coronem. 348. prope Thuriam. 352. prope Navarrinum. 440. prope Naupliam. 447. 449. prope Patras. 499.

Q

Queſnæus Gallicę claſſis prę-fectus Tripolitanos Piratas contundit, & quo eventu. 122. Genuam ollis incendiariis verberat. 235. in Cataloniam appellit, & quo ſucceſſu. 236.

R

Ragotia Aurora Veronica Tehelio nubit, & quo ſucceſſu. 89. in Cæſaris poteſtatem venit. 584.
Ragotius Franciſcus in Leopoldum Cæſarem conjurat, & abſolvitur. 65.
Regaliæ jus in Gallia quid ſit, unde, & quomodo. 115. varia ejus fors. 116. a Lud. XIV. propugnatur, ab Innoc. XI. Pont. Max. oppugnatur, & quomodo. 118. controverſia componitur, quando, & quo ſtatu modo ſit. 120.
Rovigni Marchio. V. Gallovidiæ Dynaſta.
Rupis ad Jonam, & Continiaci Principes, aliique Galliæ Proceres periculum a Turcis in Hungaria obeunt. 312.

S

Saponara ad Teheliums a Cæſare legatus. 90. ejus legationis exitus. 92.
Saxones e Peloponneſo diſcedunt, & quare. 497.
Saytanus Budæ proprætor in hujus propugnatione admodum ſtrenuus. 253.
Scarfembergius Federicus cum exercitu in Tranſylvaniam
mit-

Digitized by Google

mittitur, & quo ſucceſſu. 385. Budam cum ſuis copiis venit. 419. moritur. 609.
Schultius Tehelium aggreditur. 277. Eperias, & plura oppida recuperat. 378.
Sclavonia in Cæſaris poteſtatem venit, & quomodo. 493.
Scoti Jacobo Eboracenſi addicti, quæ inde opportunitates, & ſeq.
Scythæ Sarmatiam populantur. 358. 519. 523. Sarmatas labefactant. 459. cæduntur. 461.
Sdrinus in Leopoldum Cæſarem conjurat, & necatur. 65. ejus Filius ipſi Cæſari inſidiatur, & capitur. 155. & ſeq.
Segedunum deſcribitur, & a Ger. oppugnatur. 426. in poteſtatem redigitur. 434.
Segnalæi Marchio quid a Genuenſium Senatu petat pro reconcilianda cum ſuo Rege gratia. 235.
Semlinum Carrafę deditur. 591.
Shafsburii Comes Angliam turbat. 17. Senatu movetur. 25. iterum res turbat. 45. conjurationis in Regem reus. 50. in Carcerem conjicitur, corrupto judicio dimittitur. 51. in Hollandiam ſecedit, & quare, ibique moritur. 222.
Siaus Viſirius in Mehemetem Regem conjurat. 542. ejus indoles, conſilia, & res geſtæ. 539. necatur, & qua occaſione. 550.
Smolenſchum quomodo in Moſchorum poteſtatem venerit, ejuſque varia ſors. 455.
Solymanus ſecundus Turcarum Rex ſalutatur. 544. ejus inauguratio, & quibus cæremoniis. 545. a pace abhorret. 555. legatos tamen officii nomine ad Leopoldum mittere ſtatuit ibid. in ipſum conjuratur, & quomodo; tumultus componitur. 617.
Solymanus Seraſcherius adverſùs Polonos. 281. Viſiriorum Princeps eligitur. 380. pacem Regi ſuo cum Polonis ſuadet, ſed fruſtra ibid. Budam auxiliatum pergit. 410. quomodo in rem obnititur. 414. 415. 418. Murſam recedit. 426. legatum Viennam mittit pro pace. 466. hujus Aulæ aliquos corrumpit. 467. prope Murſam ſe munit. 478. Germanos recedentes inſequitur. 479. cum iis pugnat infelici eventu. 481. in ipſum conjuratur. 536. necatur. 541.
Starembergius Erneſtus Viennæ præfectus. 134. ingens ejus virtus in Viennæ oppugnatione. Lege in verbo; Oppugnatio Budæ. Budenſi primæ oppugnationi moderatur. 250. male ibi rei geſtæ redargutus diſcedit. 274.
Straſoldus Carolus Veneti exercitus Imperator. 287.

Stra-

Straſoldus Hieronymus Onethum defendit, ac Turcis in deditionem tradit. 96.
Stratmanus Theodorus ad Bojoarium, & Lotharingium mittitur, & quare. 416. 602.
Strigonium a Ger. oppugnatur, & in deditionem accipitur. 209. a Turcis oppugnatur. 322. deſcribitur 327.
Svecia Rex Carolus quamobrem bellum inferat Daniæ Regi 2. & Octoviro Brandeburgenſi. 9. pacem cum iis ſtatuit ibid.
Sulficarius, & Maurocordatus Solymani Regis ad Leopoldum Cæſarem legati Bojoarium Albæ Græcæ conveniunt, & quomodo excepti. 609.

T

Tehelius Emericus Conjuratorum Hungarorum dux eligitur, ejus indoles. 67. legatos ad Muſtaphum Viſirium mittit. 72. arma in Cæſarem movet. 83. Oblatas pacis cōditiones verſute eludit, & inducias obtinet; impetrat Ragotiæ Nuptias, & quæ inde mala. 89. Caſſoviæ arcem aſtu obtinet 2. deinde urbem oppugnatione. 94. Urbes montanas in poteſtatem accipit. 101. Hungariæ Rex a Budenſi prætore inauguratur, & quibus cęremoniis. 102. Principis ſolum nomen uſurpat. 103. legatos ad Cæſarem mittit rem excuſatum. 104. Arrabonem fluvium Turcis aperit. 131. legatos ad Joannem Poloniæ Regem mittit, ut Cæſaris ſibi gratiam quærat. 212. ſimul ad Viſirium, ut bellum proſequatur. 213. plura in ſuperiori Pannonia oppida in poteſtatem accipit. 275. & ſeq.; a Turcis decipitur, & in carcerem conjicitur, quare, & quomodo. 341. liberatur, & quo conſilio. 381. Germanos adoritur, & quo ſucceſſu. 384. magnam cum Hungaris conjurationem molitur. 471. quę detegitur, & eluditur. 473. prope Julam cum ſuorum clade fugatur. 586. Albam Græcam cum ſuis petit. 592.
Tehelius, Stephanus in Leopoldum Cæſarem conjurat, & quo ejus eventu. 66.
Terremotus in Hiſpania. 41.
Tingis oppidum ad fretum Gaditanum quomodo in Anglorum ditionem venerit. 38. a Barbaris obſidetur. 37. defenditur; deinde deletis munitionibus dimittitur. 49.
Titus Oatius Anglus Catholicorum falſus delator, & quibus fabulis. 18. qua pœna affectus. 50.
Tranſylvania qua Cives religione habeat. 386.

Tu-

Tumultus Byzantii, ejus cauſa, calamitas, exitus. 545. iterum. 616. in exercitu Turcarum. 537. ipſorum in Aſia. 553. alius in Europa ibid. Eorumdem in Creta. 560.
Turrius Eques Hjeroſolym. moritur, & quo caſu. 347.
Tybiſcum oppidũ deſcribitur, oppugnatur, & in Ger. poteſtatem venit. 589.

V

Valdeſtainus Cæſaris legatus ad Polonos. 105.
Valdechii Princeps, quomodo Viennæ auxilium ferendum ſit, proponit & probatur: 175.
Valerius Petrus Dalmatiæ prætor Singum invadit, ſed fruſtra. 292. rurſus oppugnat inani ſucceſſu. 353. ei ſucceſſor datur. 355.
Veneti ad ſacrum fœdus accedunt. 217. quibus conditionibus. 220. novas Familias in Patriciorum Ordinem pecunia cooptandas deliberant. 295. recipiendas decernunt. 299. ipſorum facinora, & res bello geſtas. V. in verbo Maurocenus.
Venerius Petrus navali prælio cum Turcis dimicat, & quo eventu. 453.
Vienna quo hoſtium numero oppugnatur. 129. ejus Civium conſternatio. 137. oppugnatio qua rerum varietate. 143. & ſeq. qui ad ei auxiliandum venerint, & quo numero. 171. liberatur, & quomodo. 193. an diutius tenere ſe potuiſſet. 194.
Vilhelmus Arauſionenſis. V. Arauſionenſis Vilhelmus.
Veneficiis Gallia vexatur, quomodo detecta, & profligata. 41.
Virtovium, aliaque oppida Gallis Hiſpani cedunt. 56.
Viſſegradia a Ger. ſuperatur. 241. deinde a Turcis, & munitionibus nudatur. 322.

Z

Zernata Venetis deditur. 351.

MAG 2014086

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google